This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07577951 6

1. Science, to 1800
2. Letters, Swedish
1-5 ND



(Worm)
N.10
~~B462 B.~~

OLAI WORMII

ET AD EUM

DOCTORUM VIRORUM EPISTOLÆ,

Medici, Anatomici, Botanici, Phyſici & Hiſtorici Argumenti: Rem vero Literariam, Linguasqve & Antiquitates Boreales potiſſimum illuſtrantes.

IN DUOS TOMOS
diviſæ.

HAVNIÆ 1751.

SK

OLAI WORMII
ET AD EUM
DOCTORUM VIRORUM
EPISTOLÆ.

TOMUS I.

Havniæ 1751.

ASTOR LIBRARY
NEW-YORK

PRÆFATIO.

Quantum in omni literatura uſum præbent Epiſtolica doctorum virorum commercia, ſatis ſuperque demonſtrarunt haud pauci clariſſimi Epiſtolarum Editores, nobisque tractandæ hujus materiæ occaſionem dudum præripuerunt. Qvam vellemus ſaltem, plures, quam quas habemus, doctorum DANORUM Epiſtolas publici juris factas fuiſſe. Certe hoc pacto rei noſtræ literariæ quam optime conſultum eſſet. Etenim, ſi TYCHONIS BRAHEI Epiſtolas, RANTZOVIANAS illas, BERTILI CANUTII, THOMÆ BARTHOLINI, MARQUARDI GUDII, & haſce WORMIANAS, exceperis, vix plures vel a DANIS vel ad DANOS ſcriptas reperiemus junctim editas; pauculas enim illas, quæ aliorum ſcriptis ſparſim ſunt inſertæ, operæ non erit pretium nominaſſe.

Non noſtrum, ſed ipſius WORMIAN
eſt nominis, commendare, quas jam evulga
mus, Epiſtolas. Nobis abunde ſatisfactum, ſi
nobiscum omnes boni conſentiant, easden
inter optimas & eruditiſſimas, quæ unquam
lucem viderunt, Epiſtolarum collectiones lo
cum merere. Commercium WORMII lite
rarium cum *Italis*, *Gallis*, *Britannis*,
Germanis, *Belgis*, aliarumque gentium
viris ſui temporis celeberrimis, gratiam huic
operi apud exteros facile conciliaturum con
fidimus. Ut nihil dicamus de elegantia dicti
onis, in iis præcipue, quæ e calamo ipſius
WORMII fluxerunt, deque multifaria erudi
tione, ac rerum novarum diverſitate, quæ ſin
gulis fere paginis emicant & ſine ſatietate de
lectant. Sive enim ſtatum rei *Medicæ*, *Phy-
ſicæ*, *Botanicæ*, ſive varia illorum tempo
rum *inventa*, & quæ ad incrementum ſcien
tiarum faciunt, ſive imaginem *orbis* WOR
MIO *coævi literati* & *politici*, ſive *ling-
varum borealium* raras etymologias, &
obſervationes egregias *antiquitatibus* &
hiſtoriæ patriæ lucem adferentes, habere

cupias,

cupias, quam plurima hic invenies ſingularia, quæ deſiderium tuum haud dubie explebunt, quæque alibi fruſtra quæſiveris. Si characterem boni & candidi viri, ſi antiquæ virtutis & fidei exemplum, ſi hominem in gloriam patriæ natum, ſi denique GRAMMIUM prioris ſeculi velis, talem ex Epiſtolis WORMIUM noſce.

Non ingratum futurum ſperamus, paucis narrare, quæ fortuna per tanta temporum intervalla, per tot aſpera rerum diſcrimina, hunc theſaurum in noſtra tempora reſervaverit. Latuerat nempe, ab exceſſu OLAI WORMII, in magni huius parentis magnorum filii WILHELMI & nepotis CHRISTIANI, WORMIORUM, exquiſitiſſimis Bibliothecis, qvum ab hoc, quem ultimo nominavimus, eum jure permutationis ſibi comparavit vir illuſtris FRIDERICUS ROSTGARDUS, data fide ſpeque facta certiſſima, ſe eas quam primum publici juris facturum. HIC vero, quem iniquioris & inimicæ fortunæ vices ab hiſce

 & aliis,

& aliis, utilitati publicæ deſtinatis, edendis prohibuere, Havnia anno hujus ſeculi viceſimo ſexto diſcedens, ſincero ſui & WORMIANI nominis amico, quem adhuc lugemus omnes, JOANNI GRAMMIO Epiſtolas autographas in manus tradidit, addita conditione, ut eas primo quoque tempore publicandas curaret. Quod lætus in ſe ſuſcipiens b. m. GRAMMIUS, illas deſcribi, cum autographis conferri, in ordinem redigi, typisque nitidioribus, quos ipſe ROSTGARDUS ex Hollandia procuraverat, mandari fecit, ſumma curatione in corrigendo & ornando opere adhibita. Vix autem easdem prelo liberaverat, in eo occupatus, ut in vulgus emitteret, abſolutis nondum *Præfatione*, *Notis*, & *Indice*, qvum funeſtum illud, quod Havniam & cum urbe plerasque tam publicas quam privatas Bibliothecas Anno 1728. delevit, incendium, docta etiam hæc cupedia lambendo, dimidiam pæne editarum Epiſtolarum partem devoraret.

Poſt

Poſt id temporis, quæ ſupererant, quaſi ſepulta jacuerunt. Incertum vero, quod fatum hujusmodi damni reparationem in hunc usque diem publico inviderit. Exemplis interim integris, octonarium numerum vix excedentibus, quæ ſævientis tunc incendii ſtragem evaſerunt, tantum hodie pretium ſtatuit paucitas, ut in auctione publica *Bibliothecæ* GRAMMIANÆ duorum, quæ ibi erant, exemplorum unumquodque viginti circiter thalerorum uncialium pretio redemtum ſit.

Reliqua omnia folia, quibus ignis pepercerat, aliquot *Regiæ Societatis*, lingvæ & hiſtoriæ patriæ excolendæ deditæ, *ſodales*, quorum unus inſimul WORMII noſtri e matre pronepos, ex reſidua b. GRAMMII ſupellectile libraria, elapſo proxime menſe Decembri publice divendita, juſto nobis titulo acquiſivimus, &, ut defectus ſuppleretur, qua potuimus, dexteritate curavimus. Quæ ipſi, præter communes ſumtus & curam in reſtituendo, quod deerat, adje-

adjecimus, ſunt: (1.) *Programma Aca-*
demicum funus WORMIANUM indicen[s]
(2.) magni *Thomæ Bartholini Orati[o]*
in exceſſum OLAI WORMII, ex quibu[s]
præclara excellentiſſimi hujus Medici &
Polyhiſtoris vita, merita, & inventa inno-
teſcunt, (3.) *Annotatiunculæ* quædam
a GRAMMIO noſtro in ſuo exemplari ad-
ſcriptæ, & illuſtrandis Epiſtolis quibusdam
inſervientes; (4.) *Index eorum*, ad quos
WORMIUS ſcripſit; & a quibus ipſi ſcriptæ
ſunt literæ, (5.) *Index rerum ac nomi-*
num, quam fieri potuit, locupletiſſimus.
Quod poſtremum maxime optandum eſt,
hac in parte, ut noſtro, ita publico ſa-
tisfeciſſe deſiderio. *Havniæ*
d. 12. Martii 1751.

VITA

VITA OLAI WORMII

EX

PROGRAMMATE ACADEMICO ET ORATIONE FUNEBRI

THOMÆ BARTHOLINI.

SENATUS

REGIÆ ACADEMIÆ HAFNIENSIS

Ordini Literato ejusqve Fautoribus Triſtes denunciat Exeqvias, Præclariſſimo Funeri WORMIANO Reddendas.

VOx eſt authoris in rebus tam divinis qvàm humanis explicandis longè accuratiſſimi & graviſſimi, divini Platonis, citante Stobæo: Ὅταν βέλῃται θεὸς εὖ πρᾶξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐνεποίησεν· ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πρᾶξαι πόλιν, ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός. Elegantiſſimum certè dictum, ab Ethnico homine ſapientiſſimè prolatum! qvod tantò majorem conſiderationem ac laudem meretur, qvantò certius conſtat, illud Prophetico calculo approbatum eſſe. Hæc enim vox eſt Eſaiæ: Ecce Dominus exercituum auferet de Jeruſalem & Juda omne id qvod ſuſtentat ac roborat; Fortem & virum bellicoſum, Judicem & Prophetam, Sapientem ac Senem. Nobis hinc exordiri libet ſignificaturis ordini noſtro literario, qvàm inſperato & verè bonis ac doctis omnibus, inprimis Academiæ noſtræ luctuoſo obitu vitam in hiſce terris clauſit Vir per totum Orbem Europæum Celeberrimus & Experientiſſimus,

DN. D. OLAUS WORMIUS.

Iratus ac infeſtus eſt nobis ſcelerum noſtrorum vindex juſtiſſimus DEUS. Qvem enim amiſimus? Proh dolor non infantu-

lum, qvi primum lucem aſpicere cœpit; non juvenem ſu
adhuc ingenio abutentem; non plebejum aliqvem, qvi bon
publico parum prodeſt. Academiæ Rectorem Magnificum am
ſimus; & qvidem Medicum, non unum è multis, ſed Med
corum Principem, Profeſſorem Academiæ noſtræ celeberr
mum, Virum in politioris literaturæ ſtudiis verſatiſſimum
admirandâ reconditarum rerum ſcientiâ inſtructiſſimum, max
mis, medioximis, minimis gratiſſimum. Hoccine igitur, ſupe
ratis tot ac tam variis fatalis hujus anni calamitatibus, in reſidu
adhuc erat, ut luctuoſiſſimus ille D. WORMII Obitus, Ser
niſſimum Regem noſtrum Principe Medico, Academiam optim
Rectore & Profeſſore, Bonarum Artium ac Medicinæ Studio
ſos laudatiſſimo defraudaret Præceptore? O miſeram vit
noſtræ fugacitatem! O diram mortis crudelitatem! O fallacem
cogitationum humanarum inſtabilitatem! Verùm voluntas D
ſine murmure ferenda, & in εὐδοκίᾳ divina placidè acqvieſcer
dum. Idqve nobis nunc potiſſimum accurandum, ne tan
Viri nomen & merita finibus iisdem, qvos natura poſuit, te
minentur. Flagitat hoc pietas, imperat hoc æqvitas. I
qvomodo juſta ſolemnia denegemus illi viro, qvi & huju
ævi gloriam, & poſteritatis memoriam, meritis ſuperavi
Vult idipſum grati animi fidelis memoria: æqvum enim e
gratam laudem exhibere illi, qvi theſauros ingenii plurimo
depromſit in orbis & ætatis hujus, imò æternitatis totius no
modo ſpectaculum, ſed & inſignem uſum atqve commodum
Idqve non noſtris, ſed beatiſſimi hujus Viri propriis verbi
ab ipſo in peculiari chartâ Latinè concinnatis, & in ipſiu
Muſeo probè reſervatis perſeqvemur. οὐδεὶς ἀνθρώπου κεκυρωμένην
διαθήκην ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται. Sic ipſe. Natus eſt OLAU
WORMIUS Arhuſii Cimbrorum Anno 1588. d. 13. Maji, Pat
WILHELMO WORMIO, Conſule Arhuſienſi, ex honeſt
ſima & antiqviſſima Wormiorum in Geldria familiâ oriundo
Matre INGERA, OLAI GEORGII, Conſulis Hotterſnenſiu
qvondam filia. Primis literarum tyrociniis in Schola patr
per annos ſex poſitis, ad Gymnaſium Luneburgenſe amand
tus eſt, ubi ſub Bachmanno & Georgio Bloccio literis hum
nioribus per annum ſtrenuam navavit operam; tandem p
Weſtphaliam, Embricam Clivorum pervenit, ubi familiæ ſu
cognatos, viros eruditos vivere intellexit, apud qvos trienn

exac

exacto domum ſe contulit: Ubi cum parente de ſtudiorum ratione habita deliberatione, tandem Academiam Marpurgenſem præ cæteris, viris in omni literatura præſtantibus celebrem, ſibi elegit, in qva Philoſophiæ curſum abſolveret. Itaqve anno 1605 ritibus ſolemnibus in numerum literis & honeſtis diſciplinis ibidem operam navantium adoptatus, ſub Viro Clariſſ. Dn. M. Rudolpho Goclenio Seniore, in Philoſophia haud contemnendos fecit progreſſus. Verùm fatali rerum neceſſitudine res Eccleſiaſticæ turbari ibidem eodem anno cœperunt, adeò ut profligatis Auguſtanæ Confeſſionis Theologis, & Profeſſoribus reliqvis unà cum Muſis hoſpitium Gieſſæ præbere, pio zelo ductus inceperit Ludovicus Haſsiæ Landgravius pientisſimus: qvò cùm ſtudioſorum pars maxima ſinceræ Religioni addicta conflueret, unà eò ſe contulit, Viris Clariſſ. D. Mentzero, Finchio, Helvico cum primis familiaris. Exacto ibidem biennio, qvanqvam S. S. Theologiæ haud contemnenda à Clariſſ. Theologis hauſerat fundamenta, attamen ad Medicinam magis animus inclinabat. Eum igitur in finem Francofurto, Wormatia, Spira, Heidelbergâ & Thermis Badenſibus, Argentoratum ſe contulit, anno 1607. ubi Præceptoribus uſus eſt Haffenreutero, Sebizio ſeniore, & Spachio, per trimeſtre Medicinæ jecit fundamina, multum adjutus operâ hoſpitis experientisſimi D. Saltzmanni, Phyſici Argentinenſis, Botanici & Anatomici eximii. Verùm cùm multæ experientiæ artem hanc eſſe animadverteret, nec uno in loco omnia ubertim provenire intelligeret, celebritate Medicorum Baſileenſium permotus eò ſe contulit, ubi in familiaritatem virorum celeberrimorum, Plateri, Bauhini & Zvingeri aſcitus, multum in Botanicis, Anatomicis, ac tota arte profecit, publicè crebrò diſputavit, privatim multis exercitiis Botanicis & Anatomicis celeberrimi Bauhini interfuit, ſub Zvingero collegium practicum cum aliis Medicinæ Candidatis per aliqvot menſes continuavit, à qvo etiam unicè dilectus ac filii loco habitus. Artis itaqve totius theoriam, integrè ac ſufficienter ibidem per biennium fermè cum didiciſſet, ad feliciorem ac uberiorem praxeos exercitationem animum appulit. Sub finem itaqve anni 1608, inſtituta per Helvetiam & Alpes peregrinatione, Italiam petiit, ac perluſtrato Mediolano, Cremona, Mantua Virgilii patriâ, Verona,

 Vicen-

Vicentia, Patavium appulit: ubi per ſemeſtre ægros aſſidu[...] viſitando, comitem in praxi ſe indefeſſum præbebat Hierony[...] mo Aqvapendenti, Euſtachio Rudio, Alexandro Vigontiæ Jul. Caſſerio Placentino, à qvo in chirurgicis multùm ſe pro[...] feciſſe ingenuè profeſſus eſt. Ejus verò in rebus gerendi[...] prudentia, in converſatione humanitate, in vita animadverſi[...] integritate, inclytæ Nationis Germanicæ facultatis Medic[...] unanimi conſenſu electus eſt Procurator ac Conſiliarius Anato[...] micus, qvod officium per ſemeſtre, qvamdiu ibidem vixit ſumma dexteritate adminiſtravit, ac Venetias interea non ſeme[...] perluſtravit. Anni ſeqventis vernali appropinqvante tempore itineris aſſumpto inter reliqvos ſocio D. Henrico Petrejo Medic. in Acad. Marpurg. Profeſſ. Clariſſ. qvod reliqvum era[...] Italiæ perluſtravit, ac per Ferraram, Bononiam, Florentiam Sienas, Agrum Viterbienſem, Romam & Puteolos, Neapo[...] lim pervenit. Hinc maritimo itinere iterum Romam ſe con[...] tulit, in qva urbe cùm aliqvot dies ſubſtitiſſet, ac diligentiu[...] ſingula obſervatione digna perluſtraſſet, Sienas idiomatis nitore & aeris ſalubritate allectus ſe convertit, ibiqve in artis exer[...] citio tres menſes æſtivos conſumpſit, tandem de Gallia cogita[...] vit: inito igitur itinere per Lucam, Piſam, Hetruriæ urbes in portu Liburnico phaſelum offendit maritimo itinere Genuam petiturum, cui ſe tùm qvoqve commiſit. Genuæ per aliqvo[...] dies ubi ſubſtitiſſet, viros doctos viſitaſſet, ac viſu digna per[...] luſtraſſet, inde infido valde & à Turcis infeſto itinere pe[...] littora Sabaudiæ, perluſtrata Savona & Niſa, Marſiliam appu[...] lit. Hinc per Nemauſum Monſpelium contendit: ubi præ[...] claris artis Medicæ tum Profeſſoribus tum exercitiis delectatu[...] per 4. ſubſtitit menſes, Medicis Clariſſ. Varandeo, Bradille[...] & Inſigni Botanico Richerio de Bellevald gratiſſimus fuit & familiariſſimus. In Febr. anni ſeqventis Pariſios verſus iter in[...] ſtituit, per Biturigos Narbonam, Carcaſonum, Tholoſam Burdegalam, Rupellas, Pictavium, Aureliam, aliasqve præ[...] claras Galliæ civitates, compellatis in itinere viris celebriori[...] bus, & in qvavis literatura eximiis. Pariſiis verò Caſaubono Riolano, aliisqve eruditis per duos menſes uſus eſt familiari[...] ter, ac Artem Medicam haud infeliciter crebro exercuit. Hi[...] diutius perſtitiſſet, niſi horrendum ſceleſtiſſimi ſicarii facinus qvo Regem Maximum, Henricum IV. è medio menſe Maj[...]

ſuſtu[...]

ſuſtulit, totam Rempubl. perturbaſſet, & multi exterorum periculi imminentis metu territi diſcedere coacti fuerint, inſtitutum irritum reddidiſſet. Per Rotomagum igitur inſtituto itinere, navigio tranſiit in Belgium. Per Roterodamum, Delphos, Hagam Comitis, Lugdunum Batavorum pervenit, ubi ſalutatis viris celebrioribus & explorato Academiæ ſtatu aliqvantiſper commoratus eſt. Hinc verò in alias celebriores Belgii urbes excurſum ubi feciſſet, in Daniam rurſum ſe contulit. Qvia verò Academiam Patriam nondum ſalutaverat, Hafniam profectus eſt, ubi Matriculæ inſcriptus, plerisqve ac præcipuis Academiæ Profeſſoribus familiaris, gratus & amicus extitit; aliisqve, qvibus non raro arte Medica opem tulit, acceptus: adeò ut, qvi ſedem hîc figendam ſvaſerint, reperti fuerint haud pauci. Verùm qvia Angliæ viſendæ inſigni flagrabat deſiderio, rebus domi compoſitis, ſe rurſum itineri accinxit. Cumqve operarum Chymicarum induſtriâ nuper inclaruiſſe Marpurgum inaudiviſſet, ne qvidqvam qvod ad Medici periti ἐυσχημοσύνην ſpectaret, intactum relinqveret, eò ſe convertit, anno 1611. varias itaqve in hac arte exercitationes manuductore Hartmanno per aliqvot menſes ubi perfeciſſet, aſſiduè ad Gradum in eadem Academia in Medicina ſummum ipſi conferendum fuit ſollicitatus: Sed Peſtis ſævitiâ diſperſa Academia, cùm Caſſellis veterem ſuum commilitonem & amicum, D. Gillenium Principis Laboratorio præfectum reſciviſſet, eò laborum avidus ſe recepit, ubi benigniſſimè exceptus ad ſecretiſſima qvæqve admiſſus eſt. Qvibus exercitiis ubi animum expleviſſet, Baſileam adiit, tot laborum, peregrinationum & ſtudiorum præmium, ſummum in Medicina Gradum reportaturus, qvem etiam ſumma cum laude obtinuit, ejusdem anni menſe Decembri, Rectore Magnifico D. Caſp. Bauhino, Promotore vero Sene venerando, D. Felice Platero, Practico feliciſſimo. Inde anno ſeqventi ſecundo Rheni flumine in Belgium devectus eſt, unde ſe rectâ in Angliam contulit, ac Londinum in Febr. appulit, ubi tribus elapſis ſeptimanis in familiam Viri Illuſtris & Generoſi Dn. Richerii Baronis de Ingvald aſcitus, eidem operam ſuam in ſtudiis præſertim Chymicis & operibus Medicis addixit. Interea varias arces, oppida, & Academiam Oxonienſem perluſtravit. Medicis verò Regiis Kraigio & Majerna, maximè fami-

familiaris. Sed in Anglia per annum cum dimidio ubi ſubſtitiſſet, ac praxin Medicam in familia Ingvaldiana, ut & urbe Londinenſi feliciter exercuiſſet, domum à parentibus & amicis revocatus eſt, menſe Julio, 1613. Vix à reditu tres ſeptimanæ præterierant, cum Patrum Academicorum decreto ad munus docendi literas humaniores in Acad. Hafn. ſolenniter vocaretur. Qvam profeſſionem cùm per biennium feliciter & magno juventutis fructu adminiſtraſſet, anno 1615. Græcæ lingvæ Profeſſio fuit ei demandata. Eodem anno duxit uxorem, Virginem caſtiſſimam *Dorotheam Finchium*, Viri celeberrimi, *Dn. D. Thomæ Finchii*, Medicinæ Profeſſoris Regii filiam, nuptiis 26. Nov. celebratis. Ex qva 6. filias ſuſcepit; qvarum una, nomine *Ingera* nupſit Viro Reverendo Clariſſ. & humaniſſ. *Dn. M. Joanni Scheldrupio*, tum Eccleſiæ, qvæ eſt ad D. Nic. Paſtori religioſiſſimo, nunc verò Superattendenti Diœceſeos Bergenſis Vigilantiſſimo: altera nomine *Soſtrata* in matrimonium locata Viro Clariſſ. & Excellentiſſ. *Dn. M. Erico Olai Tormio*, Præpoſito & Paſtori Templi Mariani meritiſſimo: reliqvæ 4. pluſculis abhinc annis occubuerunt. Qva priore uxore fato defuncta 21. Nov. 1628. animum elapſo biennio ad ſecunda vota appulit, exambiens *Dn. D. Matthiæ Jani*, Epiſcopi Lundenſis vigilantiſſimi filiam, Virginem lectiſſ. & pudiciſſ. *Suſannam*. In hoc conjugio factus eſt ſpacio 7. annorum parens trium filiorum, qvorum unus in vivis eſſe deſiit, duo vero ſuperſtites, indole, ingenio, virtute, & eruditione perqvam conſpicui, *Dn. M. Vilhelmus Wormius*, & *Dn. Matthias Wormius*, in ſpem ſingularem nos omnes erigunt, & Patris deſiderium in animis omnium leniunt. Anno 1637. 26. Auguſt. hanc ſuam ſvaviſſimam conjugem *Suſannam* peſtifera lue correptam amiſit Roſchildiæ, poſtqvam prius eſſet abortum paſſa. Altero ab hujus obitu anno, de ampla familiæ curâ & honeſta tenellorum liberorum educatione ſollicitus, è re ſua futurum exiſtimavit, tertiam ſibi deligere uxorem, qvam longè optimam, moribus ſanctiſſimis & innocentiſſimis præditam ſibi adjunxit, Viri ſpectatiſſ. & honoratiſſ. *Petri Motzfeldii*, Civis hujus urbis & Oenopolæ laudatiſſimi filiam, *Magdalenam Motzfeldiam*, qvæ tam vivido ac venerando Seni ſeptem liberos eſt enixa, 4. filios & 3. filias: qvorum duo filii, *Petrus* & *Thomas Wormius* jamdudum

obi-

tata fœcunditate domum bearet & ampliaret, aliter fieri potuit, qvàm ut concordiſſimè viverent, & una in duo- orporibus anima reſideret, ut amore & obſervantiâ mu- ertarent. Sed hæc privata ſunt, ad publica redeamus. :re Decanatus iteratò perſunctus eſt, cùm anno 1619, lo ſummos in Philoſophia honores contulit XV. viris, te & eruditione præſtantiſſimis: tum anno 1621, cum * 27. laureos crearet. Interea Phyſicam per integrum trien- docuit usqve ad annum 1624, donec in arte Medica garetur *D. Caſparo Bartholino* ad Profeſſionem Theolo- vocato: qvam Profeſſionem Medicam inimitabili in- ia ac ſumma cum laude adminiſtravit, usqve in hodier- diem; donatus propterea anno 1636, 26. Octobr. à Se- . Rege CHRISTIANO IV. glor. m. Canonicatu in Ca- Lundenſi. Anno 1640, 8. Decembr. in Templo Aca- :o *M. Chriſtiernum Stougardum*, Eloqventiæ Prof. publ. rem Medicinæ creavit. Qvinqvies Magiſtratum Acade- n geſſit, cum ſummo Academiæ noſtræ honore & com- . Præterqvam qvod Sereniſſ. Regi CHRISTIANO IV., imè à Conſiliis Medicis fuerit, & moribundo ad extre- vitæ halitum adſtiterit; Principi item Electo CHRI- NO V. valetudinario operam dedit; aliisqve Principi- Ducibus, Legatis, Magnatibus, Regni Proceribus, No- s, exteris qvoqve familiariſſimus fuit: adeò ut Cardi-

qvæ ſibi noſter *Wormius* incredibili curâ collegerat, & arte mirâ diſpoſuerat. Integrum certè volumen non ſufficeret recenſendis omnibus benevolentiæ & favoris indiciis erga ipſum declaratis, cùm à Perilluſtri & Magnifico Heröe *Dn. Chriſtiano Thomæ*, Dn. de Stougard &c. Seren. Reg. Maj. Cancellario Magno, incomparabili literatorum Patrono; tum ab Univerſa Nobilitate: qvibus omnibus ex intimis fuit; qvos etiam certò ſcimus non parum commotum iri, audito tam inſperato & verè luctuoſo *D. Wormii* obitu. Qvam intimè charus extitit hujus urbis incolis, ipſimet teſtentur, qvi uno ore & lingua clamant, Daniam Virum inter literatos majorem & celebriorem nunqvam amiſiſſe. Hanc celebritatem peperit ipſi non ſolùm vita ſanctiſſimè & innocentiſſimè à puero in hunc usqve diem inter omnes tranſacta, ſed vel maximè innumera iſta monumenta, qvibus mundum replevit, ære futura perenniora, adeò ut illa nec innumerabilis annorum ſeries, nec temporum fuga poſſit diruere Nam præter qvam plurimas diſputationes anniverſarias, qvas ut & prælectiones publicas in Academia negligere, pro piaculo ſemper habuit; In lucem edidit, Jubilæum Evangelicum, contra Jeſvitam Contzium; Lauream Philoſophicam contra Fratres Roſæ Crucis: Baccalaureum Philoſophiæ cum ſuis reqviſitis & privilegiis: In librum Ariſt. de Mundo commentaria: Faſtos Danicos in fol. Hiſtoriam Norvegicam: Literaturam Runicam; Monumenta Runica Daniæ & Norvegiæ: Monumenta Danica aucta: Monumentum Stroenſe: Monumentum Trygvaldenſe: Aureum Principis cornu: Hiſtoriam Rariorum Muſei *Wormiani*: Catalogum Muſei: Murem Norvagicum: Epitomen Phyſicam: In Aphorismos Hippocratis commentaria: Inſtitutiones, & Controverſias Medicas: Et multa alia, qvæ nobis jam non ſuccurrunt: Præter iſta, certè non pauca, qvæ nondum edita, doctâ tamen mente & manu concinnata reſervantur in ampliſſima ipſius Bibliotheca; qvæ ne cum tineis & blattis conflictentur, efficiet induſtrior Excellentiſſ. Generorum, & Doctiſſ. Filiorum cura. Multa hîc nobis conſultò prætereunda, ut ad extrema veniamus. Sub veſperam d. 26. Auguſt. præter Stranguriam, qva per aliqvot hebdomadas graviſſimè conflictatus erat, acceſſerunt & alia Symptomata lethalia, unà cum Febre qvadam pernicioſa, qvæ corporis

uni-

univerſi vires ita primo die ſubſeqvente prorſus proſtraverunt, ut nullum membrum de loco in locum movere potuerit. Ipſe ſtatim de medicamentis tanto malo repellendo & convellendo actutum adhibendis cogitavit; Sed qvæ ſingula multis ad vitam diuturniorem, ex ipſius curâ feliciter adhibita profuerunt, ipſimet nullum prorſus levamentum attulerunt: donec ipſa natura altero ab initio morbi die maximum emiſerit ſudorem; unde & priſtinas vires recuperavit, & optimè de morbi exitu ſperavit, immortales cum conjuge ſua chariſſima & liberis lectiſſimis pro tam inexſpectato bono immortali *Deo* gratias agens. Verum 29. & 30. Auguſt. ita febrilis æſtus invaluit, ut ſpem antea conceptam penitùs eluſerit. Qvamobrem poſthabita corporis curâ totus ad Deum converſus de ſalutari animæ ſuæ medicinâ cogitavit, & Generum ſuum lectiſſimum *Dn. M. Ericum Olai Tormium* juſſit advocari, ex qvo, anima in cœleſtem jam patriam, relictis qvibus cingebatur corporis exuviis, demigratura ſanctiſſimo corporis & ſangvinis Servatoris JEſu Chriſti epulo ſalutariter fuit refecta. Poſtremis horis, qvibus exitum moliebatur luctans anima, eâ beatiſſimus vir erat fortitudine, iisqve viribus, ut non ſolum cogitatè & cordatè ſacrum aliqvod negotium, qvod Academiam & Eccleſiam Chriſti concernebat, expediret; verum etiam ſibi ſalutaribus ſacrarum ſcripturarum dictis ſuſtentando, & mœſtiſſimæ conjugi indeſeſſam ipſi diu noctuqve operam danti, lacrymisqve ſuis ubertim profuſis pectus, manus, genas, & univerſam faciem moribundi Mariti madefacienti, ſic & liberis acerbo fletu ora ſuſè rigantibus conſolandis abundè ſufficeret: donec pridie Calend. Sept. veſperi paulò poſt octavam piè & placidè in Chriſto obdormiverit. Ita cecidit capitis noſtri corona ſplendidiſſima, columna hujus Academiæ præſtantiſſima, noſter ille cœli literarii Sol lucidiſſimus. Non amplius noſtrum qvisqvam in hiſce terris amicabilem hujus Medici principis faciem conſpiciemus; non ulterius ſvaves lingvæ ipſius veneres audiemus; nulla plura conſilia ſalutaria pro levandis aut prorſus exturbandis noſtris ægritudinibus ex ipſius ore & calamo hauriemus. Certè memorabile nobis eſt illud, qvod circa tanti viri obitum contigiſſe accepimus, nimirum conſpectam fuiſſe perlucidam ſtellam ſupra domum morientis *Wormii*, eodem planè momento,

qvo ſupremum vitæ halitum efflavit, deſuper è domo verſu
ortum cadentem, & fulgorem ſuum derepente amittentem
ὁ ἀναγινώσκων νοείτω. Veſtrum erit, Cives Academici, &
qvotqvot Ordini noſtro favetis, Deum ſollicitis precibus no
biſcum orare, velit tantum decus & ornamentum, tam luc
dam Stellam Academiæ noſtræ ſubtractam, ſingulari aliqv
dono & beneficio compenſare. Cumqve hora I. pomerid
defuncto piè Marito funus facere decreverit Uxor mœſtiſſima
ut pietatis ultimum Rectori ac Præceptori veſtro præſteti
officium, & freqventes in illud prodeatis, ſeriò jubemini
Vix inter nos ulla ferent talem ſecla futura virum. P. P. Haſniæ
VII. Septembr. Anno MDCLIV.

Sub Academiæ Noſtræ Sigillo.

THOMÆ BARTHOLINI

ORATIO

In Exceſſum
VIRI Incomparabilis

DN. D. OLAI WORMII,

Medicinæ Profeſſoris Regii.
Hafniæ 1655.

THOMAS BARTHOLINUS
D. Medicin. Profeſſ. Publ. Hafnienſ.
Acad. Reg. p. t. RECTOR
L. S.

IVſtis præteritis anni currentis menſibus, Urbi noſtræ exitioſis, beatiſſimo D. *Olao Wormio*, Medicinæ Profeſſori Regio, & Academiæ poſtremum Rectori Magnifico, Incomparabili Viro & Patriæ Ornamento exſeqvias, triſtes ſanè & omnibus deplorandas. Ea enim laudatus Vir, nunqvam ſine lacrymis nominandus, in publicum contulit, ita patriam ſibi & eruditum orbem obſtrinxit, ita de communi ſalute eſt meritus, ut funeri illius intereſſe commiſerationis magis qvam voluntatis obſeqvium juſſerit. Utinam ſerius ſummi ſenis inferias & vos celebraſſetis & ego deplorarem, publicam Reipublicæ hujus cladem moderatiori animo exiſtimarem eſſe ferendam. Vix dici poteſt, qvantarum rerum jacturam hujus Viri exceſſu fecerit Patria, orbis univerſus & ſplendida olim, jam luctu & mœrore ſqvalida familia. Effari neqveo, qvanto turbati animi motu, candidiſſimi Amici, Collegæ conjunctiſſimi, Affinis honoratiſſimi, Patris & Præceptoris Venerandi, Senis graviſſimi & ad exemplum magni, nunciatam apud Roës Fontes mortem exceperim, qvem mihi perpetuum Collegam, Vobis Præceptorem & Medicum, liberis Patrem, viduæ mœſtiſſimæ Maritum, Academiæ Anteceſſorem omni voto optaſſem. Cæterum qvia fatorum neceſſitati parendum

dum etiam invito, qvod vi mutare non poſſum, obſeqvio laturus, qvia funeri illius intereſſe rerum noſtrarum non patiebantur rationes, triſtem vultum habitumqve mœrentem in præſens diſtuli, qvo, urbi redditus, & oneroſo Magiſtratus Academici poſt *Wormii* exceſſum, ita jubentibus Superioribus, gravatus munere, juſto dolori indulgens, tanti Viri merita & invidendas virtutes funebri *Oratione* ſum proſeqvuturus, qvantum & latè diffuſus laudis *Wormianæ* campus in anguſtias brevi ſermonis contrahendus, & doloris magnitudo unius horulæ ſuſpiriis vix terminanda, & torpens facundia permiſerit: non ut illatum vobis & patriæ immedicabile vulnus, recenti adhuc memoria crudum, iterato funere refricem, aut mœſtiſſimæ familiæ novas velim indicere exſeqvias, ſed ut ſciat orbis nec *Wormii* merita apud patriam & amicos obſoleſcere, nec unius diei ſolennitatibus claudi nunqvam in animis hominum morituram memoriam, videantqve erectæ mentes, qvid ſibi debeant polliceri, qvi pari induſtria & felicitate nomen ſuum publicæ venerationi exponunt, & qvid deniqve apud me Clarorum Virorum amicitia poſſit. Vos Literati ordinis Fautores, & Cives noſtri, qvi madidis oculis funera *Wormiana* non ita pridem ſpectaſtis, eodem vultu animoqve craſtina mecum luce hora I pomeridianâ per *Wormianas* laudes, per vitam glorioſè exactam ſine pompa decurrite, & aures famâ *Wormii* hactenus impletas, qvi virtuti precium, qvi meritis gratiam apud vos ſtatuiſtis, breviter *Dicturo* faventes commodate, & inter pietatis veſtræ officia, noſtros planctus, publicum luctum, inter deniqve peritura ſeriò cogitate æterna. Valete, ſi defuncto Æſculapio poteſtis. Hafniæ XIV Decembr.

Anni ad exitum properantis
CIↃ IↃ C LIV.

ORA-

ORATIO.

QUanto in præteritarum rerum recordatione, præſentium faſtidio & metu futurorum, feſſa madore lumina per omnes Auguſti hujus loci angulos circum duco freqventius, tanto aciem hebeſcere magis & juſto dolore penitus ſentio offuſcari. Qværo deſideratum ſemper mihi vobisqve & in purpura nuper relictum *Wormium*, mitiſſimum vultum, qvo candidiſſima illius anima velut in ſpeculo reſplenduit, qværo & reqviro, ardet amore animus & anxia cura variè torqvetur, deſiderio incredibili totum me explico, circumduco, volvo, revolvo, qværo *Wormium*, ſed invenio nusquam. Heu fallaces mortalium ſpes & irrita vota! heu miſeram ſortem omnium exſpectationi & conatibus ſtrenuè illudentem! Hic reliqui meum *Wormium*, hic credidi eſſe reviſendum poſtquam expiata cœleſtis Numinis ira ad patriam urbem hactenus Majorum indultu & clementia relictam officii ratio reduxiſſet. Curioſa diligentia & triſti ſollicitudine repeto greſſus, ſæpius antea emenſos, compita circumſpicio, ædes publicas privatasqve Parcarum injuria deſolatas & lugentes circumeo, compello notos & more patrio amicos ſaluto, qui ſumma *Dei* immortalis providentia Libitinam evaſerunt; quocunque me verto, nullam Maximi *Wormii* offendo umbram, qui Viri amicitias, qui frequentatos ſermones, conſilia prompta, nulloque fuco adornatum pectus in æternum mihi, vobis & orbi univerſo optaſſem. Silent Muſæ & ſemeſtri ocio deſiderium ſuum ſatiarunt, nuda pulpita totiens erudito *Wormi* ore animata, moleſto funere mœrent, hæc purpura, iſta ſceptra, illa Magiſtratus inſignia patrono ſuo viduata ominoſo ſqualore lugent & ſplendoris ſui majeſtatem temporis indelebili injuria videntur depoſuiſſe, jamque ſeriò deplorare. Mœſta vidua incomparabili marito privata tantum funus in ſe tranſlatum optat, invidenda ſoboles optimo patre & orba & indulgentiſſimo, omnium in ſe miſericordiam vertit. Illuſtres Runæ ex ſitu nuper protractæ, redivivam ſibi noctem ominantur, Natura interprete ſuo fraudata interitum ſibi vel ignominiam auguratur, lugubri habitu literæ ſordent, Aſclepiadis Schola turbata, cuncta imminentium malorum præſagio & metu ſibi ſuæque incolumitati diffidunt. Ego quid conquerar?

rar?

rar? quid eloquar? an tacito pectore calamitatem conc
an lugubri voce aures veſtras publico funere impleam?
hæreo, nec doloris acerbitatem abſcondere, nec magnit
ejus exprimere potens. Deſidero Parentem, præce
amiſi, Collegam perdidi, & præter acerbitatem tan
erepti augetur mœſtitia, quod aſſiduè ſatiari vultu, co
amici amplius non contingat. Reddite nobis fata Viri
mittite ereptum, ſi poteſtis, vel ſimilem ſubſtituite, c
dum tanta præſentia carere poſſumus. Oculos lacryn
gabo, manus ſupplicationibus delaſſabo, tundam pectus
lum, lacerabo ora & totus conficiar, donec vel *Wormiu*
poſtliminiò reſtituatis, vel me *Wormio* fatalis hora ju
Abominabor inimicam Lacheſin, quæ ſine delectu civiu
quias indicit, inexpletam inferorum damnabo voracit
extra Inſulas omnes proſcribam, qvi valetudinis communi
curius debacchentur & infeſta falce demetant, ſtatorem
runt. Mille terræ inutilia ſuperſunt pondera, fruges
mere nata, tot purgamenta, & putida onera, mimi, bala
ambubajæ, calones, ciniflones, agyrtæ & hoc genus inf
quibus mortalium ſocietas conſpurcatur, eluduntur a
virtutis precium vileſcit. Mitiſſima ſidera, quæ ſancti
Wormi animam inter veſtra collocaſtis, nullane noſtri v
tetigit, ut ſuſpiria noſtra ſubſcriberetis? Fulgori veſtro
ſuleretur, noſtrum extinxiſtis, & ingenti deſiderio e
Wormium, patriæ lumen, orbis decus, familiæ ſplen
inter veſtros numeraſtis. Summe *Deus*, Rex ſuperu
rumque quid meriti ſumus, quod tanta nobis mala furor
tentarit? Tu variis criminibus obnoxios, à contagio, ce
Tuæ documento, immunes inter tot cadaverum ſtrages
vaſti, & admirabili clementia ſuſtentaſti quamplurimos,
exſequiis reſervandos, cur in ſcelerum noſtrorum vindict
tuæ juſtiſſimæ tanti Viri funere, velut hoſtia litaſti? Maj
riti ſumus & exitium propria nece exſolvendum, qvicq
in publicum peccavimus, vel conſcientiæ confeſſione
pietatis tramite aberravimus. Si aliqvod voto mortal
ſummum Numen ineſſet pondus, minori Reip. damno a
clade deplorandam ſummi Viri & Reip. literariæ utiliſſim
tem redimeremus. Sed immota ſuas leges fata ſervant,
bitrio noſtro Eruditorum ſortem diſpenſant. Si qvidem

talium conſortio pietas exulat & candor, mirari deſinamus, candidam *Wormi* animam terris indignam, mortaliſque erroris pertæſam, cœleſti origini adſcriptam vanas infra ſe deſpicere viventium ambitiones, contentiones, extremas malitias, & mille rerum ludibria, quibus ſeculum inficetum, majori conatu qvam gloriâ, certatim ſuperbit. Nobis, qvibus præter æterna ſenis merita, & immortalem ex *Wormio* memoriam nihil amplius ſuperum invidia & peſſimi ſeculi injuria, videtur relictum, qvia cœtibus noſtris intereſſe deſiit, ubi omnium hactenus bonorum gaudio & publico Reip. literariæ emolumento ſuperfuit, qvia noſter hic dolor, noſtrum vulnus; obfirmandus animus, quodque mutare neſcimus, in neceſſitatem interpretari & invictam *Dei* voluntatem, cui tam nobis parendum, qvi vivimus, qvam *Wormio*, qui vivere deſiit in omnem ævi hujus & futuri memoriam victurus. Enim verò ſi à conditis literis natiſque Muſis virtus & eruditio unquam felici copula fuit conjuncta, in hoc certè Viro ſedem utraque invenit & elegit ex voto ampliſſimam. Nunqvam clariori luce Academia noſtra reſplenduit, nunqvam Ars Medica caput altius in Septentrione extulit, nunqvam cum exterorum gloria cordatius certavimus, qvam nuperis annis, qvibus *Wormium* Academia habuit, ars Medica coluit, orbis Arctous admiratus eſt, & omnes incomparabilis Viri famam immenſæ virtuti parem vel ex cedro digniſſimis ſcriptis orbem univerſum, qua Titan ſurgit caditque, pervolitantibus, vel qvotidiana conſuetudine & undique confluentium ingeniorum pleniſſimo ore intellexerunt. Nefaſtus ſit ille dies & aterrimo carbone in perpetuum notandus, qvi patriæ invidit hanc gloriam, juventuti commodum, Academiæ ſplendorem, nobis amicitiam, omnibus felicitatem. Cœperat hoc ſuperſtite ſpiritum recipere Anatome, & ſive ſenis auctoritate & conſilio, ſive induſtria noſtra multorum ad ſe ſtudium oculoſque convertere. Peſſimo medius fidius augurio eveniet, ut cujus auſpiciis cœpit feliciter, ejuſdem jam exceſſu ſit deſitura vel immedicabile damnum habitura. Valeant Mathematicorum filii, niſi illatam cladem nobis præſtent. Nuper Solis deliquium & ipſo meridie noctem mundo noſtro induxerunt, & mala qvævis mortalibus minabantur. Habetis augurii veſtri fidem cœli vates & interpretes, qvia periit *Wormius*, utinam mendax ſim ego, ſi ex ſplendidiſſimi hujus luminis umbra arti noſtræ & Academiæ inducta, orbi noſtro

lite-

literato ſiniſtra denunciem, qvi ingeniorum fertilitate & numero, ſcientiarum omnium augmento, fama undique & exiſtimationis laude tantum inter alios caput extulit, qvantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi. Acerba igitur *Wormi* noſtri memoria, immortalia in Rem Medicam & Academiam, patriamque univerſam merita, intimioris amicitiæ jura, & omnium rectè de *Wormio* ſentientium exſpectatio, hoc qvicqvid eſt officii debiti & pietatis devotæ, qvod triſti calamo & rauca voce meditor, mihi injunxit imperavitque, ut, cui nuperæ abſentiæ condicione ante paucos menſes amiſſus eſt, qvi vivum colui & æſtimavi, qvi omnia in laudem tanti amici debere volui, memoriam defuncti grato animo & penna titubante, qvia plura non poſſum, publicè venerer, juſtaqve cum ſuſpiriis perſolvam, ſi debitum intueor planè merita, ſi neceſſitatem invita. Singula tamen, quæ de ſene noſtro graviſſimo dici ſcribique & poſſent & deberent, fruſtra exſpectabitis. A *Wormio* res parvas levique momento æſtimandas nemo veſtrum ſibi pollicetur, qvarum magnitudini calamus meus non ſufficit in ſcribendo, qvia in agendis *Wormius* omnium conatum & fidem ſuperavit. Qvidqvid in honorem & defuncti æternam gloriam ſumus dicturi, ſolutum magis erit qvam præſtitum, ut, qvod à beatis *Wormi* manibus alto ſomno immerſus facere in exſeqviis ejus juſſus ſum, ſciat orbis, *Wormiana* celebritate plenus, qvantum Virum Dania habuerit, & patria, qvantum amiſerit.

Injurius in virtutes D. OLAI WORMI, inclyti Regiæ Academiæ Profeſſoris, ſummeqve iniqvus forem, ſi aliunde illas acceſſerem, qvam ab ipſo *Wormio*, ſummaqve ambitione vel patriam vel genus in virtutis excelſæ argumentum advocarem illorum more, qvi à majoribus ſuis emendicant, qvod propria indoles denegavit, gloriam & præclaræ mentis originem. Aliena illa ſapiens ſpernit, & niſi propria virtute fulciantur, in auras evanitura. Non in his ambitioſus jactavit *Wormius*, nec inani faſtu virtutem ex majoribus mutuatus eſt, qvanqvam nec patria defuerit, magnis exemplis abundans, nec parentes, ex qvibus virtutis futuræ ſemina cum lacte materno imbiberet, proprio ſtudio & fortunato genio tandem perficienda. Natale ſolum Cimbria eſt, fortium olim Virorum, nunc eruditionis feraciſſima, ubi maſculam mentem *Wormio* tenello connatam & ſeqvuturæ virtuti parem,

urbs

urbs mercaturis & claris Viris inclyta Arhuſium, Ptolomæo Charudes, ſicut ſuſpicantur Geographi, Parente Conſulari dignitate conſpicuo WILHELMO WORMIO, Mater INGERA OLAI, Conſulis Hottersnenſium filia lectiſſima anno LXXXVIII. ſeculi prioris, die XIII. Maji in lucem edidit omine prorſus felici, ut, qvemadmodum civium ſuorum ſaluti illi conſulebant, ita multorum incolumitati nuper natus à præſcio Numine deſtinaretur. Felices Charudes, qvod tantum depoſitum & pignus terris concrediderint, nunqvam patriæ ſuæ pœnitendum. Habent qvo glorientur ampliſſimè, habemus nos qvo nomine ingentis beneficii gratiam illis debeamus, qvod præter utrumqve *Jacobum Matthiam* Arhuſium profundâ ſcientiâ & eloqvio ſtupendo excellentem, multiplicato fœcundi ſaluberrimiqve ſoli ac cœli fœnore, noſtræ Academiæ artis Medicæ Præſidem & ſanitatis humanæ cuſtodem accuratum & orbi ſummiſerint. Sic diverſo inſtituto Cimbri noſtri ab antiqvis diſſident, & majori ſe gloria commendant. Certarunt veteres in nece mortalium & excidiis augendis, emiſſisqve coloniis varia morte vivorum numerum decurtarunt. Noſtri vitas promovent, & artem ſervandi homines, qva corpus, qva animam, profitentur. Certent de patria Homeri Græciæ urbes. Nos in Charudibus Cimbrorum *VVormii* invenimus incunabula plus antiqviſſimæ genti & ampliſſimis Parentibus allatura ſplendoris, qvam acceperant. Flos iſte puerorum *Olaus*, ridentibus Dis & Phœbo conſcio prognatus, magnam vividioris indolis & felicis genii ſpem elegantiſſimis floribus fructibusqve utiliſſimis humanæ neceſſitati ſuffecturam, primis ſex tyrocinii annis in patria meliorum diſciplinarum officina & domeſtico ſurgentium ingeniorum pulvere apud omnes excitavit. Qvam in remotioribus à patria paleſtris ut augeret perficeretqve, Ducibus Bachmanno & Bloccio optimis tum ingeniorum excultoribus, in Gymnaſio Lunæburgenſi humanioribus literis & auctorum melioris notæ lectioni ita aſſvevit anni unius decurſu, ut poſtea apud eruditos Embricæ Clivorum Viros partim ſanguinis commercio partim elegantioris indolis voluptate ipſi ex aſſe addictos, cœptum literarum humaniorum & virtutis domeſticæ ſtudium acriter pariter urſerit, & patienti trium annorum tædio navati temporis moram fortiter meliori fruge decoxerit. Non ignoravit etiam primis judicii incrementis *VVormius* noſter ſive erectioris genii ductu & auſpiciis fortu-

natis, ſive fideli Magiſtrorum obſeqvio, qvantum ad eruditionis ornatum Philologiæ ſtudium conferat & ſermonis nitor. Sunt præpoſteræ ingeniorum qvorundam feſtinationes, qvæ illotis manibus nulloqve literaturæ cultu in diſciplinarum ſacra involant temerario & pluſqvam auſu barbaro, unde cruda ſtudia in publicam orbis ſcenam protracturi inconditâ orationis barbarie omnia fædant, & cultiſſimas Muſas deformi veſte habituqve neglecto peſſimè proſtituunt. Pulchrum eſſe ille qvondam prodidit, benè Reip. facere, & benè dicere. Qvisquis ſupra vulgus erigendus ad utilitatem publicam comptum animum informat, ſedulò in eam curam incumbit, ut futuram eruditionem ſi non diſerto, puro tamen & ad veterum elegantiam compoſito dicendi charactere exornet, ſicqve loqvatur ut videri posſit & intelligi. Ita in prima ætate inſtructus *VVormius* aptam profundioribus ſcientiis majorisqve eruditionis capacem mentem ætatis anno ſeptimo & decimo, communi Parentis amicorumqve conſenſu ad celebre variæ doctrinæ emporium & eruditis Viris in Germania nobile Marpurgum tranſtulit, moxqve migrantibus inde Gieſſam Cattorum Muſis, ſe ſocium & alumnum ſociavit, ut Philoſophiæ myſteria à Magno Germaniæ Philoſopho Rudolpho Goclenio Seniore hauriret, & Divinæ qvoqve ſapientiæ decreta apud ſummos Theologos Menzerum, Finckium & Helvicum in ſalutis ſecuritatem accuratius perdiſceret. Scilicet ille demum propoſiti ſui certus eſt, & ſecurus, qvi humanis Divina jungit, Deumqve inter perituras mortalium artes debita fidelitate qværit, ut totum posſideat. Credite a. peſſimo fulcro inniti ſapientiam veſtram, niſi *Dei* ſcientia fulciatur, qvæ & eruditos vos facit & beatos. Nolite tantum oraculis humanis ſtatuere precii, ut infra mortalia exiſtimetis eſſe æterna, aut felicitatem veſtram ex cerebri veſtri fictis ideis, & naturæ inferioris miraculis metiamini. Ridicula erit Philoſophi Demonſtratio & Elenchus, infauſtum Medici Prognoſticum, trochiſci, Julapia, pilulæ, potiones medicatæ, electuaria, opiata, emplaſtra, collyria, unguenta, magiſteria, extracta, olea, ſpiritus, & mille hujus cenſus Panaceæ, quibus in ſubſidium laboranti ægro accurritur, vana omnia & irrita, ſi deſit *Deus*, ſi illos falſi arguat ob ſtultitiam, his ſpe irritâ illudat ob *Dei* contemptum & artis fiduciam. *VVormius* noſter ita cum rebus ſuis & rationibus calculum poſuit, ut eruditus in publicam utilitatem adoleſceret, & à

Dei

Dei cultu proſperos conatuum eventus ſibi ſponderet, hinc cœli æmulus inter mortales ſanctè vixit, & cœlo redonandus claram beatè in *Deo* clauſit ſenectutem. Tantis præmunitus ſubſidiis audacius ſuſcepta negocia urſit, tranſactoque Gieſſæ inter Doctorum exercitationes biennio, Medicarum rerum ſtudio cœpit inflammari, ad quod genio dictante ferebatur. Ex ſenis Coi præſcripto Natura ad ſcientiam Aſclepiadeam inſtructus quam feliciſſimè, doctrinam ſtudio & induſtria conſtanti, in loco ſtudiis apto meditabatur, conſilio prorſus prudenti & deliberato. Fruſtra ſudant, qui ſine doctrina & Præceptorum inſtitutione Medici nomen & dignitatem vano ſupercilio exambiunt, ſibi ſomniant, ſibi ſine Delio blandiuntur, prius docent exercentqve medicinam & innocentium mercantur animas, qvam didicerunt. Multi ex hoc genere triobulares, diverſo *VVormii* noſtri exemplo erubeſcent, qui artis immenſæ amplitudinem aſſequuturus celeberrimas Europæ Academias adiit, ubicunqve de Medica arte publici mercatus exercebantur. Recto igitur itinere viſis in tranſitu urbibus Germaniæ notiſſimis, Francofurto, Wormatia, Spira, Heidelberga, Argentorati opportuno Muſis ſeverioribus domicilio, ſubſtitit, & trimeſtri diligentia apud inſignes Viros, Haffenreuterum, Sebizium Seniorem, Spacchium & Saltzmannum tam inoffenſo pede in arte Medicorum proceſſit, ut publico eſſe documento poſſet, quantum prompta ingenii facilitas cum induſtria apud naturæ clientes valeat. Hinc ulteriori diſcendi deſiderio accenſus, vicinam Baſileam, Rauracorum Auguſtam, ſedem humanitatis & Appollinis, adverſo Rheni flumine, ſed ſecundo Numine petiit. Tanta ea tempeſtate Baſileenſium erat fama, ut, mutata ſede, amœniſſimam Rheni ripam Æſculapius crederetur inhabitare. Florebant ibidem Medicinæ Proceres, æternitatis dudum albo inſcripti, Felix Platerus, Caſp. Bauhinus, Thomas Zvingerus; Emanuel Stupanus, magna profectò nomina & famæ ſuæ majora. Horum amicitias vel meruit virtute ſua *Wormius* Æſculapii pullus, vel obtinuit, frequenti Medicarum Lectionum auditione ita perfecit cupidum ſaluberrimæ eruditionis animum, ut qui hactenus inter auditores numerabatur, poſtquam binas hyemes totidemqve ariſtas exegiſſet inter cadaverum humanorum ſectiones, inter Helveticæ Floræ delicias, inter Medicorum Exercitationes publicas privataſqve, inter artis univerſæ preſſiorem noticiam; tandem diſciplina in naturam

verſa aliis ad audiendum præluxerit. Quam Medicinæ perfectionem in mente conceptam ut opere ipſo & confirmaret & ad uſus mortalium extenderet, haud neſcius, opere ipſo non ſermone tantum aut artis peritia Medicos æſtimari, Italiam cogitatione volvebat.

Annus ſeculi hujus octavus ad exitum decurrebat, quum ſuperatis in viis Alpibus, viſiſque in difficili itinere Mediolano, Cremona, Mantua, Verona, Vicentia, Antenoream antiquiſſimam urbem & Sereniſſimæ Venetorum Reipubl. prudentiâ ſtudiorum Matrem Patavium intraret, dignam illam Muſarum aulam, benignum exterarum gentium domicilium, Phœbi theatrum & Apollinis fanum. Digna hic viſa cœptis *Wormi* palæſtra, in qua invidenda libertate in orbis ſupplementum exercentur dicatæ Æſculapio animæ. Non inviti Patavini Doctores *VVormium*, amicitiâ tantorum Virorum dignum, ſed cum applauſu exceperunt, comitemqve ſibi ægros vicatim inviſuris, pro more loci planè laudando, adſciverunt. Eminebat in Auguſto Gymnaſio fama meritisqve præclarus Senex Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Herophilus redivivus & alter Chiron, quo duce & cadaverum proſectionibus vacavit *VVormius*, & Chirurgicas Operationes promptiſſima manu vidit exercitas. Non poſſum ſine inſigni lætitiæ ſenſu inter mœſtos ſermones, temporum iſtorum memoriam repetere. Deſudabat in eodem Anatomes pulvere beatiſſimus meus Parens, & perpetuus Aquapendentis comes ſecandi artificium & quidquid magnus ille Democritus in cavea ſua Deorum plena ſpectatoribus exhibebat, dexterrimè imitabatur, nec ſenis contentus obſervationibus Julium Caſſerium Placentinum Proſectorem ab illo ſecundum ſed æmula arte diffidentem ita ſibi junxit amicum in extorum examine, ut non pauca alter alteri debuerit. Junxit in hoc ſtudiorum fœdere dextras *VVormius*, & amicitiæ cœptæ commercium immota lege ſanctum ſemper conſervavit & inviolabile. Præter Aquapendentem & Caſſerium, quos in Anatome & Chirurgia principes ſequebatur, *VVormius* noſter exercitatiſſimis in arte curandi Euſtachio Rudio & Alexandro Vigontiæ ſe adjunxit, ut Methodum medendi Remediorumque formulas illis familiares in ſingularibus experiretur, eam ratus tutiſſimam ſciendi rationem, quæ uſu conſtat & experientia perficitur. Poterat poſt tanta ſcientiarum incrementa ſuo ſucco victitare *VVormius*, & ſperatam patriæ operam digno ſucceſſu polliceri, niſi erectus ad

quæ-

quævis honeſto animus tempore roborari & aliarum gentium confeſſione ſui amaſſet augmentum. Scilicet ex ruderibus Latii reſtabant quamplurima, ad quæ viſenda curioſo impetu incitabatur. Et certè intererat Medicinæ plures ſoles diverſoqve ſidere calentes terras propriis veſtigiis emetiri, ſive ægrorum cauſa & affectionum ſuis regionibus peculiarium, ſive exterorum medicaminum gratia, quæ ſuo ſæpe ſolo terminantur, ſive Naturæ ludentis jucunditate in balneis, mineralibus, terrarum generibus, plantis, arboribus, elementis, lapidibus, animalibus, fructibusqve admiranda, ſive Eruditorum hominum & linguarum cupiditate, ſive deniqve ſtupenda diſperſarum Antiquitatum curioſitate, quæ tanto pectus majori percellunt admiratione, quanto à noſtra ætate, moribus noſtris vel ſeculi ignavia ſunt remotiora. Hac mente & inuſitata tunc generoſitate, florentiſſimas Italiæ urbes peragravit, adſcitoqve itineris comite Henrico Petræo, Clariſſimo poſtea Marpurgi Doctore, Venetorum vidit majeſtatem, Ferrariæ celebritatem, eruditionem Bononiæ, elegantiam nitoremqve Hetruriæ, Sienarum eloquium, Viterbienſis agri fertilitatem, Romæ antiquitatem & ſplendidam purpuram, Puteolorum amœnitatem & diſperſa thermarum veſtigia, nobilem Neapolin, Piſarum ubertatem, libertatem Lucæ, Liburnici portus ſecuritatem & Genuenſium pompam; nec vidit tantum moresqve plurimorum velut canis ad Nilum libavit, ſed apis inſtar dulcedinem ſingularum accurato guſtu in ſe traxit, publico aliquando ſalutarem. Neque iſtis ſplendidarum Italiæ civitatum deliciis ineſcatus hic pedem fixit, ad plura properantem, quo virtus & vaſtus nulliſque mortalium finibus conſtrictus animus ferebatur. Terrarum omnium laudem apud ſe velut in compendium contraxit Gallia, cœli ſolique benignitate, incolarum urbanitate & omnimodæ eruditionis amplitudine palmam univerſo orbi præripuit, ſive eximiis inclytæ gentis meritis, ſive reliquarum gentium ſpontanea ceſſione conceſſam. Fructus peregrinationis tanto molimine ſuſceptæ periiſſe *VVormio* noſtro videbatur, niſi officioſiſſimam Galliam præſens pari officio ſalutaſſet. Genua igitur apud Ligures ſolvens, littora Sabaudiæ infeſto à Turcis mari legit, & luſtrata in tranſcurſu Savona & Niſa, Marſiliam antiquiſſimam eruditionis Scholam, nunc mercibus florentem appulit. Inde Nemauſi amphitheatra, inſcriptiones, aquæductus, & alia Romanæ urbis æmula ornamenta, Pontemqve in vicinia Gardium admirabili opere con-

ſtructuram curioſis oculis ſubjecit. Et ne aliarum rerum innumera multitudine transvorſum à principe artis inſtituto raperetur, quod non rarò illis ſcimus evenire, qui obſoniis magis cupediisqve capiuntur quam ſolidis cibis: in vicinum Montem Peſſulum, Medicorum ſcientia ab ultimis Arabum temporibus celebratum, ſeriores curas tranſtulit, quatuor menſium mora recolendas. Magnis Academiæ luminibus Varandæo, Bradilleo & Richerio de Belleval Botanico uſus eſt familiariter, ut ab illis ille doctior receſſerit, illi à *Wormio* celebriores, hi amare, ille colere, utrumqve ex mutua conſvetudine ardentiſſime. Ægrè à fragrantiſſimo hujus Provinciæ ſolo urgente itineris neceſſitate divulſus, per Bituriges, Narbonam, Carcaſonum, Tholoſam, Burdigalam, Rupellas, Pictavium, Aureliam, cæterasqve Galliæ civitates, ad caput Franciæ & univerſi compendium Lutetiam Pariſiorum pervenit, famâ magni Caſauboni Polyhiſtoris, & Riolani Junioris Anatomici, tunc ad famam concitato gradu properantis, nunc emeriti & ſupra famam magni, Monſpelienſium deſiderium levaturus. Diuturnam ampliſſima urbis mœnia moram omni jure meruiſſent, ubi eruditionem omnes vici, civilitatem omnia compita perſonant, ubi illuſtris Medicorum Schola tot ſeculis ſaluberrimæ artis decori par, clariſſimorum Virorum & numero plurimorum & doctrinæ gloria præſtantium docta nomina orbis & exterorum velut ad tripoda confluentium admirationem ad ſe rapiunt. Cæterum nec deliberato *Wormi* conſilio favere fata, quæ ſupra nos negocia curant, nec turbata populoſiſſimæ urbis quies Muſis iſtis indulgebat ſecuritatem. Exſecrando enim parricidio Regum Maximo Henrico IV. Borbonio per ſceleſtam ſicarii manum ſublato, urbem tanti facinoris indignatione perturbatam innocentique cruore Herois Auguſtiſſimi commaculatam horrendæ expiationis metu deſeruerunt peregrini & advenæ, facinus indignum & ſuam miſericordiam apud ſuos propagaturi. Igitur Rothomago, vetuſto Cimbrorum hoſpicio, à Rege Danorum Roës, cui & originem Roëskildia noſtra debet, olim fundato, jam verò immenſum & opibus auctis & ædificiis Sequano flumini imminente, Æolo benigno & Neptuno amico ſolvit, ut ad Inſulam Batavorum belli gloria & omnis ſcientiæ laude inclytam properaret, antequam patriæ revidendæ deſiderium ſuggeretur. Nitidiſſimas in Belgio Fœderato urbes, Roterodamum, Delphi, Haga-Comitis, Lugdunum Batavorum, Harlemum,

rum, Amſtelodamum & aliæ complures animum *VVormi* rerum variarum copia onuſtum tam grato condimento ſatiarunt, ut Leydæ, Muſarum Helicone, & Palladis arce, Eruditorum hominum illectus amicitia & noſcendi cupiditate, feſtinato itineri detraxerit particulam. Dulciſſimæ patriæ redditus, quia & domi in Academia noſtra invenit quæ admiraretur, Hafniæ ſubſtitit, dulcedinem peregrinationis ruminaturus. Regii hujus Lycæi Doctoribus arctiori amicitia & ſtudiorum familiaritate inter primos conjunctus, quid ſibi artisque profeſſæ perfectioni & latè diffuſæ ſcientiæ deeſſet apud animum deliberans, cœpit de reſumendo itinere, rebus domi compoſitis, iterum cogitare, ut quæ hactenus aliis lucubrationibus impeditus neglexerat, Chymiæ operas, in Medicæ artis complementum exerceret, vel protractiori tempore rerum Medicarum ſemina, paſſim tanta naturæ, doctrinæ & locorum benignitate erudito pectori infixa & exculta, Coi Præceptoris ſequutus ductum, ad lætam ampliſſimamque frugem & maturitatem perficeret. Multorum ille jejuna vota & feſtinata ſtudia, magnis parvisque communia, exemplo ſuo vicit & ſupergreſſus eſt. Sunt qui ex unico Æſculapii ſomnio repente Medici prodeant, vixque à limine ſalutato Apollinis fano nomen inter Aſclepiadeos exambiant, & una nocte, velut fungi, decoctores potius quam Doctores naſcantur. Concitato pede ad titulos currunt, compilatisque Receptariorum ſcriniis ignaviæ ſuæ conſulunt, non artis honori, non ægrorum ſaluti, non publicæ exſpectationi, quam eludunt & peſſimè fallunt. Saniori mente animatus *VVormius*, multorum incolumitati deſtinatus, poſt tot annorum inter ſeveriora ſtudia & peregrinationum tædia, moleſtas curas, grave non duxit in celebri Marpurgo pluſculos menſes exercitatiſſimo Chymico Hartmanno, & Caſſellis Gillenio, veteri amico, oculos manusque commodare & cum induſtria ei artis generi vacare, ſine quo Medicus vix titivilitio cenſetur hoc ſeculo dignus. Naturæ ibi vidit abſtruſos receſſus, generi humano profuturos ignei caloris eventus, Deorum commercia & divortia, elementorum pugnas, metallorum metamorphoſes, & mille lutorum formas, quibus vel in principia ſua ſolvuntur corpora, vel ſoluta figurantur. Quid aquas ex floribus, radicibus, corticibus, ſeminibus eliciat & lignis, quid provocet regias & fortiores, unde ſpiritus ſubtilis, mordax acetum, olea tenuia, elegantes tincturæ procedant, quid balſama componat, extracta deſtillet, ſales, flores,

 magi-

magiſteria, calces, & hujus generis alia, perſpecta dext
conficiat, quicquid Geber cum univerſa Hermeticorum
tudine docuit, quicquid vel aquila promiſit, vel vellus a
oſtendit, *Wormius* noſter apud fornaces obtinuit, à carb
aſſequutus eſt, meruit igneo ingenii & pertinacis laboris
ab utroque denique artifice facilis impetravit, ſive elegai
genii merito ſive ſinceræ familiaritatis obſequio. Con
rat ita eruditionis, conſummato Medico neceſſariæ, cii
Wormius, & nihil intentatum reliquerat, quo ægris re
columitas, patriæ decus expleri poſſit, & ad immortalem
nis exiſtimationem feliciter ipſe graſſaretur.

Privata hactenus erant commoda, ſecreti honores
multorum de *VVormio* judicia, confeſſione publicâ & orl
diti applauſu confirmanda. Certatim id ſibi laudis ali
demiæ exoptaverant, quas in vota faciles meritum *V*
flexerat. Sola tamen Baſilea huic acclamationi digna *V*
viſa & *VVormius* Baſileæ. Spretos alibi vel neglectos ho
laborumque exantlatorum præmia, apud Medicinæ anteſi
nunquam ſine veneratione nominandos Platerum & Bau
exambivit, qui poſt rigidum examen, maſculum in p
concertatione conflictum, & laudatiſſima publicè privat
edita eruditionis ſanæ documenta, tam erant in cumuland
tutum titulis ſummisque in Arte honoribus prompti, qua
in expetendis timidus & modeſtus. Undecimus ſeculi cu
annus Menſe Decembri, ſolennitati Apollineæ dicatus, la
coronam in Brabeuterio Academico dudum debitam, mor
jorum per Feliciſſimum Senem Felicem Platerum, au
Rectoris Bauhini, *VVormiano* capiti tot virtutum & do
radiis coruſco, fauſtis bonorum ominibus imponi decer
ſummè lætabatur. Leni ſtrepitu Rhenus vicinus decur
votis perſtrepebat Brabeuterium, & lætantium vocibus,
debant Eruditi, gratulabantur urbis humaniſſimæ Pro
omnes fortunatum *VVormii* Doctoris auſpicium in patriæ
modum & perpetuam nominis gloriam non falſo augurio
prætibantur. Felix tua ſobole Baſilea & alumnorum de
quos non tam numero & nummis, quam meritis penſas æſt
que. Alii ſerunt, tu metis, onera alii augent, tu honore
ſimulatæ virtuti & amicitiæ favent, tu niſi exploratam ſi
pondere gravem virtutem nec amas nec effers, alibi eruditi
tituli præcedunt, apud te ſequuntur. Habes in Dania r

ıe ſequenti ſecundo Rheni flumine & proſperiore ſucceſſu
ɩelgium apud diviſos toto orbe Britannos divertit, à quibus
ɔnſpicuas Viri hujus & omnium oculis expoſitas dotes, ve-
:um Cimbris fœdere & conſuetudine, Londini Anglorum
ɩianni decurſu tam exceptus fuit hoſpitaliter & amicis ul-
ɩt non tantum in familiam Illuſtris Dn. Richerii Baronis de
ald, Chymiæ & Medicinæ amore, ſit adoptatus, ſed ad in-
m quoque Medicorum Regiorum amicitiam Kraigii & Ma-
admiſſus, & his & familiæ Ingvaldianæ & urbi Londinenſi
ɩs artis ſuæ oſtenderit felicitatem. Interea munitas Britan-
m arces luſtravit, urbes vicinas peragravit, & Oxonienſis
lemiæ Bibliothecam nulli in orbe ſecundam vidit ſimul &
ɩpuit. Verumenimverò dum honorum plenus & publici
ue applauſus, ſui per melioris Europæ partes propagaret
iam, cui natus erat patria invidere cœpit, & parentes ſolli-
ura angi deſideratâ tanti filii præſentiâ viduati. Igitur vo-
bus amicis reditumque ſuadentibus, noluit pius *VVormius*
ɩarentum obſequio aut omnium exſpectationi deeſſe. Ni-
calculô notanda illa dies, quæ prima menſe Julio tertii &
ıi anni in patriam reducem hilari nulliſque nubibus aſpera
e *VVormium* vidit & complexa eſt, parentis gaudium, ami-
m ſolacium, ſpem patriæ, orbis amorem. Advena
rini gratiſſime, noli credere recedendi ſæpius tibi conceſſam
ɩatem. Sat ſoles vidiſti, terras es emenſus, ſat multorum
Ulyſſe mores vidiſti & urbes. Figendi pedes, neve ſem-
el diſcas vel auditor ſis, jam cum uſurâ reddes quæ accepiſti,

denegavit, quæ in accuratam ſui perducant cognitionem, & auctoritate ſua ad neceſſarii operis voluptatem auditores noſtros incendebat. Multum & ego & prædeceſſor meus D. Simon Paulli, *Wormio* deferimus, quod publicas privatasqve noſtras ſectiones ſuo conſilio & applauſu ſit ſemper proſequutus, artiſqve, quam publica auctoritate in ſalutem generis humani profeſſi ſumus, pro virili ſuſtinuerit dignitatem. Aſſurgunt beatis ipſius Manibus Vaſa Lactea Thoracica, & Lymphatica noſtra, quæ fidem à tanto ſpectatore & judice incorrupto invenerunt, contra malitiam ſeculi & invidiam, qua premimur, qui publicæ utilitati periculo noſtro excubamus. Si fata Galenum ad tempora noſtra ſervaſſent, Hafniam prius quam in Ægyptum ſceleti viſendi diſcendique ſtudio navigaſſet. Vidiſſet ſæpe *Wormium* compagem oſſium humanorum artificioſam demonſtraſſe, & oſſicula didiciſſet per ſuturam cranei Lambdoideam diſperſa velut novas in microcoſmo Inſulas, quæ in perpetuam tanti inventoris memoriam, *Wormiana* oſſa pace Proſectorum libuit appellare. Plinium quid memorem, quid à Veſuvio reducam, quem in *Wormio* vidimus redivivum & ex merito ſuſpeximus? Candidè vobis loquor, Auditores, & apertè, nunquam in Septentrione ſæpius Natura fuit viſa, nunquam majoribus precibus ſollicitata, nunquam clariori face luxit, quam *Wormii* ætate, apud quem lubentiſſimè & frequentius divertit. Inaudita ille curioſitate & Rerum Naturalium amore ductus, ex univerſo orbe Naturæ rariora phænomena ad ſe invitavit, collegit ipſe, & ab aliis collecta indulgentiſſimè habuit. Muſæi ſui amplitudinem ita produxit, ut anguſto Technicothecæ loco vaſtum penè orbem & quidquid ex Natura miramur & Arte, accuratiſſimè arctaverit. Metallorum varias ſpecies Norwegia miſit, Islandia aves terris noſtris inuſitatas & piſces monſtroſos ſubminiſtravit, Groenlandia Unicornu, veſtiumque barbararum & inſtrumentorum ſuppellectilem & Balenarum partes contribuit, Germania lapides, ſalia, terrarumque genera, Britannia quamplura, nec minora Gallia, Scythia agnum ſuum, Italia antiquitates, marmora, nummos, mineralia, Ægyptus Crocodilos, Armadillos, Iguanas, balſama, Perſia bombyces, India orientalis aromata, conchas, fructus, gemmas, Occidua aviculas Junonis, animalia, cannas Saccharinas, Japonia ſagittas, China libellos, laccæ artificia, Africa Leonum, Elephantum, Rhinocerotum particulas, Gothi & Cimbri Runas & quicquid

patria

tionem prætendo, tanta ex loci dignitate & veſtro ſingulorum commodo, vobis ego poſt *VVormium* poſſem polliceri, cui onus ſuum Ætna gravius humeris hiſce reliquit, quanta *VVormius* olim poſt Parentem & promiſit vobis ſplendidiſſimè & præſtitit ampliſſimè.

Patebat tum apertus *VVormio* optimè de publico merendi campus, per quem à primo Medicæ cathedræ felici augurio ipſi demandatæ momento, ſummo patriæ univerſæ applauſu, & omnium candide æſtimantium confeſſione tam ſtrenuè & ex voto communi decurrit, ut præcedentium laudem vel æmulatus ſit vel in ſe contraxerit, poſteritatis precium meruerit, præſentium venerationem, & exterorum ſtuporem. Ad clepſydras publicarum prælectionum & ſolennium Diſputationum menſuram metiebatur, quam ea fidelitate & ſplendidorum auditorum concurſu, ſine exemplo numeroſam, nullo monente à ſe exigebat, ut diem ſibi periiſſe crediderit & annum, ſi quando officii hujus debitum cauſa ſontica vel neceſſaria remora interpellaſſet. Erat autem, ut ſciant poſteri, in docendo brevis, gravis in diſſerendo, in explicando facilis, acutus in diſputando, omniaque ad captum auditorum ita attemperabat, ut nec tyrones nec provectiores navatæ unquam hoc Duce operæ pœnituerit. Artis Medicæ ſecreta propalavit, abdita principia detexit, eruit latentes cauſas, dubia ſigna expoſuit, remedia difficiliora explicavit; quicquid Cous habet gravitatis, quicquid Pergamenus Aſiatica loquacitate diffuſum, *VVormius* expedita reddidit & contracta, nec obſcurus in difficilibus, nec juſto in neceſſariis parcior. Dioſcoridis imitatus diligentiam, herbarum formas & virtutes inveſtigavit, invenit incognitas & in uſus mortalium convertit Floræ noſtræ amor & delicium. Cochleariam Danicam minorem, hoſtem mali inquilini, quod ſcorbutum vocamus & damno noſtro experimur, re potius quam veteri origine notum, in locis patriæ paludoſis cum Parente, heu quondam meo! primus effodit & in lucem protraxit. In hortum Academicum, cui præſidebat, magna cura congeſſit bulbos, ſemina, truncos, & quicquid inter rara vel Creta mittit vel Memphis colit, vel ex Indis miramur, vel inter domeſtica negligimus. Herophili ſectator ſectioni cadaverum impenſè favebat, & quæ apud Præceptores, Platerum, Bauhinum, Aquapendentem, Caſſerium, fidelibus olim, oculis manibusque notaverat, ſine invidia aut oſtentatione, publica eſſe voluit. Nunquam præſentiam ſuam hiſce exercitiis dene-

& tempora obſoleta Daniæ reſtituit, linguam Gothicam, longo ſilentio deperditam, in publicam lucem protraxit, Hiſtoriam patriæ illuſtravit, Heroas oblivione obrutos, quia vate ſacro caruerunt, immortalitati ſuæ redonavit, giganteos Cimbrorum Patres, olim defunctos, in orbis noſtri ſcenam redivivos protraxit. Immortali mehercules nunquamque ſilendo Cimbros ſuos beneficio devinxit *Wormius*, & *Wormium* Cimbri, qui ex ruderibus ſuis reſuſcitati ſibi vitam, *VVormio* famam, patriæ apud omnes gloriam velut poſtliminio procurarunt. Multum me judice & ſupra opinionem magnum cenſetur vitæ aſſuetos ſuæ luci reſtituiſſe, plus tamen eſt & *Dis* proprium, redeunte ſeculo Deucaleonis, ex ſaxis, ex tumulis, ex cineribus defunctos extento ævo provocare, loquentia marmora erigere, & decantatas chartas ſequuturæ morti ſubtrahere.

Wormius noſter, vindex patriæ antiquitatis acerrimus, inter veterum umbras & Runarum occupationes, ita diviſit laborum ſuorum vices, ut qui tacitis ſaxis conſuluit, viventium rationes, cui bono artis ſuæ præſidia ſibi comparaverat, cæteris prætulerit. Fruſtraneo inſtituto tot pede felici abſolviſſet peregrinationes, tot ſtudiorum faſtidia devoraſſet, tanta rerum peritiâ animum inſtruxiſſet, niſi in humanæ ſalutis ſolatium uberrimi fructus ceſſiſſent, proſperæ valetudini conſervandæ & adverſæ reducendæ. Hic Medico poſitus finis, hæc currendi meta, quam qui proximè attigerit, Gallum Æſculapio lucrabitur, & ſufficientiſſime de mortalium merebitur genere. Proſperrimo eventu ſuas in hac paleſtra partes egit *Wormius*, ut fatalem vitæ terminum plurimis viſus ſit arte produxiſſe, præſentem mitigaverit & Charonti millenas animarum vecturas interverterit. Itum eſt ad hunc Æſculapium in conclamatis ægritudinibus, provocatum in dubiis morborum accidentibus, huic vota nuncupata, ubi ope deſtitutis acclamabatur. In conſultationibus perſpicax, certus in prædictionibus, in remediis felix, in ægrorum viſitatione facilis promptusque & in omnibus artis operibus moderatus juxta & prudens. Paria in Prognoſticis cum Hipprocate, in cauſis cum Galeno fecit, cum Scribonio in remediis, ut in ſola *Wormii* præſentia ſpes ægrotantium ſita videretur, morbi terrerentur, fugaretur imminentis mali metus, & cum valetudine tranſigeretur amiciſſimè. Omnes ſibi auxilii ſatis in *Wormio*, & nunquam nimium morborum eſſe exiſtimabant. Parum abeſt, quin pulchrum nobis dicam, hoc Medico

ægro-

ægrotaſſe, per quem ſingulari providentiæ dono mortalibus conceſſum vires maximas Ars & Natura exerceret. Omni ille vehementia aſtutos humanæ valetudinis inſidiatores, morborum cohortes profligavit, ſalutares medicamentorum formulas pro publica indigentia invexit, & nullum non movit lapidem, quo ſive populariter graſſantes affectiones, ſive malignitate contagioſas peſtilentias, ſive infeſtas alias morborum procellas extingueret & inhiberet. Hinc publicæ in uſum vulgi de Scorbuto, Febre maligna, Dyſenteria, Peſtilentia extant Conſultationes, Senioris *Wormii* noſtri ductu & Medicorum Hafnienſium collatâ operâ promulgatæ. Hinc tanta illius cura eluxit in Pharmacopoliorum officinis, preciis conſtituendis, & æſtimandis medicinis, in pompoſis Theriacæ & Mithridatii antidotis componendis, aliiſque ſolennibus Pharmacis, quibus per vices Decani nomine & auctoritate graviſſimè & ſummo judicio præfuit, in novis inveniendis, vel receptis emendandis, vel ignotis inducendis, & hujus ſenſus ſexcentis, quibus & Rem Medicam inſigni acceſſione, & ægrorum ſolacium novâ ſpe auxit.

Dum tanta patriæ & Academiæ ſollicitudine XXX annorum experientia cathedræ ægriſque ipſius fidei concreditis aſſiduè vacabat, de poſteritate per intervalla & negociorum ſpiramenta cogitavit, ne vel famæ ſuæ apud exteros Soles vel ſequentium temporum exſpectationi ulla parte deeſſet, ne quid profuturum aliis lateret, eruditiſſimum calamum & expolitum ad ampla illa ingenii & doctrinæ monumenta implevit, quibus jam magna nominis *Wormiani* immortalitate Arctous orbis ſuperbit. Medicæ artis principia, quæ Inſtitutiones vocamus, ſuccincta brevitate exili opere complexus eſt. Decem & octo Exercitationibus præcipua & alicujus ponderis dubia, inter magnos artis noſtræ proceres controverſa, quæ digna aliquo arbitro & vindice videbantur, ſolvit ingenioſiſſimè, & in nobiliſſimis univerſæ medicinæ argumentis tam nervoſè occupabatur, ut Sylvaticum & Valleſium multis greſſibus ſuperaverit, & demonſtrationum certitudine palmam in hoc pulvere ſit meritus. In graviſſima Hippocratis oracula & Aphoriſticas ſententias breviſſimos Commentarios ad veram authoris mentem conſcripſit. Abſolutam admirandorum Naturæ Artiſque operum in Muſæo congeſtorum Hiſtoriam ſpiſſo volumine contexuit, eorundem Catalogum præmiſit, & ſeparato prælo Murem in Norwegia depluentem abſolvit. Aureum Ariſtotelis, ſive quidquid

quis deniqve auctor ſit, de Mundo libellum aureis notis & elegantiſſimis ſcholiis illuſtravit, mundi applauſu condignis. In Antiquitatibus verò Danicis quid præſtiterit fecunda penna, in recenti omnium hæret memoria, apud poſteros, ſi qui futuri, duratura. Faſtos Danicos iterata diligentia digeſſit, patriæqve ſua tempora ex Runarum traditione reddidit, ſibi æternitatem. Literaturam Runicam repetita editione in literatum ſeculum ire paſſus eſt; ne patriæ noſtræ olim uſitati idiomatis vel conterranei vel peregrini diutius eſſent ignari. Quid Edda, & Scaldri, quid antiqui Gothorum ſapientes carminibus ſuis de patriæ Hiſtoria & Mythologia ſua decantarint, in opuſculo de Danorum Poëſi expoſuit, & in Lexico Runico ſingularum vocum tradidit ſignificationes. Monumenta Runica Daniæ & Norwegiæ immenſo labore conquiſita uno volumine compoſuit, explicuit & ad primos auctores retulit, poſteraque cura exauxit, quæ de monumentis Ströenſi, Trygvaldenſi, Aureo Principis Danorum cornu, in Cimbria non ita pridem eruto, ſparſim & per partes poſteris prodiderat. Seriem Regum Danorum ex antiquiſſimo codice membranaceo Runicis literis exarato duxit, doctisque ſcholiis clariorem dedit. Baccalaureum Philoſophiæ immunitatibus ſuis ſtipatum promulgavit, Lauream Philoſophicam Fratribus Roſeæ Crucis oppoſuit, & Jubilæo Evangelico de fidei ſuæ certitudine, profeſſionis innocentia, & futura beatitudine triumfavit. Superarent iſta omnia fidem noſtram, & credulitatem poſterorum, quibus nominis ſui claritatem tando ſudore, vigilatis noctibus & prompta genii indulgentiâ propagavit, patriæ decus ſuſtinuit, & omnium utilitati conſuluit, niſi nobis eſſet perſuaſum, minora à *Wormio* exſpectari potuiſſe nunquam, qui maximis conatibus par & major omni diligentia, ſuam incolumitatem publicæ ſaluti poſtpoſuit, inſerviendo aliis conſumi maluit, animi ſui imperio & corporis ſervitio uſus, quam inglorios annos inter voluptates & ſilentium tranſigere.

Tot editis bonæ mentis & præclari in publicum affectus documentis, tot meritis inclytus *Wormius*, famæ ſuæ magnitudinem patriæ finibus anguſtiorem, ultra Phœbi limites produxit, & nominis ſui ſplendorem ad remotiſſimos terrarum tractus diffudit. Enimverò non domeſtica tantum juventus tanti Præceptoris ſucco victitavit, ſed ex omnibus melioris orbis partibus præclara ingenia ad audiendum *Wormium*, velut redivivum Coum, concitato ſtudio confluxerunt, quæ & meliora receſſerunt

& docti-

& doctiora, operæque fructum ſuis penatibus reddita longè retulerunt uberrimum. Pro magno Præceptore certare multi, plures vitam eruditionemque imitari, non pauci celebritate ejus adjuti & propria æmulatione inter Eruditiſſimos locum mereri & clariſſimos. Alii amicitiam provocare & exambire, alii cœptam perpetuitate firmare. Præſentes ad oraculum noſtrum concurrere, abſentes conſulere per literas. Sive inquilinos patriæ interroges, ſive advenas audias, qui *Wormii* voces exceperunt, omnes Viri ſtupebant vultum ad gravitatem & antiquam conſtantiam compoſitum, mirabantur incredibilem humanitatem & ſermones inæſtimabiles, nec quicquam apud *Wormium* obſervarunt, quod vel imitatione dignum non eſſet, vel ſenis dignitati. Diſperſos in Europæ provinciis omni doctrina celebres, in ſui amorem cultumque pellexit. Illi per epiſtolas officioſi de cogitatis lucubrationibus, eruditisqve argumentis communicabant conſilia, quorum, niſi nimia prolixitate peccarem, de facili nomina conſignarem: Hi publica *Wormiano* nomine velut floſculis exornabant. Dies me citius quam candidæ animæ deficerent, ſi ſtricta oratione omnes acclamarem, qui *Wormio* noſtro de felici celebritate gratulati ſunt. Nemo Danicam hanc metropolin inſalutato *Wormio* tranſiit, niſi vel literarum imperitus vel feſtinato itinere impeditus. Principes Viri, Legati Regum & Principum, Comites, Barones, Nobiles, Clariſſimi alii maximi, minimi, mediocrumi, ſumma cupiditate *VVormium* inviſebant, de raris Naturæ & Artis, gentium variarum & linguarum ſtatu & condicione ultro citroque collocuturi. Omnibus virtutibus domus *Wormiana* patebat, eruditisque colloquiis cottidie perſtrepebat, quaſi Parnaſſum Muſæ hic ſibi mutatis ſedibus elegiſſent, conſiliis conventibusque Deorum Dearumqve celebrandis dicatum. Inter quos exterorum applauſus, & certantia officia, nec ſiluit patria, nec in amore & ſplendidiſſimi civis favore, aliis quicquam conceſſit. Neque enim honores magni optimis in patria Viris, nec honoribus deſunt optimi Viri, ſicut de Roma ſua Q. Fabius Maximus olim gloriabatur. Erectos omnium animos in *Wormium* cerneres, expanſas ulnas, parata obſequia. In deſperata valetudinum cauſa *Wormio* ſupplicatum, candor in exemplum tractus, vitæ integritas laudata, eruditio inuſitatæ humanitati copulata, ſtupenda fama, perſpecta pietas, & graviſſima Senis ora, cunctorum vicere voluntates, officia, venerationem. Externa quidem plebi blandiuntur, at de internis illi rectius judicant, qui ſupra alios & honorum faſtigio evecti & nativitatis ſorte vulgus ſuper-

greſſi,

greſſi, & ampliſſimis melioris animi bonis inſtructi, ſoli virtuti precium ſtatuunt & merita æſtimare didicerunt. In utroqve felix *Wormius*, & ſucculento animæ domicilio, miti & ad ſerenitatem placido vultu, minorum gentium *Dis* ſe commendavit, & excellentibus interioris pectoris dotibus Maximorum Regum, Principum, Heroum, Cl. Virorum, meruit gratiam & quicquid benè de Republ. meritis tribui ſolet. Bis in naſcentis famæ exordio Philoſophorum Decanus deſignatus primos ſummosque Philoſophiæ honores ſolennibus Academiæ patriæ ritibus, Viris juvenibusqve, laureâ dignis, diſtribuit. Ætate provectior & meritis, ſummum in Academia Magiſtratum ex voto publico quinquies geſſit, & in ultimò vitam clauſit, purpuram ſuam cœlo additurus. Decani in Medicorum Collegio partes decem & quatuor annorum lapſu ſuſtinuit, ex quo ſumma ætate & decrepitâ impeditus Senex, omni merito & encomio antiquior *D. Thomas Finckius*, priori ſeculo libris, hoc liberis ſuis clariſſimus, adhuc XCIV. annorum ſenio vegetus, *Wormii* Socer, Magnorum virorum Pater, Avus noſter, multorum proavus, & nuper Abavus, conceſſo ocio & publicis muneribus feriatur. Canonicis Lundenſibus annumeratus, ſic Sacra Divi CHRISTIANI IV. Majeſtate jubente, hanc Regii favoris clementiam, quam plures fortunæ debent, ſtudio & obſequiis videbatur meruiſſe & publicorum in patriam meritorum æſtimatione. Enimverò tanta in Medico, hoc fiducia, tanta artis peritia, tanta experientiæ exiſtimatio, ut in extremis idem Auguſtiſſimus Rex morienti ſibi adeſſe *Wormium* voluerit, cujus ſaluberrima expertus fuerat conſilia, prompta obſequia & ſubjectiſſimas curas. Huic Æſculapio valetudinem ſuam commiſerat Electus Daniæ Princeps CHRISTIANUS, clementer admiſſo, & indulgentiſſimè ſemper habito. Nec tacenda immortalis Regum Maximi FRIDERICI III., Domini noſtri ſacratiſſimi, in *VVormium* ſine exemplo clementia ſingularis, patriæ Annalibus digniſſima. Infra ſuam Majeſtatem curioſiſſimus Rex & omnium literarum amantiſſimus nunquam putavit inter tot Regni curas & ſceptrorum ſollicitudines, per vices & publicis in Academia Diſputationibus & ſectionibus noſtris in Theatro clementiſſimè adeſſe & ad *VVormianas* ædes Rerum variarum naturæ artisqve copia eleganter inſtructas reviſere. Imperii ſui diuturnitati & proſperitati intereſſe credit Princeps optimus maximus, ſi & literis faveat, & ingenia aliquo in clementia loco eſſe jubeat, præmiisqve ornet, quos Reipubl. ſuæ profuturos cives vel fecit vel invenit. *Ut perſpectior eſſet Auguſti Regis fides*, nunquam dubia

aut

llax, filio *Wormiano M. Wilb. Wormio*, paternarum vir-
ı æmulo, Parentis in Capitulo ſucceſſionem benigniſſi-
ıdulſit. Univerſis Regni Senatoribus illuſtriſſimis, in pri-
ſagno Aulæ Magiſtro *Joachimo Gersdorphio*, & Regio Can-
io Magnifico *Chriſtiano Thomæo Sehſted*, in Regni Senatu
ipibus, preſſioribus *Wormianæ* virtutis & reliquorum Eru-
ım ſpectatoribus arbitrisqve candidiſſimis, Danicæ Nobi-
Generoſiſſimæ tam in deliciis *Wormius*, in oculis, in amore
tuus, ut huic Medicorum Principi ſua ſanitatis inſtrumenta
Deum prudentiſſimè & ſine pœnitentiâ concrediderint. Ita
ıte amore inquilini *Wormium* proſequebantur, colebant
, munera mittebant, deferebant officia, & in uno *Wormio*
ta, quæ Majores amarent, æquales venerarentur. Ne de
ubitemus, ſummo benè actæ vitæ muneratore, in quem om-
iduciam ab incunabulis ad extremum ſuſpirium *Wormius*
ſincerâ pietate calens, ſemper fixerat, apud vos, Auditores,
te, quam curæ Numini fuerit & acceptus. Ut laborum tædia,
honorum ſubinde ſolaretur, ut proſperiore curſu omnia
ıerent, tres Charites *Wormio* ſociatæ, ut poſteritati ſuæ
ata intereſſet, ſobole numeroſa auctam familiam vidit, ut
ıe domeſtica felicitate & publica laude frueretur diutiſſimè,
terminum vivendique ſpacium ad grandem glorioſamque
ıtem protraxit. Magna hæc & ſtupenda Divinæ gratiæ do-
ıta, quibus digni cenſentur, qui ſe *Deo* dignos moribus in-
is, vitæ integritate & recti verique voluntate præſtant. In
ıum *Wormianum* tres Charites deductæ tanto conjugio di-
ıæ, ſive genus ſpectes, inter noſtros præcipuæ, ſive for-
ıulli fecundæ & verè Deæ, ſive denique proprias animi vir-
xpendas, inter omnes ſui ſexus ſuæque ætatis maxime con-
. Per vices, ne erretis aut de *Wormii* caſtitate ſiniſtrè judi-
hæ ſibi ſucceſſerunt, & unius deſiderium altera lenivit,
ıtriusque doloris acerbitatem mitigavit. Prima *Dorothea*
a caſtos junioris mariti amores accendit, altera *Suſanna*
iæ, conſiſtentem ætatem firmavit, tertia *Magdalena Motz-*
ſeneſcentes *Wormii* canos à præcipiti fato retardavit.
ı in amore conjugali pares & officio, impares in felicitate.
ıri ſorte natæ præceſſerunt, ultima infelicitatem ideò ſuam
at, quia ſequi debet, & illius lugere exſequias, qui priores,
at. Vixit arctiſſimâ mutui amoris copulâ cum omnibus,
r maritum & uxores officiis certatum ſit, vixit & elegan-
prole familiam ſuam beavit; Pater *Wormius* decem &

octo liberorum, novem Nepotum Avus, duorum Clariſſimo-
rum Generum Socer. Liberorum maſculi ſexus trium funeri v
vus interfuit & quatuor filiarum. Superſunt filii quatuor in ſpe
patriæ & *Wormiani* nominis robur nati ſurgenteſqve, & ſequi
ris ſexus quinque, quarum binæ ex primo conjugio ſuſcept
Doctiſſimorum Virorum thalamis fecundæ florent, reliquæ
Wormiano ſenio & ſimplici & gemello partu procreatæ à ſupe
ſtite Matre ſanctiſſimè educantur, quæ mœrore juſto afflicta po
bumum fœtum Nixiis *Dis* juvantibus, defuncto heu marito, pr
pediem eſt paritura. Ingens mortalis beatitudinis ſolacium
Wormio Sene excitarunt conjugium beatiſſimum & ſoboles inn
centiſſima, quibus feſſas vigilias, labores fatigatos, publicam
nam ſubinde oneroſam, & ſeniles annorum moleſtias & mille c
ras ſublevavit, donec confectus lucubrationibus, publica ſolli
tudine enervatus, ſatur gloriæ & vitæ longioris, Climacter
magni injuriis ingraveſcentibus, ſtranguriâ moleſtâ ſine calc
metu exacerbata, & febrili æſtu omnem corporis alias vegeti
præter ætatem robuſti vigorem fortiter attentante, inter novi
mos piæ animæ ſermones, inter conjugis mœſtiſſimæ lacrym
dulciſſimorum liberorum ejulatus, amicorum planctus, omni
mœrorem & publicas urbis, patriæ & orbis eruditi commiſer
ones, fractus viribus ſed animo conſtanti & ad immortalitat
compoſito, libens fatum excepturus, Venerandus hic Senex,
operum auctor, ſanitatum aſſertor & vindex, morborum terri
lamentum, ſolacium familiæ, delicium patriæ, amicorum, q
conſtantiſſimè ſemper & ſine fuco coluit, deſiderium, orbis ſtu
& virtutis omnis eruditioniſqve ſubſidium, & ornamentum ſe
li, quo nec præterita ætas majorem habuit, nec parem ſequut
inveniet, meus ille, heu meus ille! quem ſiccis oculis non
mine, *Wormius*, ſine acerbo doloris ſenſu non repeto, ſine ir
parabili damno non defleo, *Wormius* ſexageſimo & ſexto æt
anno, Tarteſſiorum Regis ætatem vivere digniſſimus, pri
Calend. Sept. cIↄ Iↄc LIV. anno urbi populoſiſſimæ peſtifera
cladeqve multorum exitioſo, *Wormio* fatali, omnibus luctuo
mortalem vitam placido ſpiritu finiret, auſpicatus æterna
exuvias corporis tumulo, animam beatam cœlo, famam o
concrederet, & ſui exemplum, in omnem memoriam, quam
virtuti erit precium, Runæ ſupererunt, ſaxa immota ſta-
bunt, marmoribus erit fides & literis erunt literæ,
apud poſteros perennaturum.

DIXI.

I. E

I.

Epitaphium.

QVI. TRANSIS. VIATOR.
CLARISSIMOS. MIRARE. CINERES.

OLAI. WORMII.

SEPTENTRIONIS. MIRACVLI.
ET. FATIS. INDIGNARE.
INVIDERINT. ILLI. QVOD. VITAM.
QVAM. ALIIS. REDDIDERAT.
MORTIQVE. DEDERINT. QVI. REVOCAVIT.
MORITVROS.
HIC. INGENS. NATVRÆ. CVLTOR.
NATVRÆ. CESSIT.
DVRO. PREMITVR. SAXO.
QVI. SAXA. RESTITVIT.
ET. SILET. DISERTVS. RVNARVM. INTERPRES.
INTREPIDVS. VERITATIS. ASSERTOR.
VERVM. CANDORIS. EXEMPLVM.
MAXIMVM. MVNDI. ORNAMENTVM.
ET. ERVDITIONIS. PROMVS. CONDVS.
CVNCTIS. DVM. VIXIT. GRATVS.
DVM. MORITVR. REVIVISCENS.
DA. SACRO. CINERI. FLORES. VIATOR.
QVOS. VIVUS. AMAVIT.
QVOD. ALIIS. DEDIT.
NE. MOLLEM. NEGES. TERRAM.
NE. SAXO. GLORIAM.
NE. FAMÆ. IMMORTALITATEM.
ET. SI. PROPERAS.
NON. HIC. WORMIVM. QVÆRE.
SED. IN. ORBE. TOTVM.

II.

In Opera Runica WORMII.

RUna fatigatæ linquens faſtigia rupis,
 Muta olim, cœpit jam meditata loqui.
Priſcorum pertæſa volant monumenta parentum,
 Saxa per inſuetas ambitioſa vias,
Heic monſtrant Runas, aviæ molimina gentis,
 Illa tenebroſo non peritura die.
Quidquid in æterno reſplendet marmore, quicquid
 Runa per immenſum prodigioſa tulit;
Omne tuum eſt, WORMI, ſecli pars maxima noſtri,
 Te loquitur quidquid ſaxea Runa tacet.

III.

In Muſæum WORMIANUM.

CEpit mente decus quod universi,
 Chartis WORMIUS arctat expolitis,
Muſæo reſerat patente mundum,
Qui famâ volitat per univerſum.

IV.

Runæ planctus.

Andre Orme terer Steen
 Denne Worm holt Runa reen
 Den os hafver gifvet Liif
 Ligger udi Jorden ſtiif
Med ham gik vor Klarhed bort
Runa ſörger og er ſort.

Ad
Panegyrin in Exceſſu Rever. Excell. Viri,
DN. OLAI WORMII, D. M.
& P. Regii in Alma Hafn. celeberrimi, &c.
à
Magnifico Viro,
DN. THOMA BARTHOLINO,
D. M. Anatomico Profeſſore Regio, & Rectore habitam.

NOn *tantum amiſſo plangebat vellere Phryxi*
Colchis, uti Danus Pater *irreparabile* WORMI
Funus. Nil labor, aut fortuna æquale nepotum
Reddet huic: miſeras ſuperamus vulnere Cannas.
Cum Latii ſaxis certavit Cimbrica Runa,
Et ſene jactavit vivo hoc monumenta Gigantum
Quercubus annoſis, lapidique inciſa paluſtri.
Quos olim Boreas *fertur genuiſſe* Cyclopas
Objecit Siculis. Quis nunc veſtigia paſſu
Æquali repetat? comportet ad alta theatra
Romanas aquilas Cimbrorum *ſpolia? Quis nunc*
Colligat Oceani, & telluris viſcera matris;
Aut quæque tractu ſpatioſo protulit orbis?
Corpora corrupto cœli tabentia tactu
Recreet? Inſueta trepidat formidine Phœbus.
Ne tamen inſultet defuncto livida Clotho;
Præcinat Aönidum Pœon BARTHLINUS *Epoda,*
Fatur, & hoc reliqui comitentur carmine cives:
WORMIUS ingenio vivat, ſint cætera fati.

Sic offert Præceptoribus ſuum cultum
MARTINUS BOGDAN,
Driſna Marchicus.

Viro Ampliſſimo, Experientiſſimo;

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,

Rectori Academiæ Hafn. Magnifico,

Anatomico conſummatiſſimo,

Præceptori æternùm venerando,

Beatis cœleſtiſſimi WORMII Manibus parentanti.

MArmore ſubducant alii ſua fata tenebris,
Mauſoliqve rogis, Praxitelisqve manu;
Nos BARTHOLINI Parcis opponimus arma,
Fatorum nullo debilitanda ſitu.
Arma rogas? penna eſt, Phœbéo intincta cerebro,
Lingva eſt, qvam Pallas venditat eſſe ſuam.
Scilicet haud aliis meruit doctoribus uti,
Omnia ſic Numen, qvæ meditatur, habent,
Seu monſtrat populis habitantes viſcera Divos,
Donaqve Naturæ ſemiſepulta prius;
Circinet ut noſtros cruor irremeábilis artus,
Ut chylus axillæ per catadupa ruat,
Qvaliter humanas cryſtallina lympha per arces
Ambulet, Authori gloria rara ſuo.
Sive reſurgentem libet audiviſſe Periclem,
Et flores Tulli, Grajugenûmqve melos;
Ipſe parentanti ſacer auſcultavit Apollo,
Et Muſæ poſitis obſtupuere lyris.
WORMIUS Arctoi decus immortale Bootæ,
Semideos inter dum ſua geſta legit,
Dumqve ità magnifico ſibi fata retexta cothurno
Aſpicit, in Cathedram pæne reſumit iter.
Hanc unam Parcæ contra ludibria clavam
Qvi reperit, Parcæ vicerit ille minas.

l. m. qv. p.

OLAUS BORRICHIUS.

Anno-

ANNOTATIUNCULÆ JO. GRAMMII

in ſuo harum Epiſtolarum exemplo adſcriptæ.

Gualtherus Charlton in Chorea Gigantum (Lond. 1663. in 4to.) dicit, ſe opinionem ſuam & conjecturam ſuperſtruxiſſe iis, quæ ab OLAO WORMIO per literas acceperat. Qv. & vid. *Keisler*.

ad pag. 1.

Chriſt. Bordingii Diſputatio de Humoribus & Spiritibus. Witeb. 1600.

Lin. 17. Is *Magiſter Nicolaus* fuit *Nicolaus Georgii*, a ſtudiis Electo Principi, ad quem legitur Epiſtola *Bertili Canutii* p. 92. Ep. XXXI. Vid. Prinds Chriſtians Liigprœdiken fol. E. III. a. antea Rector Scholæ Soranæ, poſtea Canonicus Lundenſis.

ad pag. 8.

Lin. 10. *M. Bangius* in locum *M. Nicolai*. De his vid. *Paul. Paulſon* in Catal. Aarhuſ. p. 76.

ad pag. 13.

Lin. 32. *Viburgenſis* ut & *Asloenſis*. Vid. Unſchuldige Nachrichten, & Nov. Lit. Maris Balth.

ad pag. 49.

In *Aſſeroi* Inſcriptionibus, ad calcem, exſtat alia *Canutii* Epiſtola ad WORMIUM, longa & memorabilis.

ad pag. 120.

Is *Jo. Andreæ* aliquando fuit Conſtantinopoli, medicinam ibi faciens.

ad pag. 423. & 917.

De *Henr. Spelmanno*, de *Iſ. Peyrerio*, in *Vign. Murv.* T. I.

ad pag. 591.

De hoc *Fleurio* vid. *Puffendorf.* Rer. Svecicar. L. IX. p. 305. an. 1637.

ad pag. 922.

Lin. 33. Socia *Anarck* dicta. *Hvarf.*

ad pag. 1078.

De *Wilh. Langio* vid. Miſcell. Lipſ. T. VII. p. 126.

ad pag. 1106.

Frideric. Klinger Hafniæ adhuc vixit Anno 1649. in Octobri, & Carmen Germanicum hinc miſit, quo *Cæſoni Niſſeno* de Magiſterii honoribus gratulabatur Roſtochii collatis. Invenitur Carmen hoc inter alias variorum gratulationes, junctim impreſſas Hafniæ ap. Georg. Lamprecht. Fuit etiam Hafniæ 1653. d. 10. Nov. quo Carmen Germanicum funebre fecit in Exequiis *Annæ Sophiæ Wintherbergiæ* conjugis *Edw. Kruſe.*

1646. d. 23. Maji *Fridericus Klingerus* Romburgenſis Bohemus, Lipſiæ depoſitus, ex Academia Witebergenſi recta huc venit, ac nomen dedit, (ita in Matricula Acad. ad h. a.)

IN-

INDEX

ctorum virorum, ad quos WOR-MIUS ſcripſit, & a quibus ipſi ſcriptæ ſunt literæ.

ior Numerus ordinem Epiſtolarum, poſterior paginas indicat.

A.

ıs (Auguſtinus) DCCCCXXVIII. 992.
æ (Johannes) CXLI - CXLVI. 120 - 127.
æ (Nicolaus) CCCC. 397.
rmus V. 6.
onius (Bertilus Canutius) XLIII - LVIII. 41 - 51.
nius (Jonas) DCCCCXCVIII. 1102.
ius (Jacobus Matthiæ) DCCLVII - LIX. 781. 782.
ngius (Enarus) DCCCCLXXV - LXXVII. 1069 - 1071.
imi (Torkillus) MVIII. 1113.
imus Jonæ. vid. *Jonæ*.
cus (Fridericus) DCCCLIX. 915.
cus (Henningus) CCCCLIV - LVII. 468 - 474.
nſis (Andreas) LXIII. LXIV. 54. 55.

B.

iſterus (Lucas) DCCXCIX. DCCC. 845.
ıs (Ivarus Johannis) DCVII. 613.
ıs (Nicolaus) DCCLXXX. 807.
olinus (Bartolus) DCCLXI - LXXIX. 784 - 807.
olinus (Caſparus) CXLVII. 128.
olinus (Eraſmus) DCCCCXII - XXVII. 971 - 992.
olinus (Thomas) DCXLIV - DCCXXV. 641 - 752.

Baſileenſes (Decanus & Profeſſores Facult. Medicæ) XXXV. 34. ſq.
Bauhinus (Caſparus) XX XXVIII. 19-28.
Bauhinus (Johannes Caſpari) DXC. DXCI. 598. 599. DCCCXLVII 904.
Beringius (Vitus) DCCLV. DCCLVI. 779-81.
Bertaldus (Franciſcus) DCCCCLXXXI. DCCCCLXXXII. 1074-1076.
Bordingius (Chriſtianus) I. II 1-4.
Bordingius (Laurentius) DCCXXXIX-XLII, 765-768. DCCCX-XIV. 856-863.
Borrichius (Petrus) LXV. 55.
Bourdelotius (Petrus) MIX-MXI. 1114-1117.
Brochmannus (Caſparus Erasmius) XXIX-XXXIX. 28-38.
Brochmannus (Erasmus Johannis) M. 1104-5.
Buchnerus (Auguſtus) DCCCXXV-XXXII. 877-886.
Buiſſon (Dn. du) DCCCCIX. 968. 969.
Burſerus (Joachimus) CCCCXLVIII-LIII. 464-468.

C.

Cabeliavius (Johannes) CCCCII-CCCCXXIV. 398-423.
Canutius (Bertilus) vid *Aquilonius*.
Chanut (Petrus) DCCCCLXXXIX. DCCCCXC. 1091-93.
Chariſius (Petrus) DCCCIX. 855.
Chriſtophori (Abſalon) DCCCCLIX. 1021-24.
Clutius (Augerius) DCIII. 610.
Conringius (Hermannus) DCCCCV-DCCCCVIII. 962-967.
Cuſterus (Henricus) CCCCLXI-DXXXVIII 476-546.
Cuſterus (Henricus junior) DCCCCXLII-XLVII. 1007-1011.

D.

Debeſius (Lucas Jacobi) MXII. 1117.
Dietericus (Conradus) DCII. 609.
Dietericus (Helwicus) DCCCCXXIX-XL. 994-1005.
Dolmerus (Janus) DCCCXLVIII. DCCCXLIX. 904. 905.

E.

E.

annus (Johannes) DCV. 612.
(Johannes) Præpoſ. Fær. CCCLXVII - LXIX.
371. 372.
s (Henricus) DXCII - DXCVII. 600 - 605.

F.

s (Jacobus) VI - X. 7 - 11.
s (Thomas) DCXXXVI. 635.
(Franciſcus de) DLXXXI - LXXXIII. 591 - 593.
(Nicolaus) XI - XIX. 11 - 19.
hriſtianus) de Kragerup LXXVII. 64. CCCXCVII.
94.
us (Henricus) DXXXIX - LXXIV. 546 - 582.
us (Thomas) DCVI. 612.

G.

us (Petrus) DCCCCLXIV - LXVI. 1029 - 1035.

H.

ordius (Bibliopola) CXLVIII. 128.
muller (Caſparus) DCCXLIII - XLV. 768 - 770.
dus (Torbernus) CCCLXX - LXXII. 373. 374.
s (Achilles) Comes DCCCCXCI - XCV. 1093 - 99.
s (Conradus) MXXX. 1130.
s (Georgius) DCCXXVI. DCCXXVII. 753 - 755.
s (Georgius) DLXXXIX. 597.
s (Johannes Daniel) MIII - MV. 1108 - 1110.
f (Joh. Melchior) DCIV. 611.

I.

s (Ægidius) DCCXXXVIII. 762. ſq.
(Chriſtianus) Superint. Burglan. CCCCXLVII. 463.

Johannis (Chriſtophorus) DCCCXXXIV. DCCCXXXV. 889. 890.
Johannis (Margareta fil.) DCXXXVII. 636.
Jonæ (Arngrimus) Islandus CCCXIV - CCCL. 293 - 350.
Jonæ (Runolphus) Islandus MXXIX. 1130.
Jonæ (Sveno) Islandus DCXVIII - DCXXXV. 624 - 635.
Jonæ (Trebonius) Islandus DCCCCL - LIII. 1013 - 1015.

K.

Klingerus (Fridericus) MI. MII. 1106. 1107.

L.

Laet (Johannes de) DCCLXXXI - XCVIII. 808 - 844.
Langius (Wilhelmus) DCCCCLXXXIII - LXXXVIII. 1076 - 91.
Langlotius (Joël) DCCCCLX - LXIII. 1024 - 29.
Longebechius (Andreas) LXII. 53.
Lyſerus (Wilhelmus) DCCCL - LVI. 905 - 911.

M.

Magni (Benedictus) Islandus DXCVIII - DCI. 606 - 609.
Magni (Gislaus) Islandus DCCCI - VIII. 846 - 855.
Magni (Jonas) Islandus DCVIII - XIII. 614 - 618.
Matthiæ (Jacobus) vid. *Arbuſius.*
Mercator (Nicolaus) DCCCCLXXX. 1073. ſq.
Meurſius (Joannes) CCCCLVIII - LX. 474. 475.
Möinichen (Henricus a) MXXXI. MXXXII. 1131. 1132.
Morſius (Joachimus) CV. 94.
Moth (Paulus) DLXXV - LXXIX. 583 - 589.
Motzfeldius (Henricus) DCCCXV - XXIV. 863 - 877.
Motzfeldius (Johannes) DCCCCXLVIII. DCCCCXLIX. 1011. 1012.
Mullerus (Joannes) MXXXIV. 1134.

N.

Narſſius (Joannes) CCCXCVIII. CCCXCIX. 395. 396.
Naudæus (Gabriel) DCCCXLIII - XLVI. 898 - 903.
Nicolai (Envaldus) vid. *Randulfus.*

O.

ſerius (Carolus) DCCXXIX. DCCXXX. 756. 757.
ai (Severinus) CCCLXXIII. 375.
avius (Magnus) Islandus CCCLI-LXVI. 351-370.
lavius (Stephanus) Islandus DCCCCLXXVIII.
DCCCCLXXIX. 1072. 1073.
ttonis (Gislaus) Epiſc. Skalholt. DLXXXIV-DLXXXVIII.
594-597.

P.

alatinus, vid. *Tercejus.*
aſchaſius (Henricus) CCCLXXVII. 379.
aſchaſius (Nicolaus) Epiſc. Bergenſ. LXVI. LXVII. 56.
auli (Simon) DLXXX. 590.
eyrerius (Iſaacus) DCCCLX-XCVII. 916-957.
ozzo (Caſſiano dal) p. 567.

R.

landulfus (Envaldus Nicolai) DCCCXXXIII. 887. ſq.
eutherus (Erasmus) LXVIII. 57.
Rhodius (Ambroſius) DCCLI-LIV. 776-779.
Rhodius (Johannes) LXXII-CIV. 59-94.
Roſæcrantzius (Georgius) MXXXIII. 1133.
Roſæcrantzius (Oligerus) LIX. 51.
Roſæcrantzius (Palæmon) CCCCXXV. 423.

S.

aurius (Joh. Conradus) DCCCCXCVII. 1101.
cavenius (Laurentius) XL-XLII. 39-41.
cavenius (Petrus) DCCCCXCVI. 1100.
culonius (Thorlacus) Epiſc. Holenſ. CVI-CXL. 95-120.
everinius (Fridericus) LX. LXI. 52. 53.
everinus (Marcus Aurelius) vid. *Thurius.*
kelderupius (Joannes) CCCCI. 397.
kelderupius (Petrus) Epiſc. Nidroſ. LXIX-LXXI. 58. 59.
letzerus (Johannes Fridericus) DCCCCLVIII. 1020.
pelmannus (Henricus) CCCCXXV-XLI. 423-457.
pelmannus (Johannes) DCCLX. 783.

Sper-

Sperlingius (Otto) CCCLXXXV-XCVI. 385-394.
Stephanius (Stephanus Johannis) CXLIX-CCCXIII. 129-293.
Stougardius (Chriſtianus) CCCLXXIV-LXXVI. 375-378.
Svabius (Jacobus) CCCCXLII-XLVI. 457-463.
Svaningius (Johannes) Præpoſ. Samſ. DCCCCX. DCCCCXI 970. 971.
Svenonius (Brynolfus) Epiſc. Skalholt. DCCCCLXVII LXXIV. 1036-68.
Svenſtrup (Janus Petræus) MVI. MVII. 1111-1113.

T.

Tercejus (Johannes) Palatinus DCXIV-XVII. 618-624.
Thuillerie (de la) DCCCXCVIII-DCCCCII. 957-961.
Thurius (Marcus Aurelius Severinus) DCCCLVII. DCCCLVIII. 911-915.
Timerman (Joachimus) DCCXLVI-L. 770-776.
Tornius (Ericus) DCCCCXLI. 1006.
Tot (Birgitta) DCCCCXCIX. 1102. ſq.
Toxotius (Andreas) III. IV. 4-6.

U.

Ulfeld (Laurentius) DCCCCLIV, LVII. 1015-1020.

V.

Vegnerus (Thomas) Epiſc. Stavangr. CCCLXXVIII-LXXXIV 379-384.
Veslingius (Joannes) DCCCCIII. DCCCCIV. 961. 962.
Weſthovius (Willichius) DCXXXVIII-XLIII. 637-641.
Windingius (Petrus Pauli) DCCXXVIII. 755. ſq.
Winſtrupius (Petrus) DCCXXXI-XXXVII. 758-762.
Vintimiglia (Angelicus Aproſius) DCCCXXXVI-XLII. 891-897.
Wormius (Wilhelmus) MXIII-MXXVIII. 1117-1130.

D. OLAI

D. OLAI WORMII
ET AD EUM
DOCTORUM VIRORUM
EPISTOLÆ.

I.

). CHRISTIANUS BORDINGIUS
D. Olao Wormio.

lafniam.

QVod nihil à me literarum menſtruo hoc ſpatio acceperis, mi Wormi, id neqve oblivione tui & aliorum amicorum communium, neqve mea incuriâ factum exiſtimes, rogo. Pauci enim prætereunt dies, qvibus non aliqvid vel de te, vel de optimis iſtis viris, *DD Rhumanno* & *Bieſchio*, Profeſſoribus clariſſimis, qvorum tu jam domeſtica con-
rſatione frueris, cum *Magiſtro Nicolao* loqvar, vel cum
idioſis, nobis in familia Principis adjunctis. Qvid autem
s illic agatis in Muſarum negotio, planè neſcimus; nec de
omotione Magiſtrorum, qvam propediem fore ſperamus,
icqvam ſciviſſem, niſi obiter inter colloqvendum mihi indi-
ſſet Paſtor noſter Dominicalis, *Dn. Chriſtianus Laurentius* in
rkeröd, qvi ad eam ſe etiam invitatum non obſcurè ſignifi-
vit. Si per negotium potuero, iſtum videbo actum, in patria
item ſemel, qvem toties apud exteros. Non dubito, qvin
ges ſumtuarias etiam huic præſcripſerint Domini Profeſſores;
in ritibus ſolitis aliqvid præterea immutarint, qvod priſcæ
ignificentiæ obſit, lubenter ſcirem: Tu ea docere poteris, ſi
itiſper à ſtudiis avocari te pateris, donec ad me tria verba. In-
lumem rediiſſe *M. Canutum Bieſchium*, ex literis amici cujuſ-

dam percepi: Motus iſte ſeu aëris mutatio multum ſine dubio profuit, qvo ſerenius adhuc cœlum, & mutationes ferè nullæ, qvæ dyſcraſiam excitarent in infirmo. Firmabitur indies poſthac, Dei benignitate, valetudo illius: Saltem benè ſperet, & de uxore domum ducenda ocyus cogitet. Rei familiaris jacturam faciet, ſi in annos hoc negotium diſtulerit. De *Dn. M. Rhumanno* idem ſentio, non ſcribo tamen, tibi intelligenti.

Manuſcriptum libellum tuum mihi nuper communicatum, tibi remitto bonâ fide, & gratias ago maximas. Si qvid tale apud me noveris, id jure tuo repoſcas obſecro. *Mercurialem* tuum & *Ferrarium* ipſe, cum venero, tibi reſtituam. De Bibliotheca *Dbct. Andreæ Cragii* ſi qva noveris, mecum communices obſecro; ſi omnes uni & ſimul vendere uxor voluerit, emtorem vix inveniet; ſin diſtrahi permiſerit, ex noſtro ære aliqvid fortaſſe obtinebit. Clariſſimis Dominis hoſpitibus tuis ſalutem officioſiſſimam dicere ne graveris. Tu ipſe vale, & cum famulo, niſi moleſtum, reſcribe. Hörsholmii 25. Septembr. 1610.

II.

D. CHRISTIANUS BORDINGIUS *Olao Wormio.*

Londinum Anglorum.

DEſes fortaſſe tibi in ſcribendo videar, mi Wormi amiciſſime, qvi ad literas tuas, amoris & officii plenas tam diu conticuerim, ſed excuſet me turbulentus patriæ noſtræ ſtatus, qvi & meum & bonorum omnium jamdiu inqvietavit animos, immemoremqve me fecit Muſarum & mei, & meorum ferè omnium. Is nunc tandem Dei opt. max. clementiâ, & Sereniſſ. Regis Angliæ conſilio & prudentiâ ſedatior factus, pacis & tranqvillæ vitæ commoda polliceri nobis videtur. Pacis authores, poſt Deum, fuerunt Legati Anglici ad nos & Succos miſſi, qvi licet utrinqve magnas difficultates invenerint, in tam arduo negotio, honeſtis tamen conditionibus Danos & Succos, avaritiâ nec optima fide unius *Caroli* diſtractos, rurſus in concordiam reduxerunt priſtinam. Amiſi ego hoc biennio ex Eqveſtri ordine fere omnes eos, qvibuscum mihi aliqva neceſſitudo, & qvorum amorem ac benevolentiam mihi in ſtudiis apud exteros conciliaram,

arum. Flos Danicæ Nobilitatis hoc bello periit, ſuperſunt iles, ſuperſunt arida folia. Accidit, qvod proxime non ſine ectu ſcribis *de Roſenſparo* meo p. m. *Alba liguſtra cadunt, cinia nigra leguntur*. Sereniſſimum Regem noſtrum tot tanqve periculis ſalvum & incolumem ereptum, qvis non mire? cum in omni conflictu primus fuerit & ultimus. Singularis te protectionis Divinæ exemplum eſt, qvod utinam intelliget, qvi omnia ſuis adſcribunt viribus. Sereniſſ. Principis gliæ mors immatura Regem noſtrum valde commovit; Sed s Deo à conſiliis? Veneni ſuſpicionem hominum animis rimè exemerunt Clariſſimi Medici, qvi defuncti cadaver rarunt, inter qvos primus *Turqvetus* noſter. An apud illum at adhuc & medicinam faciat *D. Rotmundus*, ſcire cupio; tu certiorem facias, & utrumqve meo nomine ſalutes officioſiſè, rogo. Utriqve ſcripſi ante ſemeſtre, incertus an illis ditæ ſint literæ. Nova hic, qvæ tibi ignota, nulla arbitror. *Bartholinus* Profeſſor duxit uxorem, filiam *D. Thomæ ckii* natu maximam; proximam ducturus eſt *M. Elias Eiſengius* Profeſſor Pædagogicus, qvi defuncto *M. Canuto Bieſebio* ceſſit. Clariſſimus *D. Gellius* communis amicus noſter & liſſimus (dum fata Deusqve ſinebant) ante menſes tres catar. ſuffocativo, poſtqvam qvatriduum tantum decubuiſſet, exctus eſt, magno bonorum omnium & Academiæ totius cum tu. In illius locum nondum ſuffectus eſt alius. In *Bartholinum* tamen communis conjectura & calculus incidit: nec aptio facilè invenient alium. Me qvod attinet, in Aula ſum, adhuc annes in eodem, (ut tecum liberè jocer ſermone vulgi) ne bonis eccleſiaſticis, qvæ mihi proximis literis tuis ſalſè tilaris, auctior aut ornatior factus, neqve, qvod fortuna i iſti putant, uxorem duxi, neqve de ducenda cogito. A gia Majeſtate nihil hactenus petii, neqve volui qvicqvam ter deputatum, hoc rerum ſtatu turbido, cujus exitus ante ſeptimanas ſatis fuit incertus & dubius. Si Regi Clementiſſio noſtro qvid humani in bello accidiſſet, aut in ipſius abſen Principi meo, qvis ego in Patria? noſti illorum in noſtrum linem animos, qvi omnia ſuo pro arbitrio. Aulæ mores jam vi; ad illos ſæpe ſurdaſter ſum, ſæpe lippus; occalluit ani. s penitus. Sapientem ferre oportet, qvæ mutare non poteſt. longior jam ſum, qvam conſtitueram.

Unicum hoc addo, inter amicos & συμπατριώτας meis, qvem ſincerius colam, qvàm te, mi *Wormi*, & cujus ingenio magis faveam, qvàm tuo, eſſe neminem: & hoc tibi perſvadeas volo, me nihil unqvam, qvod tibi honori & emolumento eſſe qveat, intermiſſurum. Vale & me ama, ut te ego planiſſime; ſi qva etiam data fuerit occaſio, reſcribe. Dab. in arce Cronebur-genſi poſtrid. Purificat. B. Virginis ann. 1613.

III.

ANDREAS TOXOTIUS

D. Olao Wormio

Salvere & rem bene gerere.

Hafniam.

UTer noſtrûm, Vir Clariſſime, alterum negligentiæ incuſet, apud me incertum; qvo enim jure me ἀκροαηγορίας inſimulaveris, eodem te condemnabo crimine. Notum, qvod inter nos, cum Lutetiæ Pariſiorum, tum Hamburgi initum ſit amicitiæ fœdus, quod ut nobiscum una intereat, exopto unicè; per me ſanè non ſtabit, qvin ſartum tectum idipſum ad ultimum vitæ halitum ſit futurum. Verum enim verò tibine an patriæ potiùs Academiæ gratuler, inſcius pæne ſum, qvippe cùm patrium per te Athenæum tam præclaro atqve perito ſit dotatum Symmyſta, tuqve viciſſim tam eximio ſis munere atqve officio abunde condecoratus. Macte, Vir Ornatiſſime, patriumqve Lycéum multijugâ tuâ eruditione rarorumqve experimentorum theſauro exorna, illuſtra, amplifica. Porrò, ex aliorum didici relatione, te, poſt ultimum inter nos Hamburgi habitum colloqvium, apud Britannos majorem peregrinationis tranſegiſſe partem, ibiqve experimentorum in arte Medica collegiſſe cornucopiæ, ex aſſidua cum viris doctis, terram illam incolentibus, familiaritate. Nullus ambigo, qvin inter hos fuerit *Majernus* ille *Turqvetus*, Vir in re Medica ſagaciſſimus, nemini facile ſecundus. Sanè dictus *Turqvetus*, dum Lutetiæ vixi, mihi ſæpe numero *ſpagyricum* oſtendebat *Diſpenſatorium*, cujus ſub prælo tum temporis moliebatur editionem. Scire eqvidem cuperem, num publici dictum opus juris eſſet factum, qvod vel maximo comparandum

cenſe-

transferem. Adhæc *Jacobus Guilmeus*, Regius apud Pariſienſes Chirurgus, ſub eandem tempeſtatem emendatiorem magisqve adauctam operis ſui Chirurgici editionem parturiebat, qvæ ſi ad oculos pervenerit tuos, fac me certiorem. Semper a teneris Chirurgico deditus fui ſtudio, & etiamnum undiqve colligo & corrado qvoslibet: qvotqvot autem invenio, vel in methodo, vel artis pragmatia poenitendos committunt hinc inde errores. Optandum unicè, facultatem tandem illam certâ theorematum methodo nec non tutis pharmacis inſtructam in publicum, communi bono, prodituram. Liber inſuper ante aliqvot annos eſt editus, cui hic præfixus titulus: *Lampas vitæ & mortis, omniumqve graviorum in homine παθῶν Index* &c. *Lugduni Batav.* qvem ſi tua Bibliotheca habet, fac mihi ejus copiam, per menſtruum ſaltem ſpatium, & ſartum tectum ad te remittam. Si qva in re tuis Muſis meæ in hiſce locis reculæ ſubſervire poſſint, me ad qvævis habebis paratiſſimum. Meus enim in te is eſt, ſemperqve per non interrupta temporum intervalla futurus eſt animus, qvem vis & cupis maximè. Harum exhibitoris Muſas ſi qva ratione dirigere atqve ſublevare poteris, mihi nihil feceris gratius; in eum enim qvod confertur, mihi præſtitum agnoſco. Vale & vive, ſvaviſſime Wormi, diu ſoſpes & incolumis, meqve tibi ac tuis Collegis, inprimis *Finckio*, *Bartholino*, atqve *Longomontano* habe commendatiſſimum, qvi omnes ex animo colo, amo ac obſervo. Dabantur Neapoli Falſtrorum ſub 1. Maji 1614. calamo tumultuario.

IV.

OLAUS WORMIUS

D. Andreæ Toxotio.

UT hanc, affinitate mihi junctam, ſine meis ad te diſcedere paterer, nec amor mutuus, nec neceſſitudo & familiaritas, apud exteros contracta, & hic aliqvoties refricata, permittit. Huc accedit, qvod, cum nuper forte fortuna incidiſſem in Epiſtolam, â Clariſſ. *Guilhelmo Fabricio Hildano* inſcriptam tuis *Lyckiis*, in qva, præterqvam qvod tui mentionem injiciat honeſtiſſimam, ſe ſtructuram oculi humani, artificioſe compactam, iis dono mittere declarat, te ea adhuc frui conjectabam.

Hinc factum, ut, cum ſimile qvid apud Clariſſ. *D. Caſpar Bauhinum* me qvondam vidiſſe meminerim, miro ejus jam re dendi tenear deſiderio. Qvocirca, ſi ejus tibi adhuc ſit cop ut, commoditate oblata, mittere haud graveris, etiam at etiam rogo; faxo, ut, omnibus illæſis, ad te redeat. Si q ſit, qvo tuis viciſſim inſervire valeam ſtudiis, impera modo, & ne mora in promtu erit. Te Daniæ noſtræ Machaonem rara q dam, longo uſu & manuali experientia, in Chirurgicis mol auguror. Certè nobiliſſima hæc Medicinæ pars, ut ab im ſturis & carnificinis Barbitonſorum noſtrorum per te vindice efflagitat Me tum curæ Academicæ, tum ægrorum inter bationes diſperſa Sibyllæ folia recolligere vetant. *Chirurg Aqvapendentis operationes* ſi tibi non diſplicuiſſe audiam, qvod mihi gratuler; nec dubito, qvin, cum earum tibi uſus fuerit neceſſarius, cum fido nuntio ſis remiſſurus. Vale. 161

V.

OLAUS WORMIUS
N. N.

TRiſtiſſimas tuas, una cum adjuncto faſciculo ad Patr 26. Novembr. Anni 1615. (qva die nuptias cum lect ma mea Conjuge celebravi) & cum tabellione Marpurgico jam demum ex verbis tuis colligo) huc miſſas, 26. Febr Anni hujus 1616 tandem accepi. Ipſa enim hac luce acc ad me dromo qvidam, qvi haſce in arce repertas detulit, ſe ig rare faſſus, unde vel à qvo miſſæ. Qvocirca cur iis antea non ſponderim, haud miraberis. Certè enim ſcio, te ex iis, c cum tuo tabellione ad te dedi, collegiſſe, nec mihi tuas nec cero meo eſſe traditas. Verum commodè accidit, qvod jam acceperim; unicus enim ſaltem ex Mercatoribus noſtris reſta qvi ad nundinas contendebat, cum qvo tuis reſpondere n tiumqve commiſſum expedire poſſem. De literis oppor tradendis Pro-Regi, fruſtra jam mones; ante aliqvot enim m ſes, me inſcio & triſtem hunc caſum rumore vulgi percipie ei redditæ ſunt. Sed nihil eſt, qvod verearis; nam præter op onem adverſa hæc fert. Nec tibi vel minimum ab ipſo in tatum unqvam ſubolfeci. *M. Johanne Michaelio* ad Munus C

ci

iatoris Aulici evecto, à nobis ad Pædagogicam profeſſionem atus eſt *M. Joannes Dionyſius*, Gieſſæ jam degens, cui ſi qvid :ris, forſan tuto committere poteris. Semina enim & bulqvosdam rariores ad hortulum meum excolendum ſummè igitarem. *M. Nicolaum Paſchaſium*, Paſtorem Eccleſiæ amenſis ad Epiſcopatum Bergenſem promotum iri certo aſſet omnes. Frater *Johannis Rhodii* ante aliqvot dies febre maia hic ſubito extinctus eſt. Nihil hic præterea novi. Apud s adeo florere Medica gaudeô. Collegio *Hartmanniano* ne ommittas, niſi prius de pretio conſtet, moneo. Experto lo Ruperto. Forſan idem jam vobis vendet, qvod magno qvondam ab ipſo redemimus. Si qvidpiam, qvod alicujus menti ſit, ab ipſo ſis habiturus, ut gravis auro ſit tibi dextra, eſſum eſt. Unum eſt, qvod monere volui, ſi familiaritai cum Pharmacopæo qvodam inire poſſis, à qvo & ſimplicia nia, in officinis uſitata, oculari demonſtratione diſcas, & :ſcripta Medicorum cognoſcere qveas, hanc occaſionem ne lexeris. Sed ſcribendo longius opinione excurro. Si qvid 'i ſit in Nundinis, qvod ad noſtra ſpectat ſtudia, illud te ıi miſſurum confido. Vale. Hafn. ea ipſa die, qva tuas acce. Anni 1616.

VI.

OLAUS WORMIUS

Jacobo Finckio.

Oſtqvam Arhuſia, qvò cum uxore amicos inviſendi cauſa conceſſeram, rediisſem, tuas inveni, ad ædes meas a falo *Claudii Condewin* deportatas, ex qvibus variis de rebus tiorem me redditum eſſe gaviſus ſum; qvocirca ſi te noſtras arem, lege talionis me reum haud injuria ageres. Parentes ur tuos ex votis vivere & valere ſcito, & me mediocri, ardous tertianæ extinctis, qva per ſex ſeptimanas & ultra detiıar, cum uxore & amicis reliqvis, jam frui valetudine gau-. Nova, apud nos geſta, qvæ te ignorare arbitror præci-, ſtrictim & breviter ita cape: Cancellarius Regis *Chriſtia-Friſius*, ex Comitiis Norvagicis mortuus rediit, nec qvis ı ſit ſuppleturus locum, ſcitur. Qvanta hic rerum viciſſi-

tudo ſit conſecutura, ipſe colligere vales. *M. Johan. Canutius*, Epiſcopus Fionenſis, in publicis Comitiis, à qvatuor Regni Conſiliariis & reliqvis Epiſcopis, ob libros, religioni noſtræ contrarios, qvos Paſtoribus commendaverat, & verba qvædam, contra Ordinationem Regiam prolata, Epiſcopatu mulctatus eſt. Ejus partes agit *D. Johannes Michaelius*, qvi una cum *D. Nicolao Paſchaſio*, ad Epiſcopatum Bergenſem evecto, hic Gradum Doctoratus in Theologia aſſumpſit. *M. Matthias*, qvi Paſtor Eccleſiæ ad D. Nicolaum erat, Concionatoris Aulici fungitur munere. *M. Bangius* in locum *M. Nicolai*, Præpoſiti in Samo noſtra, ſuccedit. Qvis ad Spir. S. Divinis ſit præfuturus, certò non ſcitur. Epiſcopum Wiburgenſem de vita periclitari percepi. Hæc in Eccleſiaſticis nova. In Politicis non minores ferè accipies rerum viciſſitudines. Admiralius regni *Magnus Ulfeld*, Empirici cujusdam, ex Germania huc vocati aureosqve montes pollicitantis negligentia periit. *Axilius Brahe*, *Prebernus Güldenſtern* fatis nuper conceſſere. *Mandrupius Pasberg*, qvamvis ut ferunt ſexagenarius ferè, ſecundas nuptias Arhuſiæ celebrandas meditatur. Verſus Indiam orientalem iter inſtituere meditantur mercatores noſtri, qvibus ope haud deeſt Rex noſter Sereniſſimus. Viam monſtraturus eſt Belga qvidam, multorum Amſterodami degentium huc eum in finem ablegatus conſiliis. Programmata per totum Regnum ſparſerunt, qvibus omnes Nobiles, Literatos & ignobiles ad hoc iter expediendum invitant, eventum Deo committunt. In Academia omnia exoleta, præterqvam qvod *M. Petrus Kerulius* (*Jano Dionyſio* excluſo) *D. Joh. Michaëlio* ſucceſſerit. Te ſingula, qvæ apud vos aguntur, communicaturum non diffido. Si qvid de *Fratribus Roſeæ Crucis* certo perceperis, indica, ubi ſint, qvi ſint, an ex eorum ordine (ut narrant) Princeps Veſter, & ſiqvid, qvod publicis ſcriptis (qvæ ad nos pervenerunt) non innotuit, habeas, expedi. Alteram *Noſologiæ Petrei* partem avidus exſpecto; non ſine ſolutione mittes. Ordinarium mearum Diſputationum mitto ſpecimen, qvod boni conſulas, peto; in qvo mori Academiæ noſtræ multum tribuendum eſſe agnoſces. Aliter voluiſſem, ſi licuiſſet. Salutat te Socer, uxor, reliqvique amici. Tu meos ibidem ſalutare haud negligito. Omnium rerum viciſſitudinem exſpectans, te valere jubeo. Hafniæ 18. Auguſt. An. 1616.

VII.

VII.

OLAUS WORMIUS
Jacobo Finckio.

Vem miſiſti Horti veſtri Catalogum, accepimus, mi Fincki; qvo circa, ut ipſi *Jungermanno* gratias habemus, i non minores pro præſtito procuratoris officio referendas noſcimus. Me certe qvod attinet, ejus ſum animi, ut m prætermittam occaſionem, qva omne, qvod tibi uſui oſſit, promoveam, & expetita expediam. Tam publica àm privata tranqvillo verſantur in ſtatu, nec memorabile vam occurrit, qvod hiſce referam, niſi qvod in Amagria, ea qva urbem ſpectat, emporium novum, aggeribus ac ſtrenue muniendum, ac ponte Hafniæ jungendum, moir; cui rei perficiendæ operas ſuas Nobiles qvam plurimi, civibus ditiores, ita condixerunt, ut, intra qvadrienniad optatum ſcopum illud perducturos ſe ſperent: Si qvid atribus *Roſeæ Crucis* apud vos novi, illud data occaſione atum cuperem; Mira enim de iis, hic apud Nos, tam tis publicatis, qvam fama, perferuntur. Hiſce vale, at te officioſe uxor. d. 6. Jan. Anni 1618.

VIII.

OLAUS WORMIUS
Jacobo Finckio.

unda admodum mihi fuit relatio tua de deliro illo *Hieroſomitano Rege*, qvem ſi pro Anteſignano agnoſcant fraterculi *rucigeri*, ex eo, qvid de reliqvis ſentiendum, abunde colli. Interim, qvid de eo factum, qvidve apud Vos molitus ſit, erem: an ubi terrarum reperiatur novum Collegium inerit, an qvosdam in ſuam ſocietatem pertrahere conatus t, qvæſo proximis indica, vel, ſi viſum fuerit, coram expone, munus Decanatus cum impoſuerit Facultas Philoſophica, vi, ad proximum Paſcha, ſolennem Magiſtrorum promon adornare, cui ſi intereſſe placuerit, res eò ſunt dirigendæ,

ut ad dictum tempus te hic ſiſtere valeas. Id qvoqve aliis popularibus, qvos hoc gradu dignos duxeris, ſi indicatum iveris, rem mihi feceris gratiſſimam. Parens noſtrique omnes, Dei beneficio, valemus. Magnificus Rector, Affinis noſter, *Bartholinus*, prole maſculina factus auctior. in Principe curando jam occupatur. Academia noſtra Collegio novo, in qvo, Qvadra Regia qvi vivunt, ſimul cubent & habitent, brevi exornabitur. Ædes, cum in finem coemptæ, in hunc uſum qvam primo accommodabuntur. Novi præterea nihil. Salutat te uxor, noſtriqve omnes. Vale feliciſſime. Anno 1618.

IX.

OLAUS WORMIUS

Jacobo Finckio.

Literas tuas, Affinis ſvaviſſime, non ita pridem accepi, ex qvibus, ex duabus oblatis functionibus Aulicam Academicæ te præferre, colligere mihi videor. Et qvamvis utraqve talis ſit, ut te & honeſto loco collocare, & aditum ad majora præbere valeat, Academicam tamen amplectendam putavi, tum qvod qvietior, tum qvod minoribus periculis expoſita eſſe videatur. Penes te autem erit, cum veneris, illam, qvam rebus ac ſtudiis tuis magis commodam judicaveris, eligere. Cum enim omnino te revocandum voluerit Magnif. Dom. Cancellarius, adventum tuum ſollicite exſpectamus, ac ne qvid detrimenti in mora eſſet, hunc eo ſolo nomine ad te ablegavit Parens, ex cujus literis, ſororem M. Johanni Eraſmio deſponſatam eſſe, te percepiſſe autumo. Novi præterea, qvod ad nos ſpectet, nihil. Hoc ſaltem rogo, negotium præſens commendatum tibi eſſe ut patiaris, cum tale ſit, qvo & patriæ, & Magiſtratui, & Parenti ac amicis, & tibi ipſi commodo, uſui, gaudio & emolumento eſſe poſſis. Affini *D. Bartholino*, 2. Aprilis, natus eſt filiolus, qvem hodierno ſacris initiari curarunt. Vale, atqve fac, ut te qvam primum videamus. 1622.

X.

X.
JACOBUS FINCKIUS
D. Olao Wormio.

MEmini eqvidem, Vir Clariſſime, Affinis exoptatiſſime, & ſatis memor ſum tum officiorum tuorum ſingulorum, tum ſvaviſſimorum colloqviorum, qvibus benevolum tuum & meæ promotionis cupidiſſimum animum ſatis ſuperqve declaraſti. Memini inſuper, qvid de longiore ab exercitiis Academicis abſentia, & aliis inſuper ſtudiorum impedimentis conqveſtus ſum, & propterea me, ſi negotium Sileſicum minus ſucceſſiſſet, in angulum qvendam me abditurum, ubi præterita recolere, oblita repetere & qvaſi proprium examen inſtituere poſſem. Et qvamvis tempus illud, qvod peregrinationi impendi, inutiliter haud triverim, ſed aliis ſtudiis impenderim, tamen ſi Academicum aliqvod munus ſubeundum mihi eſſet, volui ad hoc me prius præparare. Sed certè qvidnam jam conſilii capturus ſim, hæreo. Non parere conſiliis veſtris, contumaciæ & inobedientiæ inſtar erit. At imperata facere, confidentiam aliqvam redolebit. Scio enim, me omnium exſpectationi & votis jam non ſatisfacturum, & mallem emori, qvam provinciam aliqvam cum dedecore in me recipere. Nec adeò honorum ſum avidus, ut vel minimam propterea exiſtimationis jacturam facere vellem. Utinam ſaltem apud Dominos Profeſſores commodè ſine offenſa me excuſare poſſem, qvorum qvia vos pars magna eſtis, id ipſum facilè efficietis. Interim, ſi altera commoditas, cujus parens meminit, ſe offeret, eqvidem non abhorreo aliqvot adhuc annos ſtudiis & laboribus impendere. Interim te Deo Opt. Max. cum Conjuge & liberis amiciſſimé ſalutatis, & me tibi atqve omnibus bonis volo commendatiſſimum. Dabam Francofurti ad Oderam An. 1623. 26. Jan.

XI.
OLAUS WORMIUS
Nicolao Foſſio.

MUtuis amoris & candoris officiis ni reſponderem, næ omnium eſſem ignaviſſimus. De iis igitur, qvæ apud nos

nos geruntur, ſic habeto. Totis viribus in nova urbe condenda in Amagria incumbunt noſtri. Pontis, qvo urbi noſtræ conjungetur, jacta ſunt fundamina. Civibus & Nobilibus aſſignata ſunt domiciliorum loca, intra biennium ædificiis condecoranda. Qvin is, qvi munitioni præeſt, ingenti operariorum caterva foſſas & mœnia ſtrenuè aggreſſus eſt. Adeo undiqve fervet opus, ut totam Hafniam eo convolaſſe jurares. Naves, qvæ in Indiam Orientalem ſunt ituræ, omnibus neceſſariis inſtruuntur. Comites iis adjicientur ex Regiis qvædam, circa Aprilem itineri ſe commiſſuræ. Cum redieris, priſtinam vix agnoſces Hafniam. Hæc dum moliuntur civitatenſes & Aulici, noſtri optata qviete gaudent. Nihil enim inter nos innovatum, nihil non priſtinam tranqvillitatem redolet. Jubilæum Evangelicum per integrum octiduum concionibus & orationibus celebravimus, idqve tota Dania & Norvegia factitavit ſerio. Nec Heidelbergenſes, ut ex publicis ſcriptis percepimus, de ſuo fervore in hoc Feſto celebrando qvicqvam remiſerunt. *M. Alanus*, nova nupta 14. annorum, factus eſt auctior. Qvin & *Gelſtrupius* ancillam Vicarii Regii, (ante aliqvot menſes hic defuncti) tibi ſatis notam *Elſam* nomine, non ſine omnium admiratione, & Collegarum indignatione, duxit. Cauſam per te colliges. Sed de communibus ſtudiis pauca addam. Qværo, ne qvicqvam de priſtino fervore in raris colligendis remittas. Gallia, ſi ulla alia regio, votis tuis in hiſce ſatisfaciet. Aureliam ſi perveneris, cum inſigni Viro, *Monſr. de Trogni*, familiaritatem inire ne ceſſes, ejusqve favorem, vide, ut exambias; eſt enim Vir nobiliſſimus, & in arte Chymica exercitatiſſimus. Ejus mihi in Gallia facta eſt copia ſcripti Chymici, qvo nihil vidi in hac arte elaboratius, nihil ſolidius. Sed doleo, mihi tunc temporis commoditatem non fuiſſe integrum deſcribendi: Mutilatum & mancum teneo. Tu omni opera allabora, ut vel ab ipſo vel aliis habeas. *Begvinum*, qvi Auctor eſt *Tyrocinii Chymici*, Pariſiis videbis. Fuit & meo tempore qvidam *Claveria*, vir ut humaniſſimus, ita in Chymicis exercitatiſſimus, & Practicus excellens, à qvo vix diſcedes ſine inſigni auctario. Hæc ſaltem moneo, ut nullam negligas occaſionem cum ejusmodi viris converſandi, ex qvibus ego fructum retuli uberrimum. Valent, Divina Gratia, noſtri omnes, teqve ſalutant. *Jacobæo* viciſſim, meo nomine, dic ſalutem. Vale. 1617.

XII.

XII.

OLAUS WORMIUS

Nicolao Foſſio.

Tuas Francofurti nundinis autumnalibus datas accepi, una cum libris & ſeminibus à te miſſis, pro qvibus gratias ha- o ſummas, relaturus occaſione commoda oblata. Cæte- n, cum te Argentoratum cum tuis iturum intellexerim, huic, i eo qvoqve cum ſuo abitum maturabat, haſce credidi, præ- tim cum de hoſpitio reliqvisqve commoditatibus nondum fa- s ſim à te certior. Semina qvæ miſiſti, gratiſſima fuêre, ea e mox terræ committam, ut, qvid nobis ſint prolatura, vi- mus. Si folium *Opuntiæ* ſeu *ficus Indicæ* habere poteris, ejus eſo me facias participem. Virum Clariſſ. *D. Johannem Saltz- mum* (qvem meo nomine à te officioſe ſalutatum cupio) eam horto colere, nec gravatim foliolum (qvod capſulæ ligneæ ſco arboreo tectum includere poteris) tibi petenti oblaturum,). Tua in conqvirendo ſingula, qvæ occurrunt, ad ornatum dici pertinentia, mihi ſatis cognita perſpectaqve eſt diligen- : qvocirca non dubito, qvin rarioribus multis onuſtus ad nos reverſurus. Si qvid de *Roſeæ crucis fratribus* certò perceperis, ica, qvæſo. Varia de iis video hominum judicia; Sed relatio *Moltheri*, nundinis præcedentibus edita, facit, ut non me- a eſſe fabulam exiſtimem. Non eſt, qvod *M. Paulus* indi- tur, ſe nihil á me percepiſſe literarum, utpote qvem ne lite- a ſalutare, aut locum, ubi degeret, innuere, ex eo qvo diſceſ- eſt dignatus. Videtur veterum amicorum penitus oblitus , cum ne unicum percipere potuerim ex noſtris, qvi de ipſo ti qvicqvam ſciret; qvidam eum Roſtochii, qvidam Lipſiæ, dam Heidelbergæ eſſe ferebant. In Utopiam igitur non pro- atus, anne ſcriberem? Novorum jam mitterem plauſtra, ſingula te percepturum ex harum latore, ſcirem. Epiſco- Viburgenſis ut & Asloënſis inter vivos eſſe deſiere, nec qvis- m adhuc eorum Cathedras occupavit. Eqvites aurati 12. mniter in publico conventu Coldingenſi à Rege creati ſunt, r qvos primarii *Chriſtianus Friſius*, qvi paulo ante Regis Can- arius & Regni Conſiliarius deſignatus erat, & Vicarius Re- cæteros *Haſebardus* enarrabit. *Oligerus Roſencrantz* inter

Conſili-

Conſiliariòs aſcitus qvoqve eſt; qvamvis abſens. Magnus hic rerum bellicarum apparatus, cui fini, ignoratur. Naves Regiæ fere omnes inſtruuntur, nautæ pictis veſtibus exornantur. Delectum nobilium cataphractorum habet ipſa Majeſtas Regia; peditibus qvoqve omnis generis ut armis inſtructi ſint in omnem eventum, indictum eſt. Qvidam. Regem noſtrum Sveco contra Poloniam opem laturum cenſent; qvidam verò, Principum & Conſangvineorum Regis adventum exſpectari, aſſerunt, qvod magis veroſimile. Stipendium miſſurus fuiſſet hac ipſa commoditate ſocer, ſi modo vel à te vel à Parente, qvid acturus eſſet, admonitus fuiſſet. Salutat te uxor cum filiola, Socer item, noſtriqve omnes. Vale. 1617.

XIII.

OLAUS WORMIUS

Nicolao Foſſio.

PEtitioni tuæ ut reſponderem, in conſilium adhibitis Socero & affine, qvid maxime ex uſu tuo foret, deliberavimus. Conſultum autem omnibus viſum eſt, ut eiſdem ab Academia & obligationis relaxationem & anni gratiæ ſtipendium expeteres. Majus enim apud ſingulos habituras eſſe pondus omnibus qvam uni ſcriptas, exiſtimabant. Sed majori difficultate te hoc obtenturum, ut contra obligationem apud exteros Gradum Doctoralem exambires, reputabant, eò qvod pleriqve è dignitate Academiæ noſtræ eſſe aſſerant, ut & hic gradus iſte conferatur dignis. Interim ſi, peculiaribus ad Magnif. Cancellarium datis literis inſtituti rationes expoſueris, ſimulqve interceſſore, *Bildio* tuo, uſus fueris, non dubitaverim, qvin plurimum ſit habiturum ponderis hoc inſtitutum. Interim ſi tibi facultas hæc conceſſa fuerit, auctor non eſſem, ut in Italia Gradum hunc expeteres, Qvamvis enim minoribus videatur id fieri poſſe ſumptibus, & ſublato juramenti iniqvi jugo, conſcientia ſalva, nihilominus hiſce in Regnis à rerum ignaris pro Bullatis reputantur ibidem promoti, nec ea, qva reliqvi, ſunt æſtimatione. Celebrem igitur aliqvem Germaniæ Academiam aut in Galliis Montiſpeſſulanam ut potius, facultate impetrata, eligeres, ſvaderem. Cauſam tuam apud noſtros, agitata cum fuerit, non deſeram, ſed

qvantum

qvantum mearum eſt virium, ut voti compos fieri poſſis, allaborabo. Academiæ Rectorem Magnificum jam agit affinis *Bartholinus*, cui, ſi ad Academiam qvidpiam dederis, tuæ ſunt inſcribendæ. Mihi Munus Decanatus Philoſophici incumbit, qvocirca ad Feſtum Paſchatos Magiſtralem promotionem adornabo, & dignos more ſolito invitabo. Doctoreis qvin etiam in Theologia Gradus, ex Epiſcopis qvibusdam deputatus, circa Feſtum Michaëlis iisdem contribuetur. Cætera in priſtino ſtatu, qviete & tranqvillitate florent, qvod perpetuum ac diuturnum ut ſit, Deum rogamus. Vale. An. 1618.

XIV.

OLAUS WORMIUS

Nicolao Foſſio.

Aureliam, aupres Mſr. le Conſeiller de la Baſche, pres de l' Egliſe de bonnes nouvelles.

Binas tuas accepi, alteras menſe Junio, alteras Septembri exaratas, ex qvibus, te in *Trognii* irrepſiſſe familiaritatem, non ſine voluptate intellexi. Difficultatem autem illam in communicando, non eſt qvod mireris, cum hominum iſtorum *proprium* eam eſſe *in qvarto modo* dudum expertus ſis. Sed ne dubites, qvin, tuam ubi exploraverit indolem ac in hiſce exercitiis progreſſum, faciliorem ſit præbiturus. Si tibi perſpectus ſit *Begvini extracta præparandi modus*, ſine ullo calore externo, ſpatio qvadrantis horæ, ſine ullius rei mineralis additione, (ut in *Tyrocinio* innuit) eum qvæſo proximis tuis indica. *Hartmannianum* non moror *oleum Tartari*, non enim voto ſatisfacit. Beneficio ſalis cujusdam volatilis id fieri autumo; tu plura doce. Halmſtadii magna pompa conveniunt Rex noſter Sereniſſimus & Guſtavus Svecus, de rebus gravibus absqve dubio acturi; exitum indies exſpectamus. Regio diplomate jam cautum, ne qvis agyrtarum aut Empiricorum, ſine Facultatis Medicæ conſenſu, praxin exerceat: Pharmacopoliorum qvin etiam ac Chirurgorum inſtituta reformatio, ut ſperamus, haud infrugifera. In Roſchildenſi, Lundenſi & Otthonienſi Capitulo qvinqve erunt, qui

publice docebunt qvotidie, Epiſcopus Theologiam & Lingvam Hebræam, Lector, Scholæ Rector & duo alii Lingvas ac Philoſophiam. Spes igitur erit, multa eximia ingenia occaſionem ſeſe exercendi hic habitura ampliſſimam. Lues peſtifera in urbe hac multorum ædes invaſit, ac, ni Deus malum avertat, infectionem totius civitatis minitatur. Ni hæc obſtiterit, poſt Feſtum Paſchatos actum ſolennem Magiſterii celebrabo, ad qvem freqventem admodum expecto Candidatorum confluxum. Noſtri omnes, Dei gratia, valent, teqve cum tuis valere jubent. Hafn. 1619.

XV.

OLAUS WORMIUS

Nicolao Foſſio.

IGnorantia locorum, ubi degeres, factum eſt, mi Foſſi, ut rarius meas habueris. Bibliopolæ noſtro, ad nundinas ituro, nullas tradere potui, cum, ubi locorum eſſes, ignoraret. Jam cum noſter *Paulus Andreæ* vel in Galliis vel in Italia tuo alloqvio ſe ſperaret fruiturum, nolui eum ſine meis ad te demittere, etſi vix eſſet, qvod ſcriberem, cum melius ex ipſius relatione omnia eſſes percepturus. Parentes valent & amici omnes. Me, anno præcedente, matrem & filiam amiſiſſe, te non ignorare arbitror. In Academia omnia in priſtino ſtatu, niſi qvod, M. *Elia Eiſenbergio* in Samum amandato, nemo in ejus loco adhuc ſit ſubrogatus. Poſt conventum Senatorum Regni, Otthoniæ habitum, *D. Dybvadius* in arce captivus detinetur; qvid commiſerit, nondum eſt in propatulo. Reliqva ex *M. Paulo* diſces. Hisce vale, & me amare perge. 1620.

XVI.

OLAUS WORMIUS

M. Nicolao Foſſio.

LEnte admodum convaleſcit Affinis *Bartholinus*, remiſit tamen vagabundus ille articulorum dolor, calor hecticus mitior multò, rediit cibi appetitus, ſed alvus nondum ſatis ſuo fungitur munere,

munere, nec artus. Speramus tamen, Deo favente, evaſurum. Socerum tuo nomine conveni, qvi miratus, qvod iterum de tempore promotionis qvæſtionem inſtituas, ſiqvidem inter vos, ante abitum, conventum, ut mox poſt Ferias Paſchatos inſtitueretur, Ante paucos dies adventum tuum exſpectari narravit *M. Tancredus*, qvod ſi ita ſit, vitrum promiſſum cum ſuperpondio Antimonii nativi reliqvorumqve exſpecto, ut ſolenni formula gratias agam. Ante annos non ita multos, in Norvegiam à Reg. Majeſtate, ut mineralia inqvireret, ablegatus fuit Generoſiſſimus *A. Bilde*, qvod ſi adhuc qvædam ex iis habeat, ut & *Magnetem Norvagicum*, aliqvid ab eo haud gravate impetrabis, qvo Theſaurus meus locupletetur. Vale. Haſn. 7. Novembris 1623.

XVII.

OLAUS WORMIUS

M. Nicolao Foſſio.

Ita eſt, ut ſcribis, mi Foſſi. Clariſſ. *Aslacus* noſter 7. Febr. ad ſuperos migravit. Convulſio illa, qvæ dextri cruris peperit paralyſin, tandem in gangrænam & ſphacelum deſiit, qvem nullis viribus impedire aut exſtirpare poterant Chirurgi. Amputationem diſſvadebant virium lapſus aliaqve alias pertexenda. De *M. Martino* vera narras. Hoſpitem tuum qvod attinet, is, nullo pharmaci à te exhibiti vitio in hypercatharſin, qvæ nulla erat, (nihil enim præter excrementa dejecit, ac licet crebrò, decies circiter, parcè tamen) ad vitæ diſcrimen adductus eſt, ſed propria negligentia, utpote qvi eo tempore, qvo juſſiſti, id non ſumpſit, ſed, poſt exanthematum eruptionem, aëri frigido ſe expoſuit, unde ad interiora repulſa ea, qvæ ſolent, excitarunt ſymptomata... Hoc cum adſtantibus crebrò inculcarem, me, ſpreto, Decoctorem noſtrum Empiricum vocarunt, cui me Collegam præbere cum noluerim, ab eo, caſu potius, natura, ſui qvod erat muneris, faciente, qvàm arte ſanitati reſtitutus eſt. Vale, 1624.

XVIII.

OLAUS WORMIUS
D. *Foſſio.*

PErlectis *Statutis novis*, vidi VI. iis favere, qvi me in diſtributione bonorum communium præterierunt. Et qvamvis in *veteri MS.* Academiæ hæc lex non extet, manifeſte qvin etiam *Fundationi Academiæ* repugnet, à tot Regibus confirmatæ, & ſine indignatione Divina non violandæ, in qva cap. 4. hæc extant: *Liberum ſit omnibus Prælatis, Canonicis & Vicariis ſtudii gratia in Univerſitate agere, & ſi foverint pro ſe aliqvem pauperem Scholaſticum &c. debent eis ſervari & dari omnes portiones & accidentalia* (menſæ, bona communia, Tutoratus diſtributio) *velut eſſent præſentes, nec QVICQVAM JURIS detrahi ipſis propter hanc abſentiam. Hoc etiam intelligi volumus de publicis hujus Scholæ Lectoribus, ſi Sacerdotia talia habeant.* ipſis tamen litem hac vice non movebo, ſed patienter feram, qvæ forſan mutari poſſunt. Nec eadem eſt *Holkii* ratio, qvi fundationis privilegio non gaudet, nec ulla alia ratione eximi poteſt. Sperabo in poſterum æqviores ipſos futuros, præſertim cum alios Collegas meos, Profeſſores ab hac lege hactenus vi *Fundationis* exemerint, ut nihil dicam, Statuta 8. diſpenſationem admittere. Te fidelis interpretis muneri haud defuturum confido. Vale. 19. Jul. 1637.

XIX.

OLAUS WORMIUS
D. *Foſſio.*

CApitulare negotium ſuæ ſervabo opportunitati. Alterum qvod ſpectat, penes me non ſtetit, qvin dudum res fuiſſet confecta. Qvicqvid jam objectum remoræ, imputet ſibi. Cum omnia hic ſalva, tantum impetrare non potui, ut tutoribus diem adventus præſcriberet. Jam eò, pro dolor! apud nos deventum, ut vix tuto domo exire liceat; præterita namqve ſeptimana circiter 189. peſte ſunt ſublati. Et qvis, qvæſo, Viris bonis auctor eſſet, ut periculoſiſſimo hoc rerum ſtatu uxorem, liberos & famili-

familiam deſererent, incerti an unqvam redituri. Si eò impudentiæ ego devenirem, ut hoc à tutoribus poſtulare auderem, qvid reſponſi me laturum credis? Certe domeſtica exempla tot tantaqve nos terrent. Sed qvæ tantæ feſtinationis cauſa? Maternum erga liberos induat affectum, bona fide agat, ablata reſtituat, vulgi ſe non præbeat fabulam; & res ſalva erit, nullaqve ipſi mora unqvam nimia. Solare interim, qvantum potes, & qvi olim, ut corporis, ita animi Medicus eras excellens. De commodo diſpice pharmaco, etſi toto illo, qvod clam veſter tenet, ære redimendo. Plura coram. Vive, & amici rebus, ut ſoles, conſule. Si Deus in meliora nos reſervaverit tempora, pupillorum commodum opportune ſatis curabimus.

Sub nive quod tegitur, cum nix perit, omne videtur. Vale. An. 1637.

XX.

OLAUS WORMIUS

Caſparo Bauhino.

Baſileam.

Ex optatam, diuqve deſideratam tandem ad te ſcribendi oblatam mihi eſſe occaſionem, ex animo lætor. Dudum enim tuorum beneficiorum multitudine obrutus animus, omnia gratæ mentis indicia prodere deſideravit; ſed occaſione commoda deſtitutus hactenus, voti compos eſſe non potuit. Qvin igitur, hac qvalicunqve jam oblata commoditate, liberius ſe effunderet, intermittere non potuit. Ante paucos dies ad manus meas pervenit jucundiſſimum tuum *de Hermaphroditis* opus, in qvo elegantiamne an laborem cum ſvavitate conjunctum prius mirer, ignoro. Certè in hoc genere nil qvicqvam, tanta cum dexteritate tentatum, multo minus ab ullo elaboratum, vidi. Perge igitur, o Vir Divine, eximiis animi tui dotibus Rempublicam Aſclepiadeam ita exornare & amplificare; nec ulla Nominis tui gloriam, etiam apud exteros, delebit poſteritas. Autumno præterito, in Inſulam Amagriam, (qvam breviſſimus tantum trajectus ab urbe noſtra dirimit) collapſas ex occupationibus vires recuperandi cauſa, cum affinibus *D. Caſparo Bartholino* & *D. Georgio Fuirenio*, conceſſi, ubi inter reliqvas, qvas ejus Inſulæ admirati ſumus, plantas Cochleariæ inveni ſpeciem, qvam

enodare haud es dedignatus, promittit ſpe infallibili. Qvod fucum illum abietis facie Corallinam indigitaverim, cauſa fuit *Lobelius*, qvi *Lib. 2. Iconum*, *pag* 250 herbam deſcribit, cujus figura & facies omnino cum hoc convenit. Sed tua poſthac ſtabo auctoritate. Mitterem qvidem plures ex eadem Inſula, præſertim marinas, qvæ apud Vos ſint rariores, niſi noctuas Athenas me ferre reputarem. Vix enim plantulam hic reperiri autumo, qvin in diviti tuo penu Botanico floreat. Gramina qvædam, qvæ ante annum ibidem collegi, mitto, qvorum primum *Gramen ſpicatum marinum Lob.*; ſecundum *Gramen cyperoides anguſti folii*; tertium *Juncum capitulo lupuli eqviſeti*; qvo nomine qvartum indigitem, neſcio, tu edoce. Sed cum hyemis ſævitia excluſus, nec *Geranium* illud *Cluſianum*, nec alia conqvirere potuerim, tibi mittenda, dabo operam, ut, proximis nundinis, meæ ad te vix redeant vacuæ. Cæterum deſideratum illud *Synonymorum* opus ſub incudem revocari gaudeo. Deum rogo, ut cœpta ſecundet, teqve hortor, ut in ſtudioſorum commodum lucem qvam primum illud aſpicere patiaris. Ut meum ſaltem in promovendo agnoſcas ſtudium, ecce, *Nomina Danica plantarum & arborum* qvæcunqve hic conqvirere valui, & authentica ſunt, mitto, ut, ſi variis lingvis illud exornare decreveris, noſtra non deſtituaris. Neminem adhuc ex Botanicis celebrioribus videre mihi contigit, qvi ſua noſtris ornavit Si à te primo hoc præſtitum fuerit, non ſolum operi tuo ornamento, ſed etiam noſtræ nationi uſui majori futurum exiſtimo. Germanica, Italica, Hiſpanica, Anglica, Belgica, Gallica apud plerosqve reperies, ſed Danica apud neminem. *Prodromum* qvæſo non differ; eum enim omnibus numeris abſolutum qvin poſſideas, nullus dubito. Allabora, ne Reſpublica Medica diutius hiſce, tam neceſſariis, deſtituatur. Vale, & Wormium tuum tibi commendatum habe.

P. M. Sed Fratris tui diutini labores an cum tineis & blattis luctabuntur? Qvoties eorum, qvæ Mompelgarti apud ipſum vidi, recordor, toties Viri deploro ſortem, & inevitabilem fati rigorem execror.

XXIII.

Eὐπράττειν. Qvas Cal. Martii ad me dediſti, Clariſſ. & amiciſſime

ciſſime Doctor, rectè accepi, una cum *Catalogo nominum Danicorum*, & aliqvot plantis, pro qvibus omnibus gratiam habeo. Polliceris plura ex inſula Amagria; utinam faceres, cujus nomine rogo, inprimis utramqve *Cochleariam* ſi ad vivum delineari curares, ſub tuo nomine in meo *Herbario* (id qvidem jam *Prodromo* addidi,) proponerem: & licet haberem, qvas ad me mitteres, nihilominus gratiſſimum foret; ſæpe enim varietas digna notatu occurrit. Plantarum qvatuor miſſarum nomina rectè adſcripſiſti, idcirco nil addo. *Geranium Cluſianum* ſi miſeris, gratiſſimum feceris. De fratris p. m. laboribus qvod dicam, non habeo: teſtamento legavit nepoti ex filia, qvi nuper â me in Doctorem fuit promotus, mea illis nunqvam exornabo, ne videar aliena nomine meo propoſuiſſe: monebo nepotem, ut rationem eorum habeat. His qvam feliciſſimè vale, & te mei vera amantem redama. Clariſſ. Viris D. D. Finkio, & D. D. Fuirenio & D. D. Bartholino ſalutem adſcribo. His qvam feliciſſime vale. Poſtridie Cal. Maji. 1618. Baſileæ.

T.

C. BAUHINUS Baſil.

Archiatros & Praxeos Profeſſ. Ordin.

Clariſſimo & Excell. Viro Dn. OLAO WORM, Phil. & Medico & Profeſſori in Acad. Hafnienſi publico, Dn. & amico.

XXIV.

OLAUS WORMIUS

Caſparo Bauhino.

Baſileam.

PRomiſſis ut ſtem, Vir Clariſſime, plantas qvasdam mitto, ſed marinas plerasqve, cum, illas rariores apud Vos eſſe, ſciam; ſed mirum qvantum virides à ſiccis diſcrepent, cum illæ virides cum ſunt, foliis conſpiciantur craſſis, inſtar portulacæ vel fabariæ, in hiſce verò nihil tale appareat. Neqve hoc adeo mirum, cum qvasdam ego in hortum meum tranſtulerim, qvæ

 licèt

licèt ramuſculis & foliis variè luxuriaverint, foliorum tamen eam craſſitiem attingere neqviverint. An omnium nomina rite aſſecutus ſim, ipſemet judex eſto. Optaſſem te coram inſpexiſſe *blitum illud marinum rubrum*, qvod mitto, foliis latioribus (alterum enim, ut varietatem agnoſceres, addidi) exſiccatum; folia namqve craſſa admodum cum fuerint, verè criſtam gallinacei referebant; qvæ res me movit, ut ad vivum depictum qvoqve mitterem. *Cochleariam erectam* depictam addo, ſed figura plantam qvantitate ſuperat. Miſiſſem qvoqve repentis iconem, ſi eam habere potuiſſem viridem; rarior namqve eſt, ac inventu haud facilis. Summo ſtudio *Cluſianum* illud qvæſivi *Geranium*, ſed nuſpiam invenire licuit; ejus loco aliud, qvod in horto meo crevit, mitto, cujus ſemina, nomine *Geranii Cretenſis*, mihi ſunt communicata. Siqvid præterea occurrerit peculiare, ad te, data occaſione, mittam, ubi, hæc grata fuiſſe, cognovero. Sunt mihi luſus qvidam naturæ in Tulipis & Roſis, ſed, qvoniam hæc ad ordinariam plantarum hiſtoriam parum conferunt, nec peculiarem conſtituere valent ſpeciem, de iis pluribus tecum non agam. *Synonyma* ut & *Prodromum* tuum avidus exſpecto. Officioſam ſalutem tibi dicunt Socer & Affines, inter qvos *D. Bartholinus* Magnificum Academiæ noſtræ jam agit Rectorem. Vale, Vir Celeberrime, meqve tui ſtudioſiſſimum ſolita benevolentia proſeqvi haud deſine. Hafniæ d. 20. Auguſti, Anno 1618.

XXV.

Εὐπράττειν. Has ad te, Vir Clariſſime, perſcribo, ut in memoriam revocem præteriti anni promiſſum: Spem enim ultrò feciſti, tuis literis ad me datis, (qvibus reſpondi,) te hoc anno perluſtraturum inſulam Amagriam vobis vicinam, & plantas ibi collectas ad me tranſmiſſurum, qvod ut facias, qvantum poſſum, rogo & obſecro: tui memor, uti par eſt, ſuo loco futurus. Id qvod proximis nundinis, uti ſpero, videbis factum in meo *Prodromo Theatri Botanici*, qvi Francofurti ſub prælo eſt, in qvo, propter *utramqve Cochleariam*, bis tui honorifica fit mentio. Inſuper rogo, qvia intellexi in Jubilæum habitam fuiſſe Orationem, ut illam mihi tranſmittas ex veſtra Academia, in qva recitatam & cuſam audio. His qvàm feliciſſimè vale, & Clariſſ. Viris Domino Socero, & utriqve Affini, in-

primis

primis *Bartholino*, ſalutem ex me nuncia. Ocyus 15. April. 1619. Baſileæ.

T.

C. BAUHINUS Archiatros.

D. Bartholinum qvædam de *Aqvis* & *Cauteriis* Roſtochii edidiſſe audio: Lubens viderem, qam ad nos non fuere perlata.

Clariſſimo & Excell. Viro D. Olao Worm, Medicinæ Doctori & Philoſophiæ in Acad. Hafnienſi Prof. Domino & Amico.

XXVI.

OLAUS WORMIUS

Caſparo Bauhino.

DEplorandus Academiæ noſtræ ſtatus, Vir Ampliſſime, juſto brevioribus ad tuas reſpondere me cogit. Lues etenim peſtifera nos undiqve adeo invaſit, ut Academia diſſipata, meaqve familia, filiola natu maxima orbata, nil niſi dolorem ac mœrorem præ ſe ferat. Ex tuis autem 15. April. datis, te meas, nundinis Autumnalibus Anno 1618. datas, variis plantis Amagrienſibus ſtipatas & vivis qvibusdam iconibus *Cochleariæ, bliti maximi* & aliorum onuſtas, non accepiſſe percepi, qvod peſſime me habet, cum iis fidem me ex parte liberaſſe exiſtimaverim. Male ſit infidis iſtis mercatoribus. Si Deus diſſipatam Academiam recollegerit, meqve domum incolumem reduxerit, data occaſione tui memor ero. Addidi poſtremis meis herbarum, qvotqvot conqvirere potui, Nomina Danica, ut ſi viſum eſſet, iis *Synonyma* tua ornares, cum id à nemine Botanicorum hactenus factitatum. Qvædam videbis in *Taxa*, ut vocant, noſtrorum Pharmacopolarum, qvam nuper mandato Regio adornavimus. Mitto ſimul ſchediaſmata qvædam mea, ratione officii à me exarata, ſed magis aliorum qvàm meo arbitrio typis mandata, qvibus ut æqvus ſis cenſor, opto. De *Cauteriis* nihil adhuc edidit *Bartholinus*. De *Aqvis* qvæ dedit, hiſce addo, ut & pauca alia. Mei

qvod honorificam feceris mentionem in *Prodromo*, gratias habeo maximas, utqve in beneficiorum memorem hæc collata agnoſcas, efficiam. Cumulum autem hunc augebis, ſi per tuam manum ad me exoptatiſſimus ille pervenerit liber. Vale, & calamo lacrymis potius qvam atramento madido ignoſce, 1619.

XXVII.

CASP. BAUHINUS

Olao Wormio.

Haſniam.

Ἐυπράττειν. Qvas ad me dediſti, idib. Juniis & 20. Auguſti ſcriptas, Vir Clariſſime & Amice honorande, una cum Clariſſ. *Bartholini* tribus ſcriptis, *Oratione contra Jeſuitam*, in Promotione habita, & *Taxa*, una cum Plantis, rectè accepi, cujus nomine gratias & habeo & ago ſingulares; ad qvas paucis.

Plantæ transmiſſæ ſunt, 1. *Orchis odorata*, qvæ *Monorchis Geſnero*, & nobis familiaris. 2. *Cochlearia*. 3. *Trifolium lupulinum*, agris noſtris freqvens, qvod *agrarium Dodonæo*. *Oenanthe aqvatica Lobel.* vel *Juncus odoratus aqvatil. Dod.* 5. *Spergulæ* ſpecies nondum deſcripta, qvam in *Prodromo* ſpergulam *minorem ſubcæruleo floſculo* appello, qvæ apud nos freqvens. 6. *Cotyledon aqvatic. Lobelii*, qvamvis ad Ranunculos rectiùs referri poſſit; & *Ranunculum aqvaticum cotyledonis folio* porrò nominabo, propter vires maximas. Has licet omnes habuerim, tamen gratiſſimæ fuere. Statum veſtrum lugubrem ex animo tui cauſſa lugeo; Trinunus Deus & verus Archiater hanc plagam clementer à vobis ſubtrahere & porro vos conſervare ut velit, ex corde precor.

Prodromum meum, ubi prodierit, à me, Deo volente, accipies. Sperabam utiqve eum hoc mercatu proditurum, uti Typographus Francofurdianus, qvi ſemiannum exemplar habet, ſpem fecerat. Qvæſo, ſi Deus nos porrò conſervaverit, & flagellum removerit, porrò in plantis colligendis memor ſis: ac qvæſo indices, aliqvisne *Herbarius* in lingva veſtra editus ſit; etenim nomen, & locum & annum editionis ſcire aveo. Audiveràm, ante annum apud vos habitas eſſe aliqvas Orationes in Jubilæum; qvas libenter haberem; cùm pleraſqve hinc inde habitas

s collegerim. Nunc laboro in revidendo *Theatro* meo *Ana-ico*, qvem librum Typographus me inſcio prælo ſubjecerat, c verò urget, ut eum auctiorem reddam: (ſexcenta folia m excuſa, reliqva poſt meam correctionem,) edetur autem varto, & figuræ omnes ſimul in calcem rejiciuntur, ex oppo-parte literarum explicatione addita. His qvam feliciſſime e & vale, Vir Clariſſ. & Clariſſimos Viros *D. D. Finckium*, *D. Bartholinum* ex me officioſè ſalutabis. Ocyus 14. Octobr. 9. Baſileæ.

Has ſcribo adeò commoda occaſione oblata per *D. Rho-m*, amicum meum ſingularem.

XXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Caſparo Bauhino.

ſileam.

D tuas nundinis præteritis reſpondere non potui, tum qvia in urbe non eram, cum Francofurtum irent Mercatores tri, tum qvia Typographus noſter ob bellorum tumultus dinas freqventare non poterat. Cæterum *Prodromum* tuum tum eſſe ab *Arniſæo*, qvi jam in Aula Regis noſtri verſatur, llexi, qvodqve mei, ut audio, in eo mentionem feceris hone-ſimam, gratias ago maximas, majores relaturus, ſi à te juxta miſſum eum habuero. Nil jam habeo, qvod mittam, præter *'mologiæ* meæ particulam, qvam hiſce addo, ut eam boni con-s, rogo. *Notas* meas in *Heſiodum* Francofurtum miſi, ut rentur, ubi earum copiam habuero, & tu habebis. Ex *tionibus jubilæis* hic habitis nullæ editæ, mea excepta, m & miſi; eam, qvam de Academiæ noſtræ ortu & in-mento dedit Affinis, ipſemet mittit. Raras & fere nullas eo, qvas hiſce includam, plantas, exceptis vacciniis hiſce uſtribus, qvæ eô nomine mitto, qvòd flores in *Lobelio* us mihi videantur ad vivum expreſſi; tu judica. Addo e *tubera* qvædam, ex America, ni fallor, huc allata, rum plantam apud neminem adhuc deſcriptam reperire ui. In altitudinem creſcit *Floris Solis Peruviani*, foliis aule plane ei aſſimilatur, niſi qvod caulis in brachia ſe ndat, qvod in *flore ſolis* obſervare mihi non licuit: Flores fert ſimiles *Helenii*, tam qvoad figuram, qvam qvoad magni-

tudinem:

tudinem: radix tuberoſa mirum in modum luxuriat; ex u
etenim, verno tempore terræ mandata; poſt autumnum hab
triginta aut qvadraginta: hiemis non omnino eſt impatien
ſi ſolum pingve invenerit, etiam neglecta radicis fruſtula cau
æſtate protrudunt. Noſtri vocant *Jeruſalems Artiſchoker*, q
Carduos eſculentos Ieruſolymitanos diceres. Cauſa eſt, qvi
bera hæc cocta ſapore referunt carduum eſculentum, ac pari
tione in cibos apparantur; qvin & vires reſpondent. Vene
enim excitare credunt, ac niſi vino, butyro ac pipere diligen
cocta macerentur, flatus vehementer excitant, qvod pro
experientia teſtari poſſum. Ego *Florem ſolis tuberoſum* voco.
meliora doce. Tubera mitto, ut ipſemet in horto tuo ex
plantam educere valeas; major enim eſt, qvàm ut commod
te mitti poſſit. His vale, & me amare perge. 1620.

XXIX.

OLAUS WORMIUS

Caſp. Eraſmio.

DE prolixo tuo in me affectu nunqvam dubitavi, Vir inte
rime, qvem ex eo, qvo amicitiæ vinculo devincti fuim
ſatis ſuperqve re & opere expertus ſum. Idcirco penitus
perſvaſum habui, te haud gravate negotium hoc promove
onus in te ſuſcepiſſe, qvod ex gratiſſimis tuis abunde compe
pro qvo officio gratias habeo immenſas, donec referendi occ
oblata fuerit melior. Cancellarium brevi ad vos rediturun
runt; ubi venerit, fac literis tuis, qvid reſponſi tulerit, ſim
tior. Interea in ſilentio & ſpe hoc temporis tranſigam. De
vo Rectore eligendo, tribus abhinc ſeptimanis 7 ſc. Junii, c
ſultabitur; ejusdem verò menſis 29. more ſolito, ſolenniter c
bitur. Differri igitur hoc negotium vix poteſt; nam vere a
mas, poſt novi Rectoris electionem, omnia futura operoſi
præſertim cum ad eum Magiſtratus devolvatur, qvem rebus n
non admodum favere ſcio. Nobiliſſimo Illuſtriſſimi Princ
Cubiculario, tuo ſvaſu, opuſcula ſua mittit *Bartholinus*, c
ut ei offeras, obnixe petit. De valetudine tua valde ſollicit
uxor; velim igitur, ei ſcribas, poſt venæ ſectionem, (qvan
admiſiſſe audio) te optime valere, ſimulqve firmiore, qvam

corporis eſſe robore. Eo enim ipſo haud parum recreabitur. rea cave, ne ita te laboribus & vigiliis tradas, ut ſanitatem ligas. Moderata durant. Da operam, ut excretiones aſptis reſpondeant, nec curæ & vigiliæ immoderatæ ſpiritus uriant, corpusqve imbelle relinqvant. Sic votis noſtris ta reſponſura confidimus. Diſputationem inauguralem Marorum te vidiſſe puto; antiqvum obtinet, & haud pauca init, qvæ vix tuo & reliqvorum Theologorum palato ſunt arri. Deus Opt. M. bene exculto illuſtri illo agello, te nobis um & incolumem reſtituat. 1617.

XXX.

OLAUS WORMIUS

Caſp. Brochmanno.

[H]Actenus ad te de rebus meis ſcribere diſtuli, eo qvod occaſionem coram omnia narrandi indies captabam opportu; ſed, cum me adhuc aliqvantisper impediri videam, non um, qvin rem nuper geſtam brevibus exponam. *Poſt* Reis inaugurationem in Summo Templo, conventus á Philoiis eſt habitus, præſentibus qvoqve Pædagogis, ubi continuo, a præmiſſa gratiarum actione, nullaqve negotii controverſi ta mentione, inconſultis omnibus, claves & Decanatum *Longomontano* tradidit *Alanus*. Finita igitur levicula ejus ortatione, ego de illegitimo Decanum eligendi proceſſu, qvo ad unius arbitrium derivatum ſit, qvod ſingulorum ſuffraperagi debeat, præſertim hoc tempore, cum res de Decanatu ntroverſa, proteſtatus ſum. Deinde, cum ex illorum hypo & lege, ab ipſis nuper lata, decretum ſit, ut is, qvi poſtiturus ſit Decanus, Teſtimonio publico demonſtret, ſe lene in Philoſophiæ Magiſtrum promotum eſſe, ut ante omnia imonium jam deſignatus monſtraret, cum & me ante annum legerit. Hinc ad Conſiſtorium provocavi. Qvo audito, s reddere, nec ſe, niſi legitime, Decanatum velle ambire, *Longomontanus*, multaqve in me debacchatus, more ſuo, tium diſciſſum eſt. Qvidam verò ex Collegis, pœnitentia, rem moderatius geri cupiebant, adeo ut & inter ipſos de nec ſatis conveniret. Re itaqve infecta, diſceſſum eſt. A prandio

prandio Rectorem conveni, & re geſta narrata, Conſiſtorium convocari petii, qvod data occaſione ſe facturum ſpopondit, ſimulqve addidit, ſe cum Magn. Cancellario hac de re locutum, qvi aſſerebat, ſe rem ex parte deciſam mutare non poſſe. Vides igitur, amice integerrime, telam Penelopes. Qvam tuum in Conſiſtorio optarem votum. Vereor, ne, cum tuum calculum expetierint qvidam, regerant, negotium eo usqve differri non poſſe. Qvid ſi *D. Cunrado* literis mentem tuam expoſueris, ut, ſi ejus rei in Conſiſtorio fiat mentio, palam, qvæ tua ſit ſententia, demonſtrare qveat? feceris hoc ipſo rem mihi gratiſſimam, tuoqve candore maxime dignam. Prima data occaſione, caute ad Vos excurram. Interim vale, & ſolito favore me proſeqvi haud deſine. 28. Jun. An. 1617.

XXXI.

OLAUS WORMIUS

Caſp. Er. Brochmanno.

VAriis de rebus habita deliberatione in Conſiſtorio, 5. Julii, tandem me petiiſſe, ut de iis, qvæ de Decanatu nuper acta erant, Profeſſores conſulerent, retulit Rector, ſimulqve ipſemet, qvid vellem, ut exponerem, juſſit. Tum ego: præcipuum petitionis meæ momentum in eo ſitum eſſe, ut, qvandoqvidem, ante annum, ex Philoſophis qvidam, me non niſi oſtenſo teſtimonio promotionis admittendum ad Decanatum, ſtatuerint, (ac qvaſi novam & in Fundatione ac Statutis nullo modo fundatam Legem cuderint, qva illi, qvi futuri ſint Decani, prius teſtimonio publico probent, ſe Philoſophiæ promotos Magiſtros) Profeſſores judicent, an non is, qvi hoc muneris adminiſtraturus poſthac ſit, idem facere teneatur, cum æqvum non ſit, ut me majori gravamini ſubjiciant, qvam alium qvempiam. Qvo audito, petiit Rector, ut *M. Longomontanus* & ego pauliſper ſecederemus. Interea reliqvis narrabat, ſe Magnif Cancellarium in hac cauſa conſuluiſſe, qvi dubitari de *M. Longomontani* promotione non poſſe putabat, eo qvod id muneris antea ſuſtinuerit. Qvocirca hoc ei demandandum, reliqva controverſia integra manente. *D. Finckius* verò & *Bartholinus* meæ cauſæ patrocinium ſuſcepere, & cauſam totius Facultatis Medicæ agi declarabant,

qvocirca ſibi cum adverſariis meis rem futuram ſignifica. Qvod Rector Cancellario relaturum dixit. Hinc redire umus; qvod ubi factum, Rector Decanatum *M. Longomon*-radendum dixit, idqve voluntate M. Cancellarii. Qvid m? Hiſce acqvieſcere, præter omnem exſpectationem, us ſuin, nullusqve videtur qverelæ locus. An Cancella- convenire ex re mea ſit futurum, ignoro. Siqvid conſilii is, qvæſo communica. Omnis juſtitiæ & æqvitatis Auctor m huc reſpiciat, ſuosqve non deſerat, rogo. 1617.

XXXII.

ASP. ER. BROCHMANNUS

D. Olao Wormio.

iam.

...ime & amiciſſime Dn. D. Wormi. Solicitum tuum in valetudinis meæ commodo curando ſtudium ultimæ litteræ de docuerunt. Qvem tuum in me affectum & propenſum commodandi conatum, niſi gratus agnoſco, omnium mor- n ingratiſſimum eſſe oportet. Qvas vero uſibus meis tem- jam bene longo indultas voluiſti *de Fraternitate Roſea* iunculas, cum ſingulari gratiarum actione remitto. Ad autem, qvæ ad me ænigmaticè perſcripſiſti, explicanda po opus fuiſſet. Rem tamen univerſam poſtea clarè ediſ- t uxor *Johannis Mechelborg* Hafnia redux. Merito excla- licet, ubi priſca virginum dos, pudor & pudicitia? Sed m orationis ſiſto, & te, mi Wormi, cum uxore ſvaviſſima & iſſima filiola Deo ſeriò commendo: Tuo-meis ex animo ſa- s. Croneburgi qvam feſtinantiſſimè die 18. Februarii 1618.

XXXIII.

OLAUS WORMIUS

Caſparo Eraſmio.

Vod te, Vir Clariſſime, divinis illis ac ſeverioribus diſtri- ctum curis ac ſtudiis, interpellare haud ſim veritus, non n multis modis tua perſpecta humanitas & benevolentia, ſed ı ſumma me coëgit neceſſitas. Tibi namqve ſatis perſpe- ctum,

ctum, qvibus de cauſis controverſiam, mihi à qvibusdam Philoſophicæ Facultatis ſuperiori anno ereatam, tanta hactenus ſuſtinuerim patientia, &adhuc ad optatum finem perducere neqviverim. Poſtqvam enim Deo Optimo M. viſum eſt, ſummum noſtrum Patronum *Chriſtianum Friſium*, piæ memoriæ, ex hiſce miſeriis ad æternam felicitatem prius avocare, qvàm ipſi illatam mihi injuriam exponere potuerim, nemo ſupererat, ad qvem commodè hujus cauſæ deciſio derivari poterat. Eum e tenim, qvem, tanqvam Magiſtratum & æqvum judicem, accedere debebam, expertus ſum adverſarium ſummum, adeo ut res magis privato odio, qvàm juſtitiæ legibus geri videretur. Qvæ omnia accuratius tibi perſpecta, qvàm ut à me pluribus enumerari qveant. Ex qvo autem Deus Opt. Max. tantam Academiæ noſtræ cladem tam inſigni, prudente & benigno Heroe reſarcivit, ſemper animus deſiderio, eidem rem totam exponendi, prurivit, qvò pro ſua innata humanitate, qvid mihi facto opus eſſet, benignè indicaret. Neminem enim inveni, ad qvem mihi potius confugiendum eſſet, qvam ad eum, cujus auctoritatem omnes veneramur, qvemqve neminem, cujuscunqve ſtatus & conditionis tandem fuerit, conſilii inopem a ſe dimittere inaudiverim. Sed commoda deſtitutus occaſione, id hactenus intermittere ſum coactus; qvamdiu enim hic commoratus eſt, tanta eum ſeriorum negotiorum mole obrutum intellexi, ut cum hiſce interpellare conſultum non duxerim. Cum verò intellexiſſem, Helſingoræ eum diutius commoraturum eſſe, ibi commodius aures patulas relationi præbiturum exiſtimavi, præſertim ſi ab eo, cui nihil magis qvam concordia Collegarum & juſtitia curæ eſt, proficiſceretur. Qvocirca te etiam atqve etiam rogatum volo, ut, prima data occaſione, totius hujus controverſiæ rationem & fundamenta Magnifico Domino Cancellario exponere haud graveris, ſimulqve, qvid facto opus ſit, expiſcari haud dedigneris. Nullus enim dubito, qvin, cum rem totam perceperit, & juſtitiæ & Academiæ tranqvillitati & meæ exiſtimationi conſultum cupiat. Siqvid à me proficiſci poſſit, qvo tibi tuisve viciſſim inſervire valeam, ne dubitaveris, qvin promtum paratumqve me ſemper ſis habiturus. Ut totius negotii fundamentum facilius aſſeqvaris, hiſce exemplum ejus propoſiti, qvod in Conſiſtorio Profeſſoribus exhibui, adjeci. Præcipua namqve momenta continet, qvibus fretus exiſtimem, me nullo jure à Decanatu excludi poſſe, qvamvis illud non admodum urſerim, qvòd ne ſyllabam in tota

Funda-

latione aut ſtatutis inveniant, qva probare poſſint, Dom Medicinæ, in Facultatem Philoſophicam legitime adm, ulla dignitate Profeſſori debita privari debere. Hoc ſi fore judicaveris, legendum exhibere poteris; nec dubito, ejus Magnificentia ex his & aliis, qvo jure mecum egerint, undè collectura. Noſti periculum eſſe in mora; niſi enim lectionem novi Decani deciſa hæc controverſia fuerit, vene eodem modo, qvo ſuperiori anno, procedant. Te qvæſo, amice integerrime, hac in re officium fratris & gæ ſuſtineas, ſimulqve verbulo, qvid reſponſi tuleris, in. Nihil in me erit, qvod tibi tuisve perpetuo obſeqvio non licatum. Deus Opt. Maximus conatus & labores tuos in ſiæ & horum Regnorum ſalutem qvam feliciſſime dirigat!

XXXIV.

OLAUS WORMIUS

Caſp. Eraſmio.

Ratias, qvas poſſum, Vir Clariſſime, ago maximas, qvod meum tibi adeo commendatum negotium paſſus ſis; referm ſufficientes neqvam, Deus largiſſimus erit omnium remunerator. Non dubito, qvin, ſi Magiſtratui indicetur, qvanimorum diſſenſionem, qvantamqve inter multos hæc litritura diſcordiam, ſi ſtricto jure deciſa, & non amice comfuerit, operam ſit daturus, ut pars læſa in integrum retur. Indies novæ exoriuntur diſſenſiones. Magiſtratum eſignavit Rector, ipſo fomitem more ſuo ſuppeditante, non olum, ſed aliæ multæ recrudeſcere cœperunt, imò & noortæ ſunt, qvæ forſan & te nonnihil attingunt. Legem illam à qvibusdam Philoſophis, de non permittendo Stus libertatem Præceptores eligendi, ubi pro autentica obtruonaretur Rector, *D. Bartholinus* illam, præcipuè in tui præjudicium latam, ab omnibus Profeſſoribus non appron, imò ne ab ipſis Philoſophis (ego enim, ab ea me ſemper rruiſſe, ſolenniter proteſtatus ſum) nec ulla neceſſitate inctam declaravit. Qvocirca cum & tua res hic agatur, peit cauſa in tuum adventum intacta reſervaretur. Bilem hoc

C movit,

movit, qvod cum ultima depoſitione aliqvi eſſent, qvi proteſtati ſunt, ſe non alium in Præceptorem privatum electuros, qvam *D. Bartholinum*, iis, pro imperio, minis & obſjurgationibus prohibuit, id ne facerent; hi vero conqveſti ſunt apud *D. Bartholinum* hæc & multa alia: qvæ vera eſſe ipſe Rector in Conſiſtorio fateri coactus eſt. Sed ſe pro imperio facere hoc potuiſſe contendebat. Vides; ut omnia indies exacerbentur. Qvid de Rectoratu actum ſit, *D. Aslaco*, tibi ut, nomine totius Univerſitatis, referret, in mandatis datum. Si adfuiſſes, juraſſes hujus exitum, vitæ in hoc officio tranſactæ reſpondiſſe, ut, Deo volente, præſens percipies. *Plumius* rediit, ſed eum nec vidi, nec allocutus ſum; qvid tentaturus, ignoro. Rem Deo commendavi; ipſe faciet, affectusqve omnes diriget, in ſui ſolius Nominis gloriam. Age, amice conſtantiſſime, in propoſito perge, Wormium tuum æterno obſeqvio tibi devincire ne deſiſte, daqve operam, ut optatum reſponſum, prima occaſione, recipiam. A *Finckio*, *Bartholino* & uxore officioſe ſalutaris.

Svaſit Magnif. Cancellarius, Baſileam ut ſcriberem, ac teſtimonio, me qvoqve in Philoſophia promotum eſſe, confirmari peterem. Sed qvam mihi hoc futurum ſit arduum, ipſe vides, cum ſemel ejus rei nactus ſim ſufficiens, nec integrum mihi ſit cauſam exponere, cur petam, (prohibitum enim in Conſiſtorio, ne cauſam ad exteros deferrent) nec, intra anni ſpatium, me reſponſum conſecuturum ſperem. Si hanc ei, data occaſione, eximere poſſes opinionem, ac commodius conciliationis medium ſuggerere, rem faceres gratiſſimam. 1618.

XXXV.

OLAUS WORMIUS

Decano & Profeſſoribus Facultatis Medicæ in illuſtri Academia Baſileenſi.

VEſtram, Viri Clariſſimi, Præceptores colendi, in re, non minus Academiæ Veſtræ dignitatem, qvam multorum exiſtimationem attingente, implorare opem & auxilium jam coëgit neceſſitas; qvocirca, qvin ea benevolentia, qva me ſemper complexi eſtis, importunam hanc ad Vos ſcriptionem ſitis excepturi, & optata reſponſione mihi qvam primum gratificaturi, nullus

dubito.

. Annus jam agitur qvartus, ex qvo ad Profeſſionem ophicam in Regia hac Hafnienſi Academia vocatus ſum, huc usqve munia omnia & onera, qvæ in Profeſſorem Phi- iæ hujus Academiæ cadere poſſunt, inculpata fide ſuſtinui. i, anno præcedente, ad me ubi Decanatus devolutus eſ- um mihi invidere qvidam cœperunt, prætendentes, me Magiſtrum nec in Doctorem Philoſophiæ promotum, ut (qvod Decani hujus Academiæ munus eſt) alios in Magi- hiloſophiæ promovere neqvierim. Rem tamen aliter ſe :, teſtimonio, qvod à Vobis habeo, cum ſolenniter Me- Doctor Anno 1611. renunciarer, probare conatus ſum. eliqva enim, mihi ea conceſſa eſſe Privilegia demonſtra- qvæ Doctori Medico ubivis terrarum concedi ſolent; ſed em unqvam in ulla Academia, Doctorem Medicum legiti- ilea creatum Philoſophum non eſſe, & ſub gradu ſuperio- toratus in Medicina inferiorem, Doctoratus ſc. in Philo- , non conſecutum eſſe, probare poſſe exiſtimabam. Ta- qvod qvam plurima alia extent in ipſo teſtimonio, qvæ declarare exiſtimo, Doctorem Medicum, apud Vos le- creatum, Philoſophiæ qvoqve eſſe Doctorem; qvalia a: (1) Indiſſolubilem Philoſophiæ & Medicinæ eſſe ne- um Medicina ſit propago Philoſophiæ. (2) Cauſam, cur, m Collegii Medici procerum conſenſu, ſvadentibus appro- usqve cunctis, diſſentiente penitus nemine, dignus Apolli- rea ſim judicatus, eam qvoqve eſſe, qvod in Philoſo- ntos fecerim progreſſus. Teſtimonii exemplum mitto, e communicatum ſit, videatis. Hiſce cum nihil profe- , res ad Superiorem Magiſtratum delata eſt, qvi mihi in tis dedit, ut à Vobis Teſtimonii mei explicationem expe- , & num, hac promotionis forma, eos, qvos pro Phi- is vel Magiſtris haberi nolitis, ſupremo in Medicina titu- metis? Videtis igitur, Viri Clariſſimi, qvæ res agitur; m Veſtris promotionibus detraheretur, ſi Veſtris Docto- idem Jus non eſſet, qvod in aliis Academiis promotis; pauci item gradum apud Vos in Medicina ſummum affecta- ni ſe hoc privilegio gaviſuros ſperarent. Qvocirca etiam etiam contendo, ut, pro eo favore, qvo me, per trienni- e, qvo apud Vos vixi, proſecuti eſtis, diſerte, teſtimo- rmulæ, mentem & ſententiam Veſtram de hac controver- timatis, ſimulqve declaretis, an Doctori Medico, apud

Vos legitime promoto, & in Philoſophicam Facult. admiſſ
ſit Magiſtros & Baccalaureos creandi. Non dubito, qv
affirmativam inclinetis, cum & exempla non ſolum Veſtr
etiam aliæ multæ ſuppeditent Academiæ. Agite igitur,
Clariſſimi, affectum in me veſtrum experiar, & reſponſu
cultatis ſigillo munitum, prima occaſione ut habeam, e
Hoc ipſo non ſolum mihi omnibusqve, qvi in Academia
hoc titulo ornati ſunt, rem feceritis æqviſſimam & gratiſſi
ſed etiam amplitudine, dignitate & honore Academiæ V
imprimis præſtiteritis dignam. Qvin prima data occaſio
ſponſionem ſim laturus, plane non diffido. Si antea non
commodiſſime cum Bibliopola veſtro, *Ludovico Könin*
nundinas Francofurtenſes eunte, fieri poteſt; Is enim
Waldkirkio, eodem tendenti, literas commendabit. V
Viri Clariſſimi, Præceptores & fautores optimi, veſtru
Vobis clientem commendatum eſſe patiamini. 1618.

XXXVI.

OLAUS WORMIUS

D. Caſp. Brochmanno.

FAſciculum hunc, Lugduno Batavorum Magnifico D
Cancellario offerendum, ante paucos dies ad me tran
M. Stephanus Johannis. Qvia vero ejus præſentia frui, d
lima hac tempeſtate non licet, nec mihi ad Vos recu
oblatâ occaſio, rogo, hanc in te provinciam ſuſcipere,
phanii conatus de meliori nota ejus Magnificentiæ comme
ut haud graveris. Credo hocce faſciculo contineri op
varia *de Regno Daniæ & Norvegiæ*, qvæ nuper edidit,
Cancellarii inſcripſit. Nos qvod ſpectat, valemus adhuc D
favore omnes Vobisqve ex animo proſpera qvævis opt
Salveat à me & meis uxor totaqve familia. Hafn. 26. Sept.

XXXVII.

OLAUS WORMIUS.

D. Caſp. Brochmanno.

MIrari ſatis neqveo, Rector Magnifice, cur tantis amba
tantisqve præoccupationibus id à me petas, qvod tu
p

ere meritò deberes. Mitte librum; paratum me reperies, ſi centies majori officio me tibi gratificari poſſe ſcirem, nihi antiqvius eſſet, qvàm operam meam accommodare. A igio (qvantum qvidem expiſcari potui) immunes adhuc ſunt i Typographi ædes, nec, eum temere admodum ſe pericuponere, credo. Qvanta igitur poſſim diligentia, in hoc e verſabor, ac, ſi qvæ occurrunt particularia, qvæ obſervata, mone; ut ad nutum tuum fiant omnia, procurabo. O, n gratus mihi fuit de adventu tuo nuntius! effari enim ne-, qvantopere vos omnes, ſolus ego hic & mœſtus, deſide-

Sed feſtina lente; nec enim ſtabile qvid adhuc nobis proere valemus. Serpit adhuc malum, & non procul ab ædi- noſtris jam ſedem fixit. Deus Opt. Maximus, ut hactenus, einceps, clementer nos protegat, Vosqve omnes nobis ſalreſtituat! Vale, vale, amicorum candidiſſime, Tuamqve os officioſe ſaluta. 1629. m. Nov.

P. S. Coagium vocatum eſſe *M. Olaum Benedicti* inaudio, ejus locum ambit *Balthaſar* noſter, cui etiam, ut noſti, olim ſpem præbuimus; ejus igitur ut jam haberi poſſit ratio, exopto.

XXXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Caſparo Brochmanno.

T primum librum tuum accepi, vocato ad me *Sartorio* noſtro eum in manus tradidi, ſingula qvæ in editione obſerda expoſui, utqve promiſſis ſtaret, ac confeſtim operarum inin faceret, rogavi, ſed fruſtra; ille, more ſuo, chartas, qvas in prælo tenebat, abjicere ſe poſſe negabat: hodie certè charunam ad me transmiſſurum promittebat, ſed nihil adhuc vi- Die Veneris præterito, iterum eum conveni, rogans, ut ſpecii ederet, qvod cum *Balthaſare* hodie ab te commodiſſime nsmittere poſſem, qvod verbis valde lubricis promittebat, at præſtabat. Non deſinam hominem urgere; ſed mea non it monita, forſan literis tuis adhuc ſemel ſollicitandus; noſti n ejus ingenium moroſum & pertinax. *Balthaſarem* qvod att, auditus à nobis eſt heri & approbatus ab omnibus; nemine

penitus refragante; nihil jam reſtat, niſi ut literis vocationis à Vobis ornetur; hocqve ſedulo ut urgerem, petiit Paſtor noſter *M. Johannes*, qvi ſolus onera omnia jam ſuſtinet, altero Miniſtrorum avocato, altero morbô gravi decumbente. Speramus igitur, Vos eum, qvam primum fieri poteſt, ad nos remiſſuros. Vale, Frater optime, & bono publico diu vive & vige. Uxorem & familiam officioſe ſaluta. Haſn. 30. Nov. 1629.

XXXIX.
CASP. ER. BROCHMANN
D. Olao Wormio.

Hafniam.

CLariſſ. & Excell. Vir, Collega conjunctiſſime, & amice conſtantiſſime. Unum eſt, de qvo te, mi Domine Doctor, ut & Dominum Doctorem *Plumium*, nomine publico rogatum velim. Urgete jus noſtrum, pro obtinenda particula hæreditatis, qvam extraneus hæres *Dn. D. Metzneri*, Univerſitati ex præſcripto conſtitutionum Regiarum pendere tenetur. Cancellarium, ſed in Archivo Regio, convenite, & ut nobis faveat, cauſæqve publicæ auxilio & conſilio adſit, rogate. Certus ſum ipſum non defuturum vobis. Obtuli ipſi nomine Univerſitatis libellum ſupplicem, Regiæ Majeſtati offerendum. Operam condixit, nec dubito, qvin datam fidem fidè impleturus ſit. Conſultum tamen eſt, ut jus noſtrum perſeqvamini, ſed moderatiſſimè; nam Dn. *Metznerus* nobilitate elatus fuit, qvantumvis non ortu acqviſita, ſed clementia Cæſarea impetrata. Qvicqvid ergo impetrabimus, precariò obtineamus neceſſe eſt. Nutu tantum urge D. Doctorem *Plumium*, qvi operam ſuam libens tibi, tanqvam Prorectori, condicet & comprobabit, ac tecum Cancellarium conveniet. Vale & bonum publicum more tuo procura. Roſchildiæ ad lucernam, manu labente præ ſomno, Die 1. Decembr. 1629.

Cavete, ſignificetis, qvòd meo ſuaſu Cancellarium adeatis. Dicite injunctum hoc vobis communi nomine Profeſſorum, tum qvi Roſchildiæ, tum qvi Hafniæ ſunt. Interim non oberit, ut moneatis de libello ſupplice, qvem obtulimus mittendum opera Cancellarii ad Regem. Te ac tuos ego ac mea officioſè ſalutamus. D. *Plumio* ſalutem dicito amiciſſimam.

XL.

XL.

OLAUS WORMIUS

Laurent. Scavenio.

Argentoratum.

Binis tuis dudum reſpondiſſem, mi Scaveni, ſi modo occaſio commoda id præſtanda oblata fuiſſet. Jam a. cum ſperem, meas ad te cum mercatoribus Francofurtum euntibus certó delatum iri, non poſſum qvin tam promptæ tuæ affectioni mea qvalicunqve occurram. Certo igitur tibi perſvaſum habeas velim, ſi qvid a me proficiſci qveat, qvod commodo & honori tuo inſervire qveat, id omne tuis ſtudiis conſecratum eſſe. Cæterum illæ, qvibus hiſtoriam dediſti illius Ardeiionis, qvi ſe aſſeclam Societatis R. C. proclamavit, adeo me affecerunt, ut magni beneficii loco reputem, ſi crebrius de talibus, qvæ apud vos geruntur, erudiar. Si qvid poſthac de eo reliqvisqve hujus ſectæ complicibus perceperis, id ne me celes rogo. Gratias habeo tibi maximas, qvod literas Bauhino tradendas probe adeo curaveris: accepit n. & reſpondit, ſed aliena manu, langvorem ex contracto morbo, ut recte ominatus es, prætendens. Celebravimus & nos per integrum octiduum Jubilæum ſeculare, in memoriam per D Lutherum repurgati Evangelii, orationibus Academicis & concionibus Eccleſiaſticis aſſidue vacando. Sed cuſis numiſmatis ſuperiores vos agnoſcimus. Qvin & dies Conſtantiæ & Concordiæ, D. Luthero natalis, nobis fuit ſacer, recitata oratione publica ab affine D. Caſparo Bartholino, de comparatione primi Eliæ & tertii, Lutheri ſc. in freqventi Profeſſorum & Eccleſiæ Paſtorum conſeſſu, non ſine inſigni omnium applauſu. Goclenii nugas de reſurrectione carnis Phyſica duabus diſputationibus publicis, erudite ſatis & nervoſe refutavit nuper idem affinis noſter, tibi absqve dubio earum miſſurus exemplum. D. Saltzmannum Phyſicum veſtrum meumqve olim hoſpitem, cum diſcipulis tuis officioſe ſaluta. Valebis a me, uxore noſtrisqve omnibus, qvos crebris tuis alloqvi haud deſines. Hafniæ ipſis Calend. Martiis Anni 1618.

XLI.

OLAUS WORMIUS

Laurentio Scavenio.

QVod una fidelia duos parietes jam dealbem, ac unica n
nis tuis reſpondeam, ipſemet tabellionum raritati tri
dum eſſe facile agnoſcis, ut pluribus excuſationi minus i
bendum. Delirum illud *Crucigerorum* genus ſpe inani cu
tanto temporis tractu credulos lactaverit, qvin proprios
nos tandem in ſe ſint concitaturi, vix dubito. Qvid enim
tot magnicrepa promiſſa, tot lingvarum & ſcientiarum re
tiones jactatas, præter inanes qvasdam fabellas, & ſvavib
busdam inſomniis commaculatas chartas, nobis obtulerun
præſtiterint, qvod verbis pomposis polliciti ſunt, in auras
illorum evaneſcent conatus. Cæterum ne dubites, mi *Sc*
qvin, ſiqvid occurrerit, tuis conatibus par, tui ſimus h
rationem. Sed morem hujus ſeculi noſti; præſentes mun
lunt. Cum redieris, dabimus operam, ut noſtra officia
cata cognoſcas. Brevi futurum ſperamus, ut Academia
novo exornetur Collegio, in qvo, Menſa Regia qvi vivu
dioſi ſimul habitent ac cubent, qvò ita petulantia multorum
modius coerceatur, & pietatis exercitiis occaſio detur ir
uberior. Mihi munus Decani Philoſophicæ Facultatis cum
mandatum, circa Aprilem anni ſeqventis Magiſtralem pro
nem adornare animus. Siqvis igitur ex noſtris apud vos
dignè hunc Gradum ambiat, eum, ut ad dictum tempus ſ
monebis. Vale. 1618.

XLII.

OLAUS WORMIUS

Laurentio Scavenio.

Genevam.

ITane amicas tuas, ſvaves, acceptiſſimas, importuna
fore ſuſpicari audes? Cave tale qvid tibi in mentem
eæ enim ſunt, qvæ defeſſum recreant, animum novitatis

rebus jucundiſſimis implent, & me, hic exiſtentem, vobiscum verſari faciunt. Qvò igitur crebriores, eò gratiores, eſſe reputato. Occaſione itaqve oblata, ſi nihil ſit, qvod ſcribas, & hoc ſi ſcribas, perjucundum erit. Cæterùm jam fore ſperamus, ut qvod diu multumqve animo volutavimus, in actum erumpat, hoc eſt, ut re ipſa experiaris, qvantopere tum ego, tum noſtri omnes tibi tuisqve ſtudiis addicti fuerimus. Tribus enim hujus Regni Capitulis primariis, Roeſchildenſi ſc. Otthonienſi & Lundenſi, qvinqve Regio diplomate deputati ſunt Profeſſores publici, qvi Philoſophiam & Lingvas docebunt. In horum numerum, ſi ita viſum tibi fuerit, ut coopteris allaborabimus. Nec contemnenda hæc conditio, ſiqvidem ſtipendiis honeſtis militabunt, publicè docebunt, ac inde ad Academiam promovebuntur. Huc igitur à Patrono tuo impetrata venia, ſi te contuleris, non dubitamus, qvin votis tuis eventus ſit reſponſurus. Sed forſan de hiſce alii ad te, ego hæc privatim in aurem. Nova hic pauca, niſi qvod luis peſtiferæ contagium, qvod urbem hanc invaſit, ingentem minitetur ſtragem. Deus Optimus maximus, cujus favore Academia ejusqve cives omnes hactenus incolumes evaſerunt, porro clementer nos protegat! Ferunt, Genevenſes veſtros Sabaudum admiſiſſe, ac Pontificiis liberum religionis exercitium in urbe permiſiſſe, qvod an ita ſit, docebis, Vale. 1619.

XLIII.

OLAUS WORMIUS

Bertilo Canutio.

Ecce tibi tuos jam remitto, ritibus conſvetis in album ſtudioſorum receptos ac privilegiis civitatis Academicæ donatos. Reliqvum erit, artium humaniorum ac literaturæ latinæ lacte ſufficienter enutritos, ſolidiore Philoſophiæ cibo paſcere, ac pedetentim ad virile illud ſapientiæ robur qvaſi manu ducere. Cæterum amicitiam noſtram hiſce initiis inchoatam mutuis ſalutationibus age confirmemus; per me non ſtabit, qvin te crebris meis, etſi jejunis, obruam, qvo mellitis tuis Muſis aſſiduo recreer. Certo itaqve perſvaſum habeas, velim, nihil mihi antiqvius eſſe poſſe, qvàm officiis & facto animi mei erga te motus in apricum proferre. Ut tibi placent Gothica noſtra? nihilne ad

ad tuam ſalivam? Certe digna non puto, qvæ Cimmeriis obtuantur tenebris; interim non niſi aliis ejus generis Heroum veterum elogiis permiſta ac Latiali eaqve compta toga in publicum prodire ſvaſerim. Forſan tibi qvandoqve ſolvent ſoteria. Vale & amantem redama. Hafn. 1619.

XLIV.

BERTIL. CANUT. AQVILONIUS

V. C. Olao Worm

Doctori Medico Sal. mit.

Portuam.

CAras miſiſti, mi Wormi, &, ita me Phœbus, ad illius genium factas; ac in hoc langvore (libere & in os dicam) lenimen fuit videre. Vos in fauſtis ibi rebus, in læta & manenti luce, non aliter poteſt, qvàm læta inde manare & votiva. Certè iſtæ tuæ mihi fuerunt, & lætitiæ imbuerunt ſvavi ſucco, ac obſecro alias uſurpa & me in gaudium (nam hoc facis) ſic ſæpe dona. Jam ut Epiſtolæ tuæ veſtigia leviter legam. In diſcipulis meis jam mihi placeo, qvòd ii ſic tibi; ad alta (ut verè cenſes) & ſumma veniant, ſi ſic eant. Ego fideliter duxi & bonâ fide, & ad ſapientiam monſtravi (ſi unqvam factum) per rectam viam. De antiqvis illis, ea verò mihi proba, grata &, ut ſtudia jam ſunt, oportuna. Inſpergam alibi & merentur præ ulla inſcriptione Laciâ & Romanâ. Vides qvam ibi nunc cum diligentiâ inqvirunt, cum labore. Vides, qvam magni olim aut nûnc in his curis *Lipſius*, *Scaliger*, *Gruterus*, aut alii in iſtis locis magni. Cur non imitemur? Cur non oſtendamus etiam hic eſſe & a remotiore adhuc ævo. Typographos tamen ægrè habeam ad iſta, nam Gothicæ noſtræ litteræ in nullis nunc officinis; non hic, in Belgica tamen puto habiturum; & qvi *Vulcanii* iſta dedit, mihi ſic per te viſa. Alia nunc vocant, inter ea templum. Tu ſalve. IX. Cal. Nov. Anni cIↄ Iↄcxix.

XLV.

XLV.

BERTILUS CANUT. AQVILO.

V. C. Olao Worm

Philoſ. & Med. Magno.

MI optime, mi oculiſſime Wormi, addixiſti inſcriptiones & epitaphia, qvæ Weſtmonaſterii in Anglia viſuntur, qvæ Argentorati (ſi rectè memini) in Germania. Venio nunc ut beneficium id capiam. Nam *Laurentius* hic meus *Inſcriptiones* omnes *Danicas* nobis dabit & excitabit docto ac decoro (ita ſpero) ſcripto. Et nunc ſtatim libros duos ex Selandia & Scania. Juvari in ea re poteſt tuis iſtis libris, ut videat, qvam formam, qvem modum reliqvi illi ſeqvuti. Tu nunc mitte qvæſo, certò imò citò recepturus. Nomen & laudes tuas in ſcripto iſto videbis inſperſas, qvi author primò, nunc adjutor ad id fuiſti. Vale & ſalve, nam gratias nunc non ago pro nupera humanitate (major enim erat qvam pro hoc ævo) alibi mox faciam, publicè faciam; ita eſt fuitqve tua virtus. Læderææ V. Id. Qvint. cIↄ Iↄcxxi.

XLVI.

OLAUS WORMIUS

Bert. Canutio.

LIbros, qvos petiiſti, *Laurentio* noſtro tradidi, qvibus pro lubitu uti datum eſt. Qvæ tu *Argentinenſia* putabas, *Baſileenſia* ſunt, & qvidem acuta ac gravia. Collegit præterea *Nathan Chytræus* in ſuis *Deliciis Danica* varia, & inter illa qvoqve *Uraniburgica*, qvæ unà miſiſſem, ni dudum tibi cognita ac perſpecta fuiſſent. Illorum tamen diligentem, velim, habeat rationem, cum & præclara ſint, & æterna memoria digna, licet ævi noſtri iniqvitas qvædam eorum deleverit. Monſtravit mihi obiter, qvæ collegit, ſed illorum delectum reqviro diligentem; vulgaria enim illa, & nullius cenſus hominum, Titii ac Mævii, magis nauſeam qvam delectationem excitabunt. Placebunt Regia, antiqvitate ſola veneranda, hiſtorica virorum celebrium, jocoſa aut penitus ridicula. Acre judicium adhibuit *Chytræus*, ut & *Baſileen-*

Baſileenſium collector, qvorum veſtigiis ſi inſtiterit, genium, qvo victurus ſit, acqviret liber. Tu director, tu cenſor eſto. *Runica* noſtra qvousqve tandem latitabunt? Hiſce ſi placet, præfige, cum ſtimulo, ut, ſi alibi apud doctos ejus generis in lucem eruantur, qvò & exteri cognoſcant, Antiqvitatibus ſuis non deſtitutam eſſe Daniam noſtram. Calend. Auguſti. An. 1621.

XLVII.

BERTILUS CANUTIUS

V. Cl. D. Olao Wormio.

CLariſſime Wormi, *Aſſerous* indicium mihi fecit de carmine meo in tuas ad *Ariſtotelem* notas non perlato. Qvid verò? Ego ſtatim miſi, ut ego a vobis. Vides fraudes, nec pervenire ſemper, qvæ inter nos damus. Ego in ſchedis meis qvæſitum iterum mitto, ſpero qvale voles. Qvid etiam? Gratum facere mihi tibiqve potes iſta occaſione. De *Magnitudine Danica* ſcriptum concepi jam diu. Id jam ſub manum iterum reducere hac æſtate eſt animus &, ſi voles, tibi in eo altum æternumqve locum dare. Eſt in eo caput (deſcriptum hoc mitto, ut videas, qvale velim, a C. *Bartholino* itaqve peto, ſcio non negaturo, qvod ipſe tibi dicet) in qvo laudationes aliqvot generaliter præmitto. Id qvod tu decore nunc te immittas. Si pro mente tua ſit. Nam in dedicatione aut ad lectorem præloqvio *De Dania* obiter immiſcere aliqvid tibi non grave, qvod decore poſtea citem & ad me traham. Fac, mi Wormi; ita ſcriptum id te portabit verè decoreqve laudatum, & in loco poſitum, ad qvem vel ipſe adſpires. *Aſſerous* multa de te dicit, nimis qvam in ſe humano & proclinato. Gratias ego, ille, parentes, dicimus, relaturi etiam in brevi; nam non ego, non ille neſcimus, qvid præceptori qvid Medico debebit, nec auferetur id, aliqvantum dilatum. Salve, Salve.

XLVIII.

OLAUS WORMIUS

M. Bertilo Canutio.

REdit ad te *Aſſerus*, qvem mali pertinacia hucusqve apud nos detinuit; ſine meis autem abire eum non ſum paſſus,

qvò

qvò nullam me prætermittere occaſionem tecum per litteras garriendi videas. Pro erudito carmine gratias ago maximas; ſi modo typographus promiſſis ſteterit, brevi divulgatum videbis. Neſcio, an *Pæan Danicus M. Johan. Craphtii* ad te ſit delatus; in eo qvam plurima extant, tuo propoſito inſervientia. Nuper 37. Candidatos, inter qvos *Bremerus* noſter, prima in Philoſophia laurea exornavi. *Diſputationem* ſolennem ut & *Programmata* mitto. Proœmii loco *Baccalaureum Philoſophiæ* ſuis coloribus depinxi; qvem publici juris fieri diſcupiunt Collegæ & Candidati omnes. Forſan brevi videbis in eo genere, qvæ nullus hactenus tentavit. Vale, & vive, decus noſtrum. 1621.

XLIX.

BERTILUS CANUTUS

V. C. Olao Worm.

S. D.

TAndem tandem Antigrapha noſtra habe. Sed in parte; nam timidi qvodammodo producimus & certi contemptores fore & qvi elevent ac carpant. Aliter tam pauca non dediſſet. Experiri judicia ita volumus. Et ſi pro nobis ſint, plena tum demum manu dare; Nam e Scania hac multa eruuntur non viliora iſtis, ſæpe politiora. Utinam tuum & magni *Caſpari* calculum trahant ſecum. Hoc a te peto, velis levi oculo percurrere, nam mihi hoc otium nunc non fuit (ipſe dicet) ut pro eo perlegerem. Immutare etiam, addere, demere, tibi jus eſto; Nam collectanea ſecum adducet. Mihi nimia congeries non placuit, aut e fæce ſumere. Ut juvarem etiam, nec ille nec ego volui, excipio, ſi judicio interdum direxi. De *Inſcriptionibus* noſtris antiqvis, dum literas ipſas curo dari, præmitto hic aliqvid, etſi ſimulatum ac qvaſi ad te olim ſcriptum, ut deſideria ſic iſtarum rerum excitet & irritet; Spero te non nolente factum; Tu cum *Caſparo Barth.* Phœnice noſtro communica (cui hæc volo ſimul ſcripta.) Salvete Muſæi Heroës (id enim eſtis) & me diu ſic amate. Lædercæ Id. Octobr. cIↄ Iↄcxxl.

L.

L.

OLAUS WORMIUS

Bertilo Canutio.

Antigrapha, qvæ noſter dedit *Aſſerous*, planè ad pal utqve in reliqvis idem obſervet judicii acumen, inſ dus. Ad qvid enim ſordida illa & vulgaria, qvæ nec ge nec ingenium ſapiunt? aut cur in lucem trahendi, dig Cimmeriis obvolvantur tenebris? Si qvæ occurrant, q hunc cenſum referri merebuntur, admonebunt procul amici. Nil, qvod Momus carpat, hic reperio; cum ſint ali ſint pari modo ab aliis aliena facta propria. Typographi in ut plerisqve aliis, agnoſces ruditatem. Qvantum per val nem oculorum, minus proſperam, & negotiorum cumult cuit, juvi, & de qvibusdam monui. Nomen enim cuju ut & ætatem alterius omiſſam, ob collectaneorum defect cuperare haud potuimus. Gratiſſima mihi fuit tua adje *Antiqvitatibus* noſtris epiſtola, & multorum, certus ſum, tabit, uti probe auguraris, deſiderium. Sed ſcias, te i noſtro jam eſſe, & omne promiſſum cadere in debitum. I retardabunt literæ; eſt qvi heic ſculpat, & exemplum mi ſi à Typographo impetrare potuiſſem. In *Genealogiis M.* C complura ejus generis typis expreſſa videbis. Unum alterum vidi in qvibus ἀκρίβειαν deſidero; contuli enir meis & magnam obſervavi in literarum figuris diverſitatei tantum effecit, ut *Lapidem Trygveldenſem* diligentius, d caſione, inſpicerem. Comperi (ſi fas vera loqvi) eum deſcriptione hallucinatum eſſe. Genuina enim ejus figura ſcriptio jam apud me eſt, qvam propriis oculis & manibus gna moleſtia, excepi. De qvo aliàs tecum. Utinam in h nere Criticus nobis exoriatur accuratus, qvi hæcce debito reſtituere poſſit. Qvò magis conatus *Burei* Sveci aſpici magis perplacent, utinam fuſiori ſcribendi genere illos per ſet, ac in propoſito perrexiſſet. Profectò ſi ulla alia ex hæc nomen æternum, tam ob Antiqvitatis ſanctitatem, qv rei difficultatem, & eorum, qvi aliqvid hic tentarunt, p tem, ſperandum. Perge igitur, totum te huic trade: n nitebit. Juvabimus pro virili, modò noſtri nominis v

non ſis immemor. Utinam nobis tantum otii, qvædam tentare non dubitaremus. Promotionem Baccalaureorum meditamur, cujus heic habe indicium; Decanatus onera in varia abſtrahunt. Oculi, proh dolor! parum faciunt officium. Vides, in qvas conjecti ſimus difficultates. Vale, & nos amare perge. Hafn. 8. Novembr. An. 1621.

LI.

OLAUS WORMIUS

M. Bertilo Canutio.

ASſereo noſtro de opima functione ex animo gratulor, eoqve nomine, optato ut citius ac melius potiretur ſcopo, commendatum eum de nota meliore ſtiti Magnifico noſtro Rectori aliisqve, qvorum in hoc negotio uſurus eſt opera. Non eſt qvod pro transmiſſa ſcheda agas gratias, cum ſcias, omnia mea ſtudia tibi ſemper dicata. Perfidus iſte *Ferberus* Roſtochienſis per annum jam inani ſpe de meis *Commentariis* cudendis me lactavit, qvocirca concreditos ab ipſo repetere cogor, ut alteri ibidem vel noſtro eos committam. Ita enim eſt, ut ſcribis de typographo Regio, ampliſſimum ei deputatum ſtipendium, ut ſimul Bibliopolium inſtructiſſimum hic erigat. Lugdunenſem *Elzevirium* indies exſpectamus, qvi & typos Plantinianos & nitidiſſimos qvosqve alios ſecum feret. Qvin & huc appulit qvidam, qvi æri icones, mappas & alia ejus generis emblemata, ſtipendio lauto conductus, incidat. *Baccalaureum* mitto; lege, ac cenſe; in ſterili ac à nemine exculto agro, raro lætiores ſurgunt ſegetes. Facilius qvoqve, inventis aliqvid addere qvam de novo qvidpiam cogitare. Bellum hic fervet Grammaticale, de qvo coram; nec enim tuto literis omnia committuntur. In *Phyſica Ariſtotelica* caſtranda, juſſu Magiſtratus, laboro: dies, Deo volente & laborioſum & utile qvid dabit, licet tædioſum mihi, & non ad faſtum. 1622.

LII.

BERTIL. CANUT. AQVILONIUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

QVod diu optaſti, mi Wormi, tandem ſucceſſit, ut inſcriptiones

ptiones antiqvas, hoc eſt Runicas, in ſcriptum darem. Ab Aul. mandatum ad me venit, ut Scaniam, Blegiam, Hallandiam luſtrarem; monumenta hæc inſpicerem & arbitrarer. Qvod jam factum. Multa inveni & deſcripſi, lingvæ ejus aut litteraturæ peritus ſcriptum præmittere de ea cogito. Ubi juvari a te poſſum Svetico illo (ut ſic dicam) Patente & monumentis, qvæ oſtendiſti. *Vulcanii* item iſto libello, qvem noſti. Da hoc mihi, ut in breve videam uſurpemqve. Non inglorium tibi erit, & vel nunc nomen tuum in librum iſtum inſertum locô & occaſione, qvam probabis. Sed brevi videbis & cenſebis. Nec enim ferè reſtat, ut ad vos eam & Cancellario me ſiſtam, niſi ut iſta à te prius videam. Sed plenius edicet, qvi hæc tradet, qvem ſi conſilio aut opera juvare potes, qvæſo te, fac. Salve Salve. Lædereæ XIII. Calend. Martias cIↄ Iↄcxx III.

LIII.

OLAUS WORMIUS
Bertilo Canutio.

VErnalibus tuis dudum reſpondiſſem, ni fidem de meis curandis fregiſſet is, qvi tuas tradidit; diſceſſit enim me inſcio, & qvas promiſit à te collectas obſervationes, ſecum abſtulit, meqve non uno nomine deluſum reliqvit. Ecce autem, *Bremeri* mater, qvod tum cupiebam, jam, ut ſpero, meliori fide effectum dabit; Feret enim *Tabellam* illam *Sveticam*, ſed in plures à me commoditatis gratia diviſam, cum ejus interpretem apud Magnif. Cancellarium agerem. *Clavis* à me confectæ mitto exemplar, mancum tamen & mutilum propter amanuenſis inſcitiam, qvi Runica depingere haud potuit. *Vulcanii* librum affini *Bartholino*, jam peregre profecto, (qvi aliqvid de omnium nationum literis, *Runicis* qvoqve noſtris meditatur mutuo dedi; cum redierit, ſi aliqva ad te mittendi ſeſe mihi obtulerit commoditas, procurabo. Addo hiſce qvædam ſparſim collecta, & in chartas conjecta, qvæ tibi forſan haud exiguo erunt uſui. Placuit qvoqve *Chytræi* obſervationes adjungere, qvas an videris, neſcio. Eſſent forſan alia, qvæ præſenti melius monſtrantur, qvam nuntiis committuntur, de qvibus, data occaſione, ſermocinabimur. Interim tamen hæc, in qvibus haud parum ſudavi,

bona

bonâ fide mihi ſervari velim, ne pereant, ut, ubi amplius tibi uſui non ſint, per fidos remittantur. Vide, par referas, ut à te obſervata, prima commoditate, habeam. Vale 13. Cal. Aug.

LIV.

BERTILUS CANUTIUS AQVILO *D. Olao Wormio.*

Hafniam.

O Meum Wormium humaniſſimum & benigniſſimum mortalium, & cum qvo vivere non tantum ſvave ſit, ſed pro qvo mori votivum foret, ſi commodum tibi laudemqve hoc dare poſſit. Ita ſemper non ad petitiones meas ſed ferè nutum promtus ac paratus es, nec qvidqvam mihi negas aut invides, qvod in poteſtate tua & re erit. Vel poſtrema hac miſſione, qvam jucundum & hilaratum Canutum tuum reddebas, pulcherrimæ hujus *Burei* tabulæ, & magis tuæ ad eam opellæ. Sed, mi Wormi, nimis ſero nanciſci mihi eam fuit, qvi non credendo labore ad iſta pene omnia prius veni; nec tamen nego, utilem mihi in multis futurum, cum librum hunc meum reſcribo ad typos & plene elaboro. Nam ſpecimen hoc tantum eſt, & ad te mitto, ut lectum Magno Cancellario tradas, qvi per Epiſcopum meum juſſit eò mitti. Circa Michaelis eo ad vos, ut Tryggevellianum Monumentum ipſe inſpiciam, ut te audiam conſulamqve; Nam in una re qvid negem me hærere, utinam à te explicanda? Nam *Bureus* me nil juvat aut monſtrat, non ante mihi ipſi viſum. Epitaphia aliqvot tua nunqvam ante lecta & oportune ſubmiſiſti, utinam conficta non ſint & certò monſtranda, ſi qvis reqvirat. Tuum nomen non tacebitur, & grata decoraqve mentione per ſcriptum ſpargam. Nam, ut nunc eſt, paratum, ante inſpecta hæc tua, jacebat. Sed ſermonis aſpectusqve certus hæc non prolongo. Salve Salve, optime maximeqve, ex animo dico, Cimbrorum. Cal. Septembr. cIↃ IↃcxxIII.

LV.

OLAUS WORMIUS
Bertilo Canutio.

ALtum tuum tot (ut mihi videtur) ſeculis demiror ſilenti Obtorpuiſſe genium tuum, aut in alium orbem trai tum credam? Tantumne mutatus ab illo? Qvæ tempeſtas n altum illud Antiqvitatum abripuerit mare, neſcio; portum video. Alea jacta eſt, utut ſors ceciderit. *Beroſum* meum *Meſſenio* remiſſum prima commoditate exoptarem; ejus e uſum magnopere deſidero. Qvodſi in poſterum transmi velis, reddam. Interim vale & importunitati ignoſce. 162

LVI.

BERTILUS CANUTI
V. C. Olao Wormio.

SCripſi nuper ad te, mi Wormi, & ſcire aveam, an lit pervenerunt. Libros aliqvos a te petebam, & ſi Mal giam non miſiſti, commode nunc poſſem cum hac Yſtadi navi habere. Affinis enim meus eſt, qvi has eò portat, & qvic ei tradas, cito certoqve ad me feret. Neqve enim fuerit ſpes me plane fruſtret, nihilqve è libris iſtis nanciſcar. pellectilem tuam rariorum nummo hoc velim augeas. Effo ille ex agro qvodam, qvi ſæpius aratus tales repertos dedit. cerdos, à qvo eum accepi, alterum habere narratur, characteribus inſtructum, (ſed qvem celavit me, nolens fo amittere,) poterunt in eo forte Runicæ aut aliæ non adeò n ignotæ literæ reperiri. Commoditas non eſt ad plura. Lo 1628. d. 17. Maji.

LVII.

OLAUS WORMIUS
Bertilo Canutio.

PRo transmiſſo nummo gratias ago; Arabicos continet racteres, ejusqve generis plures habeo etiam in his ori

foi

ios. Arbitror olim â noſtratibus, qvi devotionis ergo loca :roſolymitana viſitabant, advectos, & inter pretioſiores the-ros reconditos. Nullum adhuc videre mihi contigit, qvi nicas obtineret literas, qvamvis *Hardicnuti* & *Ethelredi* sdam oſtentare valeam, obſoletis Latinis conſpicuos. 1628.

LVIII.

OLAUS WORMIUS

Bertilo Canutio.

Atet mea *Literatura Runica*, animum tranqvilliorem, *l* ſculptoris item & typographi manus exſpectans. Nugas meas *ienſes* (ab *Henrico Spelman*, Eqvite Britanno Erudit iſſimo orifice exceptas) te dudum vidiſſe arbitror. Tu vota pro ci cœptis fundere haud deſine, & fave. Vale. 1630.

LIX.

OLAUS WORMIUS

Oligero Roſæcrantzio.

Itto Tibi, Generoſiſſime Domine Oligere, panegyricam hanc meam *Orationem*, lachrymis Jeſuiticis oppoſitam, iſſu Illuſtris & Magnif. Domini Cancellarii, Dn. *Chriſtiani* *ii de Kragerup*, Academiæ noſtræ, poſt Deum & Regem, ſervatoris ſupremi, cohortationibus amicorum, & Audito- haud paucorum petitionibus in publicam lucem protruſam, m Tuo nomini cur inſcripſerim, epiſtola præfixa docebit. qvod res eſt, dicam, eruditiſſimæ tuæ de rebus Divinis diſ- ationes, qvarum me, licet indignum, participem eſſe aliqvo- voluiſti, adeo in Tui admirationem animum meum excita- t, ut, qvibus modis ulteriorem Tuum favorem ac benevolen- a captare poſſem, meditari aſſidue haud deſierim. Ac, cum tenus affectum meum declarandi occaſio ſeſe obtulerit nulla, c hanc minime negligendam duxi. Audaciores enim ſolent literæ viva voce, ac, cum neceſſitas id exigit, pudorem, multos haud raro optatis privavit, animoſius exuunt. Acci- pitur ſerena fronte exiguum hoc animi mei indicium, ac apud

Te affectus audaciæ veniam impetret; Indignum fateor Nominis Tui ſplendore munus, ſed mola ſalſa & thure Deos placamus, ubi operoſis hecatombis non licet. Si qvid præterea à me unqvam proficiſci valeat, qvod tuæ dignitati aut honori inſervire qveat, illud totum hiſce oblatum cupio; ac, ne gravioribus occupatum, importuna forſan interpellatione, diutius detineam, Te, cum nobiliſſima Conjuge ac tota familia, Divinæ benedictioni commendatiſſimum cupio. Vale. Haſn. 8. iduum Martii. Anno 1619.

LX.

OLAUS WORMIUS
D. Friderico Severinio.

CUm nuper Magnif. Cancellarium, *Chriſtianum Friſium de Kragerup*, convenirem, & mihi tecum haud vulgarem intercedere familiaritatem intelligeret, dixit ſe percepiſſe, Parentis tui Manuſcripta apud te adhuc latitare, qvæ divulgata ſummopere cuperet; qvocirca juſſit, tibi ut ſcriberem, ejusqve nomine adhortarer, ut iis revidendis incumberes, ac qvædam ex iis prima occaſione, typis mandares; eo te ſingularem & Regis Clementiſſimi & ſuum aucupaturum favorem. Porro ubi indicaſſem, te ex iis immaturas qvasdam in *Ariſtotelis libros Phyſicos* meditationes mihi communicaſſe, auctor fuit, ut eas recognoſcerem, colligerem, in ordinem digererem, ac ſub Parentis tui nomine ederem, ut tu qvantulocunqve labore ſublevareris, ſimulqve ad paria in reliqvis præſtanda incitareris. Verum ſiqvidem abunde in propriis habeam, qvod agam, non libenter me alienis immiſceo; qvocirca ut tu (cum ex reliqvis, qvæ habes, Manuſcriptis, huic qvæ deſunt, ſine ullo negotio ſupplere valeas) hunc etiam librum edendum ſuſcipias, maximopere rogo; hoc ipſo Magnif. Cancellario rem gratam præſtiteris, meqve magno onere liberabis. Cum etiam, te invito, hoc oneris in me, propriis alioqvin occupatiſſimum, ſuſcipere nolim, velim, prima occaſione mentem tuam mihi aperias, ut, qvid reſponſi Cancellario dare qveam, habeam. Sin viſum tibi fuerit, ut hunc laborem, in tui & Parentis piæ memoriæ gratiam, in me ſuſcipiam, &, à te hæc profecta eſſe, in epiſtola ad Lectorem indicabo, &

tui

tui ſimul mentionem injiciam longe honeſtiſſimam. Hæc, reſponſum prima occaſione exſpectans, & mandato Magnif. Domini Cancellarii ſatisfacturus, brevibus tibi indicare ſtatui, ac proinde te, cum uxore lectiſſima, liberis totaqve familia, protectioni Divinæ ſedulo commendo. Amicos & affines noſtros communes ſalutare haud graveris. Hafn. 25. Junii. An. 1620.

LXI.
OLAUS WORMIUS
D. Friderico Severinio.

QVod cramben tibi, Affinis exoptatiſſime, apponam, iterumqve eadem de re ſollicitare non deſinam, qvæſo ægrius ne feras. Ubi etenim à Sorore tua catalogum eorum, qvæ habes, à Parente tuo ſcriptorum accepiſſet Magnif. Dominus Cancellarius, juſſit, ut haſce ſecunda vice ad te darem, in qvibus petit, ut ea, qvæ in hoc catalogo deſignata vides, una cum aliis, ſiqvæ præterea habeas, ei, ſub inviolatæ reſtitutionis cautione, mittere haud graveris. Singulari etenim benevolentiæ affectu, qvo manes Parentis tui p. m. proſeqvitur, ſe permotum ait, ut diligentius in ejus ſcripta inqvirere non deſinat, ejusqve famam qvovis modo propagatam animitus cupiat. Addidit, non ſolùm ſibi, ſed etiam Regiæ Majeſtati gratum admodum futurum, ſi in hiſce parentis tui monumentis edendis operam diligentem locares, qvò tibi ipſi forſan ad majora viam ſternere poſſes expeditam. In reditum igitur regii hujus tabellarii ut omnia colligas, cupit, qvò eò ſecurius, ſine ullo amiſſionis metu, ad ejus manus pervenire valeant. Vale & uxorem a me & mea officioſe ſaluta. 1620.

LXII.
OLAUS WORMIUS
Andreæ Longebechio.

Jenam.

GRatiſſimæ tuæ mihi fuerunt, vel eo ſaltem nomine, qvod ex adjunctis, te de priſtino tuo fervore & in palæſtra Muſarum alacritate nihil penitus remiſiſſe, videam. Perge modo famam extendere factis, nosqve tuis, data occaſione, de ſtatu

veſtro certiores reddere. De noſtro viciſſim in te benevolo affectu ac prompta voluntate non dubitabis. Libellum illum *Fratrum*, diſqvirentem, an *Hoſtia ſit verus cibarius?* vidi & habeo, atqve ex eo colligo, totam illam *Societatem Cruciferorum*, ſi modo qvæ ſit, omnium ſectarum eſſe conflugem; cum in aliis ſcriptis profiteantur, ſe eſſe Lutheranos, in diſcurſibus verò Enthuſiaſmum aut Anabaptiſticum qvid, Paracelſico miſtum, redoleant. Ne igitur in eo emendo aut mittendo magnopere labores; pro voluntate ago gratias, utqve eam exſeras porro, ſiqvid novi hiſce nundinis de iis prodierit, rogo. Sed penitus mihi perſvaſum habeo, hanc Societatem in auras pene evanuiſſe. *Zeiglerum* illum, de qvo ſcribis, Heidelbergæ qvondam vidi, qvi tum temporis etiam tale qvid fovebat; de eo tuis paria Gieſſa ad me perſcripta ſunt, ibi etenim, pari ratione, ſvavem ſuam fovebat Melancholiam, eamqve in vulgus diſſeminare aggreſſus eſt. Sed helleboro egent ejusmodi homines. Apud nos, Dei gratia, omnia jam ſalva. *M. Elias*, abdicata profeſſione, in Samum conceſſit, nec qvisqvam ejus adhuc occupavit locum. Ego *notas* ex commentariis meis *in Heſiodum* erutas, jam Francofurtum, ut edantur, mitto; iniquiores enim ſunt noſtri typographi, qvàm ut cum iis tranſigi qveat. Tu vale, & me amare perge. Hafn. 12. Auguſti, Anno 1620.

LXIII.

OLAUS WORMIUS

M. Andreæ Arrhenſi, Epiſcopo Nidroſienſi.

* * * * *
* * * *

NOvi hic nihil, qvod non ex fratris relatione percipies, niſi qvod nuper *Dybvadium* illum Mathematicum, à Regia Majeſtate accuſatum ob blaſphema multa, in Deum, Religionem & ceremonias Eccleſiarum noſtrarum dicta & ſcripta, & haud pauca, auctoritatem Regiæ Majeſtatis, dignitatem Ordinis Senatorii totiusqve Nobilitatis, imo ſtatuum omnium hujus regni incolumitatem qvæ læderent, exarata, ſolenniter in Conſiſtorio omnibus privilegiis & immunitatibus Academicis exutum, ex ordine noſtro cum ignominia excluſum, & Regiæ Maj. arbitrio relictum, a nobis remiſerimus. Qvid de eo in poſterum fiet, ſummi magiſtratus eſt decernere. Salutant te tuosqve

qve officioſe noſtri omnes, ac ſimul auſpicia novi hujus anni proſpera & felicia precati, te valere jubent. Hafn. 3. Non. Jan. An. 1621.

LXIV.

OLAUS WORMIUS

M. Andreæ Arrhenſi, Epiſc. Nidroſ.

TOties tuis, Vir Reverende, obruor muneribus & beneficiis, ut, qvod præter vota reddam, non habeam. Accepi, cauſam tuam Comitiis futuris decidendam reſervari; ſed ne te, qvæſo, terreant malevolorum calumniæ & machinationes minus Chriſtianæ; ſcis, bonam conſcientiam & teſtem eſſe & judicem æqviſſimam, qvin eos neqve defuturos confido, qvi, re probè cognita, inſontem abſolvant, ac, qvid Miniſtris Eccleſiæ Chriſti fidelibus debeatur, re ipſa declarent. Tu cauſam Deo commenda, & ipſe faciet. Nuper 37. Candidatos Philoſophiæ Baccalaureatu exornavi, qvocirca, ut & noſtrorum particeps ſis conatuum, *Diſputationem inauguralem* mitto, qvam boni conſulere, & de ſingulis candide judicare ut haud graveris, etiam atqve etiam rogo. Affinis noſter *D. Bartholinus*, valetudinis ergo, ad thermas Carolinas abiit. *Dnn. Borrichio* & *Blixio* adjuncta ut tradantur, ſpero te effecturum. 1624.

LXV.

OLAUS WORMIUS

M. Petro Borrichio, Cantori & Lectori Nidroſienſi.

GRatiſſimas tuas, Borrichi humaniſſime, una cum adjuncto faſciculo probè accepi, pro qvo officio gratias ut ago maximas, ita ex novo te onerare perſvaſit mihi jam perſpecta humanitas, dum tuam operam in hiſce ad fratrem tranſmittendis amicè petere haud verear. Cæterum ex animo gaudeo, fratrem, apud ignotos, te aliosqve viros Reverendos, qvi ſui gerent curam, inveniſſe: Utinam res ſuas viciſſim ita componeret, ut veſtro favore & patrocinio ſe dignum redderet, & εὐφημίαν

 acqviſi-

acqviſitam ſummo ſtudio conſervare anniteretur. Qvod mei cauſa ipſi tantum tribuas, eſt, qvod grato animo agnoſcam, ac utinam tuorum aliqvis ſe mihi viciſſim offerret, qvo occaſio daretur, animi mei erga te tuosqve voluntatem facto ipſo declarandi. Interim gratiſſimum mihi ſemper erit, mutuis literarum officiis initam amicitiam continuare; nam certe, me qvod attinet, οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας ταῖς Μούσαις συγκαταμιγνὺς ἡδίστην συζυγίαν. Literarii noſtri otii mitterem διάκτωρα, ſiqvid jam eſſet accuratiſſimo tuo dignum judicio. Interim qvid meditemur, ex adjuncta videbis charta. Salutat te ſocer. Vale, & Virum Clariſſimum Epiſcopum veſtrum & *M. Blixium*, amicos meos, officioſe ſalutare meo nomine haud graveris. V. 1621.

LXVI.

OLAUS WORMIUS

D. Nicolao Paſchaſio Epiſc. Bergenſi.

* * * * * * * * * * *

JUvenem, qvi has offert, *Ottonem Sperling* ingenioſum & induſtrium, qvi, rerum naturalium, plantarum in primis, theſaurum inveſtigandi gratia, Norvegiam perluſtrare decrevit, commendatum tibi de meliore nota habeas, & auxilio adſis, qvo ſalvi conductus literas vel à Præfecto vel alio Nobili impetrare valeat, ut minoribus ſumptibus ſcopum optatum conſeqvatur. 1621.

LXVII.

NICOL. PASCHASIUS

D. Olao Wormio.

B*Accalaureum* tuum, Διὸς ἐγκέφαλον, Vir præſtantiſſime, mihi & *Buckio* noſtro inſcriptum nacti ſumus diebus ſuperioribus, de qvo gratias tibi hac vice agimus maxumas, majorem cum Bono Deo deinceps habituri. χαίρειν βιώσιμα ἐνδεεῖ, pervulgatum eſt; Atqve id genus fœcundi ingenii fœtum

tum adeò ingenuum, adeò Reipublicæ Literariæ utilem & mmodum, candidum, acrem alacremqve edere, ut mini- vel mediocrium fuerit, ita & gratiam illud multo maxi- m mereri, qvis non videt, qvi aliqvid videt? Munuſculum cce (z. Roſ. Nobil.) boni conſulere Excellentia veſtra digne- , percupio, qvod μνημήϊον meæ tui memoriæ atqve obſervan- perpetim duraturæ haberi pervelim, amicitiæ tuæ Candida. . *Buckius* per ſe ſcribet. Vale rectiſſ. Vir præſtantiſſ. cum omnibus qvam diutiſſimè, plurimum a nobis reſalutatus. rgis Norveg. prid. Calend. Septembr. An. MDCXXII.

LXVIII.

OLAUS WORMIUS

Dn. Eraſmo Reuthero.

Ro Runicis iſtis maximas tibi habeo gratias; Siqvid penes me eſſet, qvo referre valerem, efficerem ut neutiqvam in gratum te hæc contuliſſe agnoſceres. Effari neqveo, qvanto lore obitus cariſſimæ meæ filiolæ *Annæ*, à tuo abitu, me affli- rit; tu gaudia, tu oblectationes, qvas ex ea percepi, coram exiſti: Sed ita ſortes meas attemperavit ſummus rerum Mo- rator, ut, qvas ex liberis haurire licet oblectationes, eæ mihi ſtandæ ſaltem, & per tranſennam qvaſi aſpiciendæ exhiberen- r. Cæterum *Runica* illa pleraqve, unico excepto, ante ha- ui, eaqve mihi Nobiliſſima Fœmina *Anna Krabbe in Steenholt* mmunicavit; verum interpretem arguunt hujus ſtudii valde dem: nam non conjecturis acqvieſcimus, ſed literatam re- virimus expoſitionem. Si plura habeat, da operam, ut ego beam, inprimis vero inſcriptionem Lapidis, qvi in *Gröndal* peritur; ſi penes ipſum ſit, fac ejus ſim particeps. Sed vehe- enter doleo, qvam plurima ex iis, qvæ miſit, haud probe ſcripta eſſe, & characteres qvandoqve inſperſos, qvi Runici n ſunt, imprimis *Starkatheri*, qvod non ita habet ut ſcribit; d inſcriptio Latina eſt, qvæ ſic legenda: *Starkaterus: pugil eticus.* Pari ratione, qvod in Cœmiterio *Framlöf* extat, non *unicis*, ſed Latinis literis exaratum apparet, qvas interpres non tellexit. Mitto tibi *Baccalaurei* mei exemplum, qvod ut boni nſulas, rogo. Sub prælo jam fervent *Conciones ex Joële* pro

Litaniis publicis in Martio anni ſeqventis celebrandis. Salutat te uxor; tu tuam, meo nomine, & vale. 1622.

LXIX.

OLAUS WORMIUS

M. Petro Skelderupio, Epiſcopo Nidroſienſi.

UXorem ad te ſine meis dimittere non potui, Affinis exoptatiſſime, etſi vix eſſet, qvod ſcriberem. Qvæ tamen à tuo à nobis abitu alicujus momenti contigerunt, brevibus indicabo, licèt ſingula meliùs fortaſſis viva uxoris vox exponet. Is, qvem Cathedræ *M. Valentini* nos deputaſſe noſti, & eâ privatus, & ab Academia noſtra ſententia relegatus eſt, non qvidem ob crimina, qvæ illi objiciebant adverſarii, nullum ſiqvidem probare potuerunt; ſed qvia Lundenſis Epiſcopus literis ſuis teſtimonio dato planè contrariis multa & inprimis crimen falſi ipſi objiciebat, pro *ſuo* enim *noſtro* ſcripſit. Ejus igitur locum ſupplevit *Dn. Thomas*, qvi ad D. Nicolaum ſacris miniſtrabat. *Drudam M. Johanni Eraſmio* deſponſatam eſſe, fuſius narrabit uxor, ut & de recens nato *D. Bartholino* filiolo. Sumptibus Eccleſiæ D. Virginis, novum templum extra portam ſeptentrionalem, eo in loco ubi vetus eſt, juſſu Regio, literis ad nos datis expoſito, hoc anno ædificabitur, qvod tenore earundem freqventabunt ruſtici qvoqve, qvi hactenus D. Virgini erant adjuncti, qvod Paſtori noſtro qvam gratum futurum ſit Evangelium, ipſe noſti. Plura jam non occurrunt; ſed noſtri memor vale, ab uxore & nobis omnibus amicè ſalutatus. Si fratrem meum, apud vos degentem tua opera juvare poſſis, te id facturum, planè confido. 1622.

LXX.

OLAUS WORMIUS

M. Petro Skelderupio.

* * * * * *
* * * *

MAg. *Antonius*, qvi Præpoſiti Generalis in Gotlandia fungebatur officio, variorum criminum coram Majeſt. Regia actus eſt reus. Verum ex Epiſcopis tres, Selandicus ſc. Scanicus & Fionenſis delecti ſunt, qvi cum aliis cauſam ejus huc venientes

cognoſcant,

noſcant, & ſententiam ferant. Qvid de ipſo fiet, brevi vi-
imus. *Alano* noſtro natum filiolum, cui nomen Johannis,
ve dubio inaudiviſti. Miſer parens, ex qvo pro-patres
tavit, pedibus æger decubuit. Si pluries hoc oneris in ſe
ipere cogitur, vereor ut ſit ferendo. *Commentariorum* me-
n *in Ariſtot.* mundum mitto exemplum, licèt peſſimè à typo-
ho habiti ſint, qvi tot mendas eis intruſit typographicas, ut,
ro meis agnoſcere poſſim, valde dubitem. Vale. 15. Octobr.
i 1624.

LXXI.

OLAUS WORMIUS

M. Petro Schelderupio.

* * * * *
* * * *

Reqventes exterorum Regum ad Noſtrum legationes qvid
portendant, exitus dabit. Nuper Svecus diſceſſit, Gallus
iglus adhuc hic morantur. Belli & apparatus & rumor qvos-
ercellit. Summa, Peſtis, bella, fames cervicibus noſtris
inent. Deus clementer miſereatur noſtri! Ex thermis re-
affinis *Bartholinus*, qvamvis valetudo non ex voto. Nephri-
ſæpiuſcule divexatur doloribus, qvi vires multum dejiciunt,
n ſuum obiit *Dn. Andreas Sinclarus*, maraſmo & iſchiadicis
ribus plane exhauſtus. Senatum Regni reliqvum de rebus
is deliberaturum, indies exſpectamus. *M. Antonius*, de ſuo
er officio & dignitate exutus, publice hic pœnitentiam egit.
ſpes ei aliqva reſtitutionis affulget. Hæc, ne nihil ſcribe-
, tuis reponere volui, qvo mutui colloqvii defectum litera-
commutatione freqventiori reſarcire valeamus. Salutat te
& tota familia. Vale. Dabam Hafniæ, Feſto Purificat.
iæ, 1625.

LXXII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

On te latet, mi Rhodi, de Latinorum Medicorum principe
Cornel. Celſo, paulo ante tuum à nobis abitum, tecum qvid
im, qvamqve ſpem de eo caſtigando notiſqve illuſtrando
mihi

mihi tum temporis, ſpontanea alacritate, feceris. Qvocirca conſiderans, te, in hac tua peregrinatione, occaſionem habere ampliſſimam, vocales & mutos in hoc negotio conſulendi magiſtros ac rarum qvid in hoc genere præſtandi, Illuſtrem & Magnificum D. Cancellarium, *Chriſtianum Friſium de Kragerup*, commoda arreptâ occaſione, de hiſce tuis conatibus certiorem reddere haud dubitavi. Qvi qvanto favore & benevolentia eos exceperit, vel ex eo colligere haud difficulter poteris, qvod ſuum (qvod apud alium, hiſce, ut noſti, imparem, latitabat) exemplar, Viri cujusdam docti animadverſionibus illuſtre, in hosce uſus benigne indultum tibi voluerit, mihiqve illud ad te transmittendi provinciam demandaverit. Qvocirca virum te præſta, & hoc, qvem mitto liberalitate tanti Patroni, *Celſo* ita utere, ut priùs fama qvam corpore celſus ad nos advoles. De propenſa Magnifici Domini Cancellarii, qvi ad optima qvæqve provectum te cupit, noſtraqve in te voluntate non dubitabis unqvam. Oblata occaſione, num librum recte acceperis, indica, & me de rebus veſtris certiorem redde. Vale. Hafn. prid. Cal. Martii Anni 1621.

LXXIII.

OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

Patavium.

INcidi non ita pridem in libellos tres, de *Piſcibus & Aqvatilibus* à *Conr. Geſnero* conſcriptos, & Tiguri apud *Andream Geſnerum* in octavo impreſſos, qvorum ſecundum *Cajo* tuo, non ſine inſigni ejus elogio, inſcripſit. Qvam inſcriptionem cum ad inſtitutum tuum facere viderem, non potui, qvin monerem, tum ut, ſi viſa a te non eſſet, inſpiceres, tum ut ad ſcribendum de rebus ac inſtituto tuo provocarem. Invenies præterea in iisdem libris ſæpiuſcule compellationem honorificam ejusdem *Caji* factam, præſertim circa finem libri ſecundi, qvod ad ejus commendationem haud parum faciet. Si apud vos non exſtet, ac novam libri editionem procurare animus ſit, mone, & per amanuenſem deſcribi ſingula, ac ad te mitti curabo. Librum ipſum vellem, ni à Bibliotheca Academica haberem, ac ejus in tanta locorum intercapedine jacturam metuerem. Incepi rerum natu-

ralium præſertim rariorum Theſaurum, qvendam colligere, ad qvem ſymbolam contulerunt haud pauci ex amicis; qvocirca cum tu in iis locis verſeris, ubi talium indies magna occurrat copia, amice rogo, ut in hiſce mei ſis memor; ſive ex animalibus terreſtribus, aqvaticis aut aëreis, ſive ex lapidibus, metallis, conchyliis aut ejus generis aliis qvidpiam ſeſe offerat, mitte qvæſo. De pretio, ſi qvæ emeris, cum veneris, facile convenie-mus. Viperam integram & exſiccatam facili negotio habebis, ut & conchylia, vobis indies obvia, *capelongi*, *capetendi*, *capeſſoli*, ut vocant Venetiæ; & Puteolanus ager multa ſuppeditabit. Tu mihi, pro tua prudentia, qvæ huc faciant, æſtimabis. Pretioſa non cupio, ſed qvæ nobis rara, vobis familiaria, & nullo negotio comparanda. Si qvid hic ſit, qvod in tui gratiam viciſſim præſtare valeam, eadem libertate impera, & animum gratum nunqvam deſiderabis. Vale.

Foſſius noſter, Canonicatu & Vicariatu ornatus, Medicinam in Scania feliciter exercet, ac circa Feſtum Paſchatos ſumma Laurea Medica apud nos exornabitur. Hic te, ut & Danici reliqvi, ſalutant. Vale. 1623.

LXXIV.

OLAUS WORMIUS,

Johanni Rhodio.

QVamvis meis hactenus à te nihil reſponſum, nihilominus alteras haſce, non provocatus, rerum veſtrarum ſtatum exploraturas, ad te amandare non vereor. Anſam verò ſuppeditavit Magnificus D. Cancellarius, qvi in Monumentum qvoddam Hetruſcum in *Volaterrano* incidens, & qvasdam notas cum Runicis noſtris communes in eo animadvertens, haud probe ſatis deſcriptum ſuſpicabatur. Cimbrorum autem aut Longobarorum monumenta eſſe, Gothicis literis exarata, non injuria exiſtimat. Juſſit igitur, ut abs te peterem, præſens ut rem ipſam inſpiceres, ac, qvia plura ejus generis ibidem extare refert *Volaterranus*, ſingula, qva fieri poteſt diligentia, deſcriberes, eiqve transmitteres. Qvam gratum hoc ipſi ſit futurum, ex literis ſua manu ad me datis, & hiſce incluſis, facilè percipies. *Alphabeti* noſtri *Gothici* mitto exempla, ut, in qvibus conveniant

ant vel diſcrepent, animadvertere valeas. Vale & data occaſione reſponde. 1624. m. Novembr.

LXXV.

JOHANNES RHODIUS

D. Olao Wormio. S. P.

Hafniam.

QVod conſpectu dulciſſimum, id Amici manus Epiſtolæ impreſſa præſtat; *Agnoſcere.* Ego vero, Clariſſime Vir, Affectum gratus agnoſco ab officiis, in qvæ primus erupiſti. Qvibus etſi me imparem video, religioſa tamen admonitione convictus, qvod amicitiæ noſtræ debeo literarum munus, ſaltem provocatus, exſolvam: vel ob id maximè, ut me monſtrem officia ſecurè debere, & occaſiones reddendorum obſervare, non manu facere. Occaſionem mihi veſtro ductu enatam lætor. Qvæ enim in Exoticomation iſthic rara deſideras, lubens conqviram. Anno ſuperiori initium mox voto datam ab utriusqve ſexus viperis, qvarum exuvias ſatis commodè fartas jam bibliothecæ adjunxiſſem, niſi à ſeqviore tantæ molis volutatione nautis familiari earum jacturam metuiſſem. Satis viſum, eas aliis rebus in pyxide additas cum rarioribus meis terra transmittere, qvam infido à piratis mari committere: qvanqvam nunc qvidum non temnendam optimorum librorum vim iſti fortunæ crediderim. Moram Nobiliſſ. Dn. *Chriſtophori Julii & Slangendorfii* ſatis adſcribas: qvæ iter meum in Italiam citeriorem autumno elapſo ſuſceptum in hæc tempora non ſine incommodo rejecerunt. Hyeme (dictu mirum) pluviæ & nivis experte, inſvetam aëris clementiam experti nunc redierunt alii, ſine ulla temporis aut valetudinis jactura. Rari, imò fere nulli, hoc tempore ægri. Anatomiæ qvoqve, annis ſuperioribus hic magna æmulationis contentione exhibitæ, hinc *Plazzoni* morte, hinc *Spigelii* valetudine, multum diſceſſit. Et qvid non Botanicæ, *Bauhini* obitu? Artis operæ Patavii florent. Qvarum inſpectio ita me totum occupavit, ut, ſeqveſtratis omnibus, ad ea ſola cogitationes converterim, qvæ in opere tentanda. Hinc factum, qvod *Celſo* nunqvam aut rarò manum admoverim, niſi forte in locum à Practicis meis excuſſum, aut à Præceptoribus enodatum, inciderim. Otio ab itinere reſtitutus, erit ut *Cremonini* interventu Co-

dicem

dicem è D. Marci Bibliotheca obtineam. Romæ & Florentiæ ſi aliqvamdiu hærere liceret: certa mihi magnæ eam in rem acceſſionis ſpes foret. Exempla qvotqvot hactenus vidi typis excuſa protinus paravi; & inter alia unum è MS. Florentino Anno 1478. vulgatum, qvod omnium ferè primum ſuſpicor. *Geſneri* de *Cajo* locum needum inſpexi. Eum ſi in majori exemplo non offendero, veſtra Excerpta humaniter oblata tempeſtivè exqviram. Verum iſta mihi πάρεργα, neqve impenſe deproperanda. Noſti qvod in labyrintho properantibus evenit, ut ipſa velocitate implicarentur. Nihil enim ordinatum, qvod præcipitatur. Alii, ſi libet, in inane illud Epicuri ſine termino chaos irruant. Ego certè in plerisqve μέτωρος ſum, haud faci è qvicqvam in literas miſſurus oculis hujus ævi eruditis, qvo ſcriptiunculis largiſſime peccatum. Eqvidem, in tanto ſcriptorum numero, pauci nobis eo in argumento aliqvid eximii laborarunt: inſtitutum tamen non omnino deſeram; vel Magnifici Dn. Cancellarii cauſa, autoritati cujus tantum debeo, qvantum ipſæ literæ. Prævio Rev. & Clar. D. *Laurentio Pignorio*, Presbytero Patavino, magno Fautore meo, iſtarum literarum peritiſſimo, obſeqvium in Virum Generoſum luculentius teſtabor curioſa eorum pervestigatione, qvæ mihi veſtris ac *Foſſii* literis injunxit. *Hiſtoriam Gothicam* à Viro illuſtri apparari narrat Nobiliſſ. Dn. *Franc. Bantzovius*. Habet in MSS. memoratus ille *Pignorius* eam in rem haut pauca: imò, ſi memini, integram de Gothorum in has regiones irruptione Hiſtoriam. Si eorum, qvæ maximè dubia, conſignationem transmitteret; iſtius Viri humaniſſimi indicio, mea opellâ, qvicqvid deſiderari poſſet, facilè tranſcriberetur. De Codicum enim abalienatione ſpes nulla, præcipuè apud iſtum reconditiſſimæ eruditionis Antiqvæ Profeſſorem, cui iſti auro contra chariores. Excurrit præter ſententiam & conſvetudinem tum Affectu veſtri ſtudioſo calamus, Nova ſubjuncturus; niſi ea ad Affinem meum diligenter exarata inviſam utrinqve temporis prodigalitatem averterent. Officiorum parſimoniam huic imputabis, non animo remiſſiori; qvem Viris Candidis atqve Eruditis ſemper integrum ſervabo. Inter eos Clariſſ. Dn. Socerum veſtrosqve Affines, nominatim vero *D. Finckium* Juniorem cæterosqve mei Nominis amantes officioſe ſaluto. ἐμῶς Patavii XIII. Febr. cIↃ IↃcxxv.

LXXVI.

LXXVI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

TUas, 13. Februarii datas, 8 Martii accepi, ex qvibus & in me prolixum tuum affectum in conqvirendis rarioribus, & in Magnum D. Cancellarium obſeqvium abunde perſpexi. Me qvod attinet, viciſſim faxo, ut benevolentiæ & amoris mutui officia deſiderare haud poſſis. *Bauhinum* fatis ceſſiſſe, primum ex literis tuis percepi. Doleo Viri in Botanicis & Anatomicis facile hoc ſeculo principis, mihiqve amiciſſimi obitum. Lumen ingens amiſit Baſilea, nec video, qvid jam ibidem in arte Medica eximium à qvoqvam ſperari poſſit. Nuper heic leges ſumptuariæ auctoritate Regia promotionibus latæ, convivia penitus abrogata, ut Doctorandis ad ſummum 50. unciales vix impendendi. De *Pignorio* tuo Magnifico Cancellario narravi, cui grata admodum fuit, qvam offers, opera in *Gothicis* exerpendis. Hoc unum juſſit, ſignificarem, ut, ſiqvid haberet peculiare Vir ille eruditiſſimus, ad Lingvam antiqvam Gothicam aut literas pertinens, id annotares ac tranſmitteres. Duo præterea tradidit tibi mittenda Vocabularia, in uſum à *Foſſio* indicatum, qvæ hiſce incluſi. Nec te pœniteat laboris, Ejus cauſa ſuſcepti, cum non dubitem, qvin viciſſim, cum redieris, tibi emolumento ſit futurus. Salutant te noſtri. 1625.

LXXVII.

Illuſtri & Generoſo DN. CHRISTIANO FRIIS, de Kragerup &c. S. R. M. Cancellario Magno, Regniqve Daniæ Senatori Ampliſſ. Domino & Fautori ſubmiſſe venerando ſalutem & obſeqvia.

Hafniam.

ILluſtris & Generoſe Domine: Interpellationis importunitate in publicum peccare mihi viderer, niſi luculentiſſima compertæ humanitatis documenta iſtam culpæ ſupicionem amoverent;

it; dum ea à me officia exſpectari video, qvæ nullam tenuita-
neæ excuſationem prætexunt. Hac animi confidentia, qvos
ehac inter deſideria & verecundiam medius per alios innui,
nc ipſe conatus eò liberius exprōmo, qvo me, temporiſne in-
iâ, an Curatorum incuria, ſtudio ſæpe deſiderato invidioſius
idiſſe experior. Eqvidem M. V. nomine â *D. Wormio* & *Foſſio*
nandata in peregrinatione mea Italica, qvantum licuit, rectè
edii. Verum, qvid cum *Wormii* literis menſe Martio
ptis nuper traditæ ejusdem exempli Nomenclaturæ Italicæ
int, nullâ conjectura ſatis aſſeqvor. Neqve enim de iis ille
eqvam, qvi me ad *Foſſii* literas ablegat: qvas eam in rem nun-
im vidi aliâs, qvàm qvæ lingvæ Gothicæ inveſtigationem in-
xere. Porrò Ravennæ nullæ Gothorum reliqviæ, præter la-
im porphyriacum inſignis magnitudinis, qvondam *Theodorici*
thorum Regis cineribus dicatum. Monumentum inibi ad D.
alis Ædem è marmore mirè polito, integris adhuc characteri-
, exſcripſi Græcum, non tamen plane Græcum. Crediderim
n dominii permutatione barbara qvædam irrepſiſſe; qvæ
n Longobardica, an Gothica, parum liqvet. Imò, verò
ile, non tantùm voces, ſed & literarum notas ſimul immuta-
Ita ut ſtatuam, ſvadet antiqvæ ſatis Chimæræ æneæ, in vete-
Palacii Florentini loco remotiore fortunâ â me obſervatæ
riptio talis: . Qvam à genuinis
uſtiorum paulò Græcorum characteribus elegantiâ & puri-
diverſam oſtendunt germanæ qvædam ſtatuarum inſcriptio-
, qvas Romæ & Cajettæ luſtrare licuit. Volaterris, præter exi-
m *Raphaëlis Maffei Epiſcopi Volaterrani* in Æde D. Lini Epi-
ium, & preces qvasdam in membranis ipſius manu ſcriptas
. Virginis Choro, nihil inveni: cætera, referente Canonico
dam, crebris hoſtium incurſibus interiere. Libros tamen
t paucos *Volaterrani* iſtius reſiduos in privatis Nobilium
rundam ejusdem familiæ Juvenum aſſervari intellexi. Ve-
Curatoris in villam diſtantiorem ſeceſſus eorum inſpectio-
ademit. Qvod ni contigiſſet, inſcriptioni à *Volaterr.* L. 33.
64. *Edit. Baſil.* propoſitæ, ex iis, ſi qvi ſunt, aliqvid fortè
s acceſſiſſet. Reverendus D. *Laurentius Pignorius* Presbyter
ivanus eam ex charactere Hetruſcam cenſet. Neqve alieo
ltum diſcedo. Præterqvam enim qvod in Bibliotheca Florenti-
n libro qvodam πολυγλώττῳ MS. diverſas Lingvæ hujus notas
 vide-

ubi? cum Græca pergræcari inaudivi; non igitur mirum, qvò amicorum omnium obliviſcatur. Qvid *Celſius* noſter? an ad carceres damnatus? libera fidem tandem, fac, *Celſum* noſtrum tandem tua ope celſum propediem videamus. Vix jam *Monumenta* noſtra priſca, in Dania & Norvegia collecta ultra ducenta, contineo, qvin clauſtra rumpant & evolent; qvam cuperem Italicorum & Hiſpanicorum acceſſione ea ſplendidiora reddita. Amici Angli, inprimis *Spelmannus* meus, officio hic non defuit. *Seldenus* obiit. Tuam opem exſpecto. Vale, & fave. 1637.

LXXX.
OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

Patavium.

Biennium ferme effluxit ſolidum, ex qvo ad te ſcripſi, & *Literaturæ* meæ *Runicæ* exemplum per affinem *Bartſcherum* transmiſi; ex eo, an ad te probe hæc delata ſint, reſciſcere haud potui. Oblato verò jam & urgente hoc internuncio *Dn. Henrico Fuirenio*, iterato te convenire haud dubito, pro veteri noſtra amicitia rogitans, juveni huic modeſtiſſimo, Medicinæ cultori ſtrenuo, conſiliis & auxilio ut haud deſis; Tui cauſa viciſſim apud nos qvævis præſtitero. Si *Literaturam* acceperis noſtram qvid de hoc ſtudii genere ſentias, vel verbulo ut moneas, rogo. Sunt enim adhuc Monumentorum apud nos extantium Apographa haud pauca, qvæ huic ſubjungam, ſi modo operæ me facere pretium animadvertero. A Gallis, præter exſpectationem, bene admodum noſtra excepta eſſe, haud raræ Doctorum ad me docent epiſtolæ, amoris & favoris plenæ, qvæ me magis magisqve ſtimulant, ut a propoſito non deſiſtam. Audio Romæ editam *Grammaticam Chimiticam*; in bibliopoliis ſi proſtat, te monente, eam mihi comparabit *Fuirenius*. Vide, qvantum veteri noſtræ tribuam familiaritati, qvi toties non provocatus tibi negotium faceſſere haud dubitem. Coram aliqvando te videre, unice exopto. Fac tandem, tot exantlatorum laborum fructum videat patria, cui natus es. Vale. 26. Jan. 1639.

LXXXI.

OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

tavium.

X iis, qvas ab *Henrico Fuirenio*, tibi à me commendato, nu- per accepi, te eas, qvas ante biennium per Affinem tuum avi, non accepiſſe, percepi; qvod vehementer doleo. Ade- enim iis *Literaturæ* meæ *Runicæ* exemplum, in qva cum & tui la ſit mentio, & qvam plurima contineantur, de qvibus ex- ſitum tuum judicium exſpectaveram, non potui non ejus ja- ram ægre ferre. Iterato igitur fortunæ aleam ſubiturus, eam to, amice rogans, data commoditate eam luſtrare, & ſiqvæ urrant, animadverſione digna, notare haud graveris. Erunt eul dubio in Vaticana Bibliotheca & alibi, qvæ huc facere ſint; ſi qvæ aut ipſe in Adverſariis teneas, aut ab amicis ha- e poteris, communica, qvæſo, gratam promitto eorum me- riam. Video *Kircherum* & alios tantopere in eruenda Litera- a Orientali laborare: qvid vetat in Septentrionali noſtra tale d tentare? ſed in hac, proh dolor! ope aliorum pene ſumus ſtituti. Ut qvimus igitur, qvando, ut volumus, non licet. eram noſtram non plane nullam fuiſſe, haud raræ Anglorum lorum, Belgarum & Germanorum qvorundam celebrium do re acclamationes. Qvid Itali veſtri de barbarie hac ſtatuant, Te ſcire aveo. Vale, 1639.

LXXXII.

JO. RHODIUS
D. Olao Wormio.

ſniam.

Nnus jam eſt, qvod binis demum me gemino Tibi officio obſtrinxeris: Priſci namqve affectus nullum mihi amplius icium eſſe potuit, qvam qvod affines tuos mihi commendave- qvorum rebus qvà potui hactenus conſului. Majora qvidem ;it utriusqve *Finckii*, ne dicam tua, in me propenſio. Sed mihi crede, Patris eorum optimi etiamnum apud me eſt me- ia, ut nullo etiam parario me habuiſſent ad omnia paratiſſi-

 mum;

mum; qvi nullam alias de noſtra gente bene merendi occaſione unqvam intermiſi. Munus verò ingenii tui eximium, qvo m ornaſti, qvam fuerit gratum, tecum cogites; qvum vix id e plicem ſine affectu, qvem amicis libenter tacitus reſervo. L ber ſanè nec tuo ingenio, nec labore indignus eſt. Qvæ m tunc ratio fuit, integrum in lectulo perlegi, nec ſine delectati ne mihi doloris tædium mitigavit. Novitate, ſi qvid ſapi multis lenocinabitur, qvam antiqvitati feliciter attuliſti. Qva vellem in vivis *Pignorium!* At qvi jam vetuſtatis gloriam h ſuſtineat, nullus eſt præter *Galvanum* I. C. cathedrâ foroq impenſe occupatum. Is verò ſtatuis nummisqve addictior, qvà rei literariæ. Romæ, qvod noſti, Fidei propagandæ Collegiu multa procul dubio in rem tuam conferet. Num liber notu expiſcabor. Si minus; tua bonâ veniâ, meum eò mittam, ſi non auctior, ſodalitatis ſaltem iſtius judicio ornatior prodea Ego me tantiſper ἀσύμβολον fatebor, tuoqve in ære, niſi Lo gobardica velis pro Gothicis. Qvam in Etruria non ità dudu effoſſæ *Erneſto* noſtro dedi tabulæ delineationem, tibi comm nem cupio. Decumanum de *monumentis Volaterranis* op planè fabuloſum monſtrat res ipſa, jamqve luce clarius confe totus noſter *Leo Allatius.* De *Faſtis Danicis* commentarium tuu laudavit *Peireſcius:* qvem nondum hic videre contigit. Cre hunc eſſe, qvi tuâ benignitate adhuc apud meum latet affine niſi, qvod ſuſpicor, *Gothica* fuerit *Literatura,* qvam bienn abhinc periiſſe memoras. Meum ſanè eſt dolere jacturam Poë enim Danica meam de ſpinæ uſu in veſte ſententiam illuſtraſſ dignâ tui nominis præfatione; qvâ me in tuis anticipaſti. Lib jam è Germania nulli; è Gallia pauci; freqventiores è Belgi unde majori qvandoqve diſcrimine, qvam negotio, Veneti advehuntur. *Pontani* & *Meurſii* Hiſtorias ibi expoſitas memin eâdem *Elſevirii* operâ tui etiam libri comparerent. Diſſertati nem meam ab affine habebis. Novatores paribus armis aggre par erat. Inde nata curioſior eorum perveſtigatio, qvæ vel p rum bonâ fide, vel leviori curâ incautis obtruſerunt. Horu tamen, ut vides, neminem apertè accuſo, veritate contentu qvam qvotidianis fermè conviciis extorſerunt ii, qvi urgeba aliqvid edendum eſſe. Fatebar tandem victus, atqve utinam fuerit, qvod paratiſſimum habui. Vos eruditionis arbitri c gnoſcetis. Italorum & Gallorum adſenſum meruit libellu

German

Germanorum exſpectat. De qvo liqvet hoc ſolum, qvod à diverſis deſideretur. Malè habet, qvòd Patronum amiſerit; qvo nec ſperare potuit majorem, nec optare benigniorem. Sed hic fortunæ ludus eſt, qvem graviori caſu penè ſuperavi. Grallis enim repoſitis thermarum ope jam tripes ad tripodem reverſus divinatione, qvàm bonâ neſcio, *Scribonii Largi* vitiis medelam tentavi. Si merebitur, *Celſi* anteambulo erit. Hic verò cogitationes paulò ſeveriores poſcit, qvibus non vano artis noſtræ præſagio priſtinas vires ominor. Vale, Vir optime, tuoqve more meis conatibus fave. *Finckio* Patri ac filio, cæterisqve VV. Cl. mei ſtudioſis ſalutem adſcribo. Patavii XII. Julii cIↃ IↃcXL.

LXXXIII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

PErgratum mihi fuit, tibi non diſplicere conatus meos in Literatura noſtra priſca reſtituenda, animum mihi addet, qvas teneo, monumentorum apud nos hiſce characteribus inſignitorum deſcriptiones eò alacrius aggrediendi. Qvæſo te, ſiqvid Roma retuleris reſponſi à *Sociis propagandæ fidei*, id mecum commune facias. Vix credo eos hæc æſtimaturos, tum qvòd Aqvilonaria illis forſan & barbara ſint, tum qvòd ab homine profecta, qvi ſacris ab iis diverſis ſit addictus. Qvicqvid ſit, me magno beabis officio, ſi perſcripſeris. Interim tibi pro affectu benevolo gratias ago ingentes. Qvàm doleo, *Faſtos* ad te nondum perveniſſe; operam dabo, ut per *Elzevirium* habeas, unà cum *Cornu* noſtro *aureo*, & aliis forſan nonnullis. Male nos habet, qvòd tuis adhuc carere cogamur de *Acia* obſervationibus. Nemo eſt in Patria, qvod ſciam, qvi habeat, ex qvo vel mutuo habere liceat. Qvæ miſiſſe te ſcribis, affines tui non accepere. Vides, qvàm male curentur omnia. Ab omnibus dum commendari audimus, ejus deſiderio ferme enecamur. Male ſit infidis internuntiis, qvi tamdiu nos eo defraudant. Largus qvæſo ſis in *Scribonio* tuo, nec diutius tibi ſoli eum reſerves; ſi *Celſum* adjungeres comitem, duplici nomine literatum Tibi devincires orbem. Vive, vale, ac, qvia tantam internunciorum dolere cogimur ſive negligentiam ſive malitiam, ipſe advola & adfer. Hafn. 20. Decembris, 1640.

LXXXIV.

JO. RHODIUS
D. Olao Wormio.

Hafniam.

Clariſſime Vir, Amice in primis honorande. Egóne advoleui? Votum ſane amicum. Sed penè taſſum, etiamſi Cyllarus adeſſet; niſi Protagoras unà qviſpiam ſeſſorem inferret. Tali namqve opus bajulo, qvi non minus ingenio, qvam toris valeat. Adeò mihi coxa etiamnum riget, ut qvartum ac decimum adhuc menſem domi traham. Valetudo tamen minime deplorata: licet brumæ inclementia ſolito diuturnior crebriſqve imbribus moleſta plurimum offecerit. In thermis non parum præſidii; qvarum liberior uſus æſtate ſuperiori per vires longo decubitu fractas cœliqve inæqvalitatem parum tutus erat. Natura qvin etiam non obſcuris indiciis novæ molitionis ſpem præbet. Domeſticum interea hoc tædium meditationibus mutuiſqve amicorum ſtudiis lenio. Librum tuum Romam miſi ad *Gabrielem Naudæum* mihi amiciſſimum, in qvo candór cum eruditione certat. Is *Athanaſio Kirchero* inter omnes Societatis Jeſu lingvarum peritiſſimo legendum dedit. Eruditum qvidem & curioſum hic ſtatuit, minoris tamen uſus, qvod verius monumenta qvam libri eâ lingvâ reperiantur. *Naudæus* Antiqvitatibus apprimè neceſſarium judicat, cujus verba eò libentius adſcribo, qvia mihi conſona: „Stimo qveſta faticha molt' ingegnoſa e degna di gran lo-
„de, per la ſua novità e le belle antichità ſcopette dall' auttore
„nel filo del ſuo diſcorſo. e la verità è, che de tutti i libri arri-
„vati al Hermanno in cinqve ò ſei balle qveſto è ſtato ſtimato
„univerſalmente il più vago, dilettevolo, e curioſo; e s'aſpetta
„adeſſo con grand deſiderio qvel libro *De Antiqvitatibus Dano-*
„*rum*, chi dall' iſteſſo auttore viene promeſſo. Perche ſi crede
„per il ſaggio hauuto in qveſto Trattato della lingva, che dove-
„rà eſſere ripieno di dottrina molto curioſa. Hanc viri ſententiam poſtea firmavi famâ, ut credo, certâ: eſſe in Islandiâ & Norvegia Hiſtorias, è qvibus lingvæ iſtius munere non pauca forſan vetuſtate obſcuratæ magno rei literariæ commodo in lucem proferentur. Uberius itaqve *Kircheri* judicium exſpectatur, ubi ſuo *de Magnete* operi extremum colorem induxerit. *Faſtos*

tuos

deſideramus. *Cornu* pariter, qvod verè *aureum* cogitamus. d autem ego? χρύσεα χαλκείων. Sint, qvalia per genium xit. Appuliſſe ſpero, niſi curator planè ſurdus; cui non udum *Ludovicum Elſevirium* monitorem dedi. Epilogum Virisqve eruditis communem puta, qvos ad judicii liberta invito. Qvam ſi impertiveris, etiamſi qvædam diſplicuerint, ra tamen placuiſſe credam. Vale, meqve iis commenda, ius commodum eſt. Patav. prid. Non. April. cIↃ IↃcXLI.

LXXXV.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

svium.

[Itto, Vir Clariſſime, per *Elzevirium Faſtos* meos & alia; L qvæ boni conſulas, rogo. Qvæ de *Cornu aureo* Princi- :ommentati ſumus, ſi cum *Kirchero*, in Hieroglyphicis ver- ſimo communicari poſſent, vehementer id exoptarem, ejus judicium de noſtris conjecturis expiſcari liceret. Forſan ius opere de *Hieroglyphicis* locum inveniet. Approbari hæc & aliis apud Vos magnis ingeniis ſi ſenſero, calcar addent lonumentorum noſtrorum maturiorem editionem. Non- i ad nos delata *Acia* tua. *Bangius* unum attulit exemplum, per horulam aut alteram uſus ſum. Valde mihi arridens ria, nec qvemqvam futurum arbitror, qvi non eruditionem lam, lectionem diffuſam, judicium acre, ſtyli acumen extollat. ıè de re ipſa idem tecum ſentio, nec poteſt non id facere, *um* qvi diligentius inſpexerit. Perge modo lucubrationibus orbi literato prodeſſe, & *Scribonius* tuus, ſibi *Celſum* ut ad- ;at comitem, effice qvæſo. Hafn. M. Mart. 1641.

LXXXVI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

rvium.

)lidus ferme effluxit annus, ex qvo, te ita jubente, ad *Elze- virium* Amſterodamum non ſolum literas ad te deferendas

ſed & faſciculum, cui incluſi erant *Faſti*, *Literatura*, *Cor*
Inſtitutiones meæ, miſi. Sed inhumaniter plane per totam
tem omnia hæc ſecum retinuit, & menſe Octobri demum r
ſit, ne verbulo reſpondens ad ea, qvæ ipſi ſcripſeram de tuo
derio; qvocirca non poſſum non de hominis tam inhu
conqveri malitia, illudqve tibi indicare, ne mea culpa fa
putes, qvod nec hæc miſerim, nec pro eruditiſſimo tuo lib
Acia (qvem tandem accepimus) gratias egerim. De eo qvi
eam? Diffuſam lectionem, ſtyli nitorem, judicii acume
prius mirer, ignoro. Certus ſum, neminem fore, modo
cura, qvam poſtulat, eum legerit, qvin inter ſcripta, qvæ
ævo nobis tulit melioris literaturæ orbis, palmam ei faci
daturus. Perge, rogo, perge illuſtri ingenii tui lampade lu
Scribonio & *Celſo* noſtro fœnerari. Mihi certe, rem qvod
net, Aciam vere acu tetigiſſe videris. Gratias igitur ago im
ſas pro ejus communicatione, qvodqve redhoſtire meis neqv
ineptiis, non mihi ſed itinerum difficultati adſcribas, v
Nuper in locum perdifficilem *Celſi* incidi, qvem publice d
tiendum propoſui, cumqve inde me extricare neqvivero,
devolvi, ut ex pagella, qvam mitto videbis. Integram miſ
exercitationem, ſi per tabellarios licuiſſet. Valde doleo, q
ut libet, non licet tecum diffuſius garrire; animum ex p
hiſce metieris. Sub prælo jam fervent *Monumenta* mea, qv
Cornu, jam diſtractum, adjiciam cura ſecunda auctum, cui e
ctata à *Kirchero* ſi fieri poſſet aceeſſio, nihil mihi foret gra
Ubi ad umbilicum perduxerit Typographus, omnem mo
lapidem, ut habeas. Interim vale, & annum hunc novum
ſtiter & feliciter tranſige. Prid. Cal. Jan. 1642.

LXXXVII.

JO. RHODIUS

D. Olao Wormio. S. P.

Hafniam.

CLariſſime Vir, Amice in primis honorande. Nolo ſpe
longiùs morari; alere tamen nec abs re nec amicitia
qvum cenſeo. *Kircheri* judicium eſſe in pluteis ſuis monuit
deus noſter, qvod primo ad me veredario traderet. Inexſp
to autem Pontificis juſſu, graviſſimorum negotiorum cauſa

Galliam ablegatus, ne tribus qvidem verbis id mihi intimio-
notitiæ indicare potuit, tralatitiâ *Rochii* noſtri opera uſus.
meris rationem ignoramus, ſed qvod gravius itineris, ne di-
n reditus. Viri hujus non vulgaris doctrinæ mentem proxi-
i perſcripſi: humaniſſimi *Kircheri* qvamprimum exſpecto,
maxime cauſa, & *Bangii*, cujus Diatribæ ipſi placuere. Ceſſa-
nem tantillam ſi æqvè tuleris, commodum fortaſſis erit.
ſti enim qvàm in vario literarum genere verum illud: *habent*
væ commoda magna moræ. Accipe interim ex meis veram an-
vi numiſmatis plumbei delineationem; qvod non minus rari-
: mihi carum, qvam *Pignorii* noſtri memoriâ religioſum, cu-
id neceſſitudini debeo. Eam *Bartholino* veſtro lubentius tra-
i, qvia Sereniſſimi Ducis Veneti mitram proximè refert;
m ab antiqva Trojanorum nihil diverſam oſtendit ille in
iginibus Patavinis, qvas in gratiam civium ſuorum Etruſco
mone vulgavit. Si merebitur, aurei muneris tui auctarium
iare. Pervidi totum Principis titulo tuoqve nomine dignum,
ἐς'γμα ſi mutetur evidens, qvod in tertium verſum Epigram-
tis *pag. 28.* utrobiqve irrepſit. Cetera ſic arriſere, ut *Barberi-*
Purpuratorum principi, novitatis literariæ avido, miſiſſem
tinus, niſi inconcinnè admodum emarginatus liber, vix locum
Bibliothecam ſperare potuiſſet. Sed Romanorum curioſitati
isfactum pridem *H. Fuirenii* diligentiâ, qvi geminum Venetiis
mplar comparavit. *Licetus* pridie qvam ab æſtivis Patavinis
noniam rediret, mutuatus meum adhuc detinet, ratus aliqvid
inde acceſſurum commentario, qvem *de veterum Annulis* af-
tum habet. Emblemata Regis hiſtoriam præſentare ſuſpicar
:. Tu cogita. Novæ editionis mihi ſpem certam nuper in-
aſti, qvam forſan exſpectabit. Monumentis profectò gentis
ſtræ Italos tibi demereberis. *Faſtos* Romanos non diſplicuiſſe
mini: qvi una cum reliqvis potius negligentiâ qvam curato-
m protervià nobis hactenus inviſi. *Ludovicum Elſevirium* jam
go, naucleris Venetias inde ſolventibus tradat qvicqvid ponde-
ſum ad me porrò ferendum habuerit. Nec de ipſius fide dubito,
i jam *Scribonio* meo lucem pollicitatus. De *Literatura* huma-
ati tuæ non minus debeo, qvam de alterò felicis ingenii dono.
namqve meæ de ſpina conjecturæ robur addidiſti; ſed exilibus
ecipue conatibus meis animos perhonorificâ Diſſertationis
æ approbatione. Hanc verò plurimorum agnoſco indulgen-
tiam,

tiam, qvi me mihimet faciliorem cupiunt, qvam ut à meo animo impetrem. Aures tamen præbebo, ne penitus videar κακιζότεχνος, lenta faveat modo valetudo, qvam imminens veris calor commodiorem ſpondet. De *Celſi* loco hac temporis anguſtia, id tantum addo, Panem abs te ad autoris ſententiam rectè alimentis accenſeri, nec ab editis veteres diſcrepare libros, qvos diligenter inſpexi. Qvam benè; ſi fata volent, ſuo loco aperiam. *Fuirenii* veſtri cum *Bartholinis* optimè valent. Iis nullo me unqvam officio defuiſſe, ex ipſis cognoſcas malim. Vale. Patavii VI. Cal. April. cIↄ Iↄc XLII.

LXXXVIII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

SUmmam tuam facilitatem meam fovere importunitatem ne mirere; nam ubi amicus, ibi opus. Hinc defatigare te etiamnum non deſino, alias qvotidianis in publicum bonum negotiis laſſum. Tuo conſilio, ceſſabunt operæ *Monumentis* meis occupatæ in *Naudæi* veſtri reditum, ut qvid *Kircherus* in noſtris deſideret, priusqvam cura ſecunda prodeat *Cornu*, cognoſcam. Maximæ verò ingenuitati tuæ debentur gratiæ, qvod non ſolum tam candide de gravi errore, qvem nimia peperit feſtinatio moneas, ſed ex divite penu tam egregio auctario mitræ Venetæ locupletaveris: qvod, Deo volente, non ſine honorifica tui mentione ſuum occupabit locum. Qvam cupiviſſem, *Bartholinum* ei delineando operam dediſſe accuratiorem, ut typus ejus cæteris junctus conſpiceretur. Cæteris beneficiis hoc addas, ut tantiſper ei adhuc indulgeas, donec manu perita delineari curaverit, qvod facturum eum, mihi polliceor. Ea eſt bonorum Auctorum hic penuria, ut *Origines Patavinæ Pignorii* nuſpiam in pluteis compareant doctorum & alia ejusdem deſiderare cogamur. *Licetum* a noſtris circa calcem libri inſinuatis conjecturis, non procul diſcedere gaudeo, inprimis cum modeſte & humaniter diſſentientem me ferat, nec more Stentorum qvorundam apud nos, qvi qvæ ipſi non capiunt, malitioſe carpere & radere non ceſſant, ſed pro labore convitia reddunt. Ipſi de re nulla litem

move-

movebo, ſiqvidem rem hanc meris niti conjecturis probe ſciam ac talis ſit, qvæ diverſam patiatur interpretationem, modo a re non nimium exorbitantem. Qvod ſi *Elzevirium* facilem habuero, faciam, ut nihil ex meis poſthac deſideres. Adhuc ſemel hominem ſollicitabo; qvo ſucceſſu, ſcies. Gaudeo manumiſſum *Scribonium*; Deus tibi vires ac valetudinem largiatur firmam, brevi ut ſeqvatur *Celſus*, cujus locum, qvi me defatigavit, a te enodatum & ad mentem *Galeni* reductum in præclaro iſto opere, utinam videre liceat. *Fuirenios & Bartholinos* qvod in tui receperis familiaritatem, & conſiliis juves, præclare de ſingulis & omnibus nobis mereris; utinam hic viciſſim rebus tuis ſtudere poſſemus, ut haud in ingratos locatam operam agnoſceres. Me certe cunctis, qvæ tuum ad nos accelerare reditum poſſint, operam dare, faxo, tandem videas. Unum rogo, *Bertilo Bartholino* patriæ ſtatum, ſibi impoſitam provinciam, parentum & amicorum exſpectationem, præſtitum ſacramentum, expenſas eo nomine factas, in memoriam ut revoces, ne extra orbitam ſibi præfixam deprehenſus, ſerò pœnitere diſcat. Vale. Hafn. 16. April. 1642.

LXXXIX.

JOHANNES RHODIUS

D. Olao Wormio. S.P.

Hafniam.

Ecqvid verò tui cauſa non velim, Clariſſime Vir, cujus me dudum dicavi deſideriis? *Naudæi* noſtri anceps reditus ne ſuſcepti operis tui moram diu nimis protraheret, *Tomaſinum* noſtrum Æmoniæ Epiſcopum jam in Urbe menſes aliqvot hærentem ſollicitavi de *Kircheri* judicio: qvod candoris pariter ac meritiſſimæ laudis plenum ipſe mitto integrum ex ipſius ad me pridem humaniſſimè ſcriptis, qvum intelligam non deeſſe iſtic, qvi tuis de Cornu cogitatis neſcio qvid adtentent. Illudne aliunde illatum cogitent ipſi, qvi ſciunt corda novena inter alia ſigna minutula totidem indicare Cimbriæ provincias. Unum addo qvod num attigeris, jam non ſatis occurrit, *Publio Vegetio* Mulomedico familiare eſſe cornu poculi vice. Inde Lib. 1. cap. 15. *ad cornu accipere*. Lib. 3. cap. 24. *ad cornu digerere*. cap. 38. verius 41. *item per cornu dare*, cap. 67. & 78. rectius 70. & 81.

qvali-

qvaliter & *Plin. Valerianus* Lib. 1. cap. 65. Sed & menſuram eſſe patet apud *Vegetium* Lib 4. cap. 9. ubi cornua bina exiguntur. De Florentinis, qvæ à *Franciſco Caroccio* Medico familiari meo habui, *Bartholinus* noſter perſcribet: in qvibus notaveris ἐμφανῆ qvædam emblemata. Si qvid porro de iis accuratius novero, protinus id ſcias faciam. Mitræ Venetæ nunc propius animo ſtudium eſt: cui aliqvid acceſſiſſe puto, ſi exqviſita nummi mei adumbratio Tibi in conſpectum venerit. Atys videtur, cujus fert is imaginem, ſed artificis, qvod fieri ſolet, præcipitatione dextro lunæ cornu mutilam, characteribus etiam ſitu detritis. Ei paulò diſſimilem haud dubie vidiſti in expoſitione monumenti Tornacenſis, qvam nobis *Pignorius* reliqvit. Nec ſignum illud aneum, cujus nuper typum miſiſti, ab hoc alienum. Similes enim fibulis connexas refert Atys braceas, eamdem qvoqve mitram ferme, in marmore ſcitiſſimo, qvod *Cæſiorum* ædes hodieqve exornat Romæ, qvas *Ubaldinus* Canonicus defuncti Cardinalis frater habitat: unde cymbali figuram depromſi, qvæ *Scribonii* Compoſit. 55. non parum lucis allatura. Dextram heic juvenis auri ſiniſtræ objicit, ſiniſtra cymbalum tenet, dum Cybele tympanum pulſat. Qvid tui vero poſitus innuat, pro ingenio facilè conjeceris. Nolo tamen diſſimulare, ejusmodi habitum Phrygibus communem fuiſſe, maximeqve tegmen illud capitis, qvod elegantiſſimus etiam Ganymedes marmoreus habet, qvem Venetiis in atrio Bibliothecæ D. Martii tholo ſuſpenſum meminiſti. Hujus inter cætera mentio eſt cap. 12. *Originum Patavinarum Laurentii Pignorii*, qvô Trojanorum amictus eruditè dilucidatur. Tuum igitur puerum Cybeles delicium ſi velis, non multum qvidem renuo; cras meos tamen Antiqvarios Romæ hujusmodi rerum notitiâ claros de ipſo plenius conſulam: qvorum â me ſententiam habebis. Ampliſſimo ſocero tuo plurimum debeo, qvod meas pagellas leniori judicio exceperit. Nepotibus mutuum animi ſtudium teſtabor: jamqve *Bartolo* intimiorem *Scoppii* & *Octavii Ferrarii* neceſſitudinem conciliavi, qva nihil ipſius ad politiores literas inſtituto commodius accidere potuit. Reliqvis pro mea ingenuitate advigilo ea fide, qvam mihi de veſtro affectu polliceor. Vale, & utrumqve *Finckium* ceterosqve mei nominis ſtudioſos officioſe ſaluta.

Patavii VI. Cal. Jul. cIↄIↄcXLII.

XC.

XC.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

CUm huc appuliſſet *Johannes Elzevirius* Bibliopola Leidenſis, rurſus fortunæ aleam expe[c]turus, faſciculum hunc, Amſterodamum ad fratrem *Ludovicum* ut deferret, ei commiſi, qvo cum aliis ſuis Patavium ad te transmittere poſſet, ſperans, eum tuis meritis excitatum hac vice faciliorem futurum. Eventum exſpectabo. Pro nummo transmiſſo gratias habeo magnas; revocavit mihi ſingulare hoc *Cornu* noſtri ornamentum in memoriam æreæ meæ ſtatuæ, cujus *Bart. Bartholino* nuper transmiſi iconem, ut, qvid de ea ſtatuatis expiſcarer. Si diadematis reſpexeris formam, Trojanum qvid ſapere videtur. Ego, qvo referam, plane ignoro. Ex Italia ſecum detulit D. *Bordingius*, a cujus filio ego accepi. Nummo tuo in iterata editione, ſiqvidem eo ſpectare credam, adjungam. *Monumenta* mea ubi prodierint, ſingulis vobis exemplum mittam, ſi per *Elzevirium* licuerit, niſi ad nos reditum Te moliri (qvod ſperamus) intellexerimus. De mediis namqve, qvibus allici Te poſſe putamus, magnos tuos Patronos jam diſpicere, certo cognovi; utinam votis aſpiret eventus! Interim vale, & Te Patriæ natum cogita. Hafn. 28. Maji, 1642.

XCI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

MUltis nominibus tibi obſtrictus, exoptarem diem illum illuceſcere, qvo viciſſim agnoſceres nihil non tui cauſa me præſtitiſſe. Opportune namqve ultimas tuas accepi, qvibus & *Kircheri* & *Ferrarii*, doctiſſimorum Virorum de meis adjuncta erant judicia, ultra qvam ſperare potui, amica & humana, tibi talibusqve Viris cum non diſpliceant noſtra, allatrantes non moror alios, certus, qvod virtuti individua comes ſit invidia. Ferme ad umbilicum editionem iteratam *Cornu* perduxerat Typographus,

graphus, ut ſingula, qvæ communicas, ſuis locis inſerere haud qviverim; Ægre igitur haud feras, ſpero, ſi ad calcem integram tuam inſeruero epiſtolam, qvæ de amicitia noſtra toti teſtabitur orbi literato. Egregiè ad rem faciunt, tam qvæ de mitra Trojanorum erudite diſſeris; ſed maxime adverſarium punget aptiſſima cordium interpretatio, qvam & ſeorſim inſeram, (eo usqve enim præla non pervenere) & in Epiſtolâ tua leget. Cæcis nobis & craſſis his auræ ſeptentrionalis nubibus velatis tantam lucem ex Italia affulſiſſe, maximopere gaudeo. Menſe Majo ad te ſcripſi, & per fratrem *Ludovici Elzevirii* faſciculum meorum tranſmiſi ſcriptorum, maritimo itinere devehendum, inter qvos & *Faſti*; num acceperis, & curata hæc ſint, haud gravatim indicabis. Hiſce diebus, publicorum Academiæ negotiorum cauſa, apud Cancellarium fui, cumqve ſponte ſua tui injiceret mentionem, atqve a me efflagitaret, *Aciæ* exemplum ſibi ut procurarem, de mediis, qvibus te ad nos pellicere poſſemus, ſerio ut cogitaret, compellavi. Tum ille fuſe de conditione & rebus tuis diſſeruit, qvibusqve modis tuis votis ſatisfieri poſſe putarem, rogavit. Ego, qvæ literis *B. Bartholini* edoctus eram, inſinuavi, ſiqve res eo deduceretur, adventurum te dixi. Spero brevi admonitiones ejusmodi profuturas, qvod ſincere voveo & opto. Amice te ſalutat ſocer & amici reliqvi. Hafn. 20. Jul. 1642.

XCII.

JOHANNES RHODIUS

D. Olao Wormio. S. P.

CLariſſime Vir, amice in primis honorande. Qvas miſi poſtremas, ſi te publici juris voluiſſe arbitratus fuiſſem; accuratiores multo dediſſem, præcipuè de ſitu, qvem refert Atys, cujus non obſcura in veterum monumentis veſtigia; nec præteriiſſem, galeam Juſtiniani Imperatoris tiaram fuiſſe. Mihi tamen abunde eſt cornu illud Cimbriæ vindicaſſe non inani conjectura, qvam & cum *Liceto* noſtro ante communicavi. Et certè veritatis ea vis apud me ſemper fuit, ut nullius perſona terreat. Majori libertate, an dexteritate ingenii, idne peregerim, in primis palam feciſſet *Scribonius* noſter; cui jam præ carceribus

mappam

mappam miſere, qvibus literarum Senatus id juris diu conceſſerat. Infelix autem patriæ ſtatus ad Regium limen ſubmiſſo gradu tendentem ſufflaminavit, immo cogitationes ſpesqve tuo indicio conceptas, qvibus non parum excitabar. Video etiam favorem hominum in fortunam adeo inclinare, ut parum mihi porrò de *Ludovico Elſevirio* poſſim promittere, licet meis heic officiis præſentem plurimum adjuverim ſupplendis è Bibliotheca Ambroſiana *Procopii* lacunis, qvibus impar Vaticana. Neqve enim iterato compellantem reſponſo dignatur; maxime poſtqvam ſignificaverim faſciculum à Vobis ad me traditum; qvem utiqve reliqvis ad *Juntas* noſtros mercibus facile addidiſſet. Ceſſationi qvidem à *Bartholino* meo remedium ſperabam. Is verò in Belgio necdum comparuit. *Monumenta Danica*, qvæ *H. Fuirenius* Venetiis paravit, leviter inſpexi, priusqvam Illuſtriſſ. Eqviti *à Puteo* Romam mitterentur; de qvibus ſolidi vir judicii ſuam opinionem ſatis magnificè aperuit. Diſputatione de priſca Danorum poëſi meæ de *Acia* noſtræqve gentis ritibus aliqvid tuo nomine dignum acceſſit. Cenſuram verò ingenioſam *Scribonius* Aldi cura interpolatus honeſta ſuæ conditionis excuſatione declinat. Sed hæc melior ſuggerebat aura, qvum in medio armorum ſtrepitu apud Poëtam ingeminaret præco: εἰρήνη μάντεσι προσφιλεστάτη. Nec mora, qvin pacatis nunc Italiæ rebus prior mox facies redierit. Conſilia & iſtic ſub manu fortaſſis naſcentur. Valida precor, & rebus apta. Animum interim ſolatus, dignos Deo viſos, in qvibus experietur, qvantum natura humana poſſit pati. Socero tuo ceterisqve veſtris ſalutem redde plurimam, tantilla valetudine auctior. Vale. Patavii IV. Non. Maji. cIↃ IↃcXLIV.

XCIII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

Patavium.

NUper apud Nobiliſſimum *J. Gerſtorffium* inter reliqva de te ſermo inciderat, eumqve tuis ſtudiis addictiſſimus, qvid de tuo ad nos reditu ſperarem inqviſiviſſet, ego ſi inſtituto dignis conditionibus te revocarent ſuperiores, me de adventu certum

 eſſe

eſſe dixi. Qvibus inductus rationibus id aſſererem, porro qvirenti, qvod à *Bartholino* noſtro edoctus eram, indicavi. abiens, ſibi hoc negotium commendatum fore ſancte ſpopon Rediit ad me die ſeqventi, & ſe Vicarium Regium *Ulfeldium* venifſe, remqvetotam expoſuiſſe narravit, qvi apud Regem ſecturum promiſit, tuis ut ſatisfieret votis, modo tu ipſe pe teras (qvo de omnibus certior eſſet) mentem & conſilia ipſi rires. Petiit igitur, hæc tibi data commoditate ut indicar qvò mature rebus tuis conſulere, & promiſſorum memor Patrono tanto refricare opportune poſſes. Qvo fine & hæc oc ſcribo, & pro miſſa nuper doctiſſima Epiſtola gratias ago, qv integram *Monumentis* meis, tua, ut ſpero, bona venia, in tam videbis. Vale, & occupatiſſimo ignoſce. Hafn. 26. A 1642.

XCIV.

OLAUS WORMIUS

Johanni Rhodio.

ERuditam Epiſtolam cum non parum lucis & ornamenti ſertationi noſtræ allaturam viderim, qvod pluribus c munem fecerim, te pro eo, qvo teneris publicum bonum pro vendi, ſtudio haud ægre laturum confido. Non dubito, q ſi penes te ſtetiſſet, ex divite ingenii penu pluribus & exi ampliaſſes obſervationibus; ſed illam, qvam manibus tener aviculam reliqvis in ſilvis, ſvavius licèt cantillantibus, no tamen fugientibus caveas, cum vulgò præſtare ſemper cre Interim invicto argumento Patriæ, qvod ſuum erat, pri qvod vindicaveris, Tibi ſoli deberi fateor. Male ſit *Elzeviri* inhumano omniqve grati animi ſenſu vacuo, qvi tuum tan moratur ſtudium, noſtra verò deſideria. Sordidos iſtos h nes, lucro ut eæno immerſos, nec bonum publicum nec col movent, qvamvis grandia, beneficia. *Bartholum* Amſter mum appuliſſe accepimus, ejusqve adventum indies præſ mur; qvid obtinuerit, cum venerit, intelligam. Si facu noſtra ad Vos transmittendi, daretur commoda, non fine Vos iis deſtitui. Illuſtriſſimi *Eqvitis à Puteo* de *monum Danicis*, ſi grave minus ſit, ſententiam communices, rogo; tius enim alieni, qvam proprii, talia cernunt oculi. Manu

, qvæ p. iii. *Dionyſio* mutuo dediſti, ſedulus inqviſivi, cata-
um totius Bibliothecæ vidi, imo libri omnes hic divenditi
t, ſed nusqvam comparuere, qvæ deſideras. Ripis Cimbro-
n, anteqvam ad nos devenerint, luſtrati ab hæredibus fuere
uli; an, qvæ ad alios ſpectabant, ſepoſuerint, ſedulus data
nmoditate literis inqviram. Siqvid obtinere licuerit, *Ban-*
noſtro dabitur. Vale Hafn. 12. Cal. Jul. 1644.

XCV.

JOANNES RHODIUS

D. Olao Wormio. S. P.

fuiam.

Lariſſime Vir, amice integerrime. Nuperis veſtris Non.
Aug. traditis nihil mihi gratius. Animum namqve diu-
næ exſpectationis tædio penè maceratum opportunè ſubleva-
t. Sileo priſcæ meæ voluntatis conſtantiam, cui non in
am tantum epiſtolam, ſed in memet judicii arbitrium ultro
ceſſerim. *Bangii* noſtri ſalus mihi anceps foret a ſilentio, niſi
meminiſſes, dum in recuperando meo libro ſedulitatem
mittis, qvem procul dubio hæredes inter MSS. defuncti ſe-
uere. De *Scribonio* nunc denuo ad *Elſevirium*, immo ad
tholinum noſtrum, qvem ad ternas meas nihil reſpondiſſe
or. Autorem ſubtili cenſura tua rèum ſub aliena perſona
loſophi & Medici liberaliter excuſavi, honorifica tui nominis
noria; niſi aliam tibi mentem novero; qvam liberam cupio.
ſebam qvidem Viri Clariſſimi titulo eam initio proponi. At
il heic æſtimationi adverſum, nihil amicitiæ: ſolius heic po-
athiæ argumentum, ne qvid in iſta ævi varietate præterierim.
ibonium pari modeſtia Latiali conſvetudini plurimis rationi-
adſerui; qvidqvid *Janus Cornarius*, *Gaſpar Barthius* fa-
iaris meus aliiqve Viri eruditiſſimi ſuſpicati fuerint. Noſti
eum *Moſchionis*: Καλὸν φυλάξαι γνησίως παῤῥησίαν. Aucta-
beneficium *Acia* mea perpetuum agnoſcet, ſi fibulæ tuæ
iem miſeris, Graphii etiam, cujus indicium *Thomæ Bartholi-*
debeo. *Veslingius* noſter qvinqvennium Cairi moratus, ex-
tatione mea *Pullitiem Ægyptiam* meditatur pereruditam. Sin-
ari cura eam Magnus Hetruriæ Dux operis inde conductis
ulatus, accuratam furni delineationem indulſit, qvam ille
mphiticæ ſimillimam affirmat. Eumdem Auguſtiſſimi Regis

 noſtri

noſtri conatum intellexi. Si qvod ejus veſtigium, rem ta plenius, qvæſo, explica. Quis furni modulus, qvæ foci teria, qvæ nationis ac turbæ ſcura, qvisnam eventus. To qvod fuerit, grata diligentiæ veſtræ debebit poſteritas: q honeſtis tibi hactenus devinxiſti laboribus. Qvod literaru cremento familiæqve bono cum Clariſſimis *Finkiis* ut diu ſa Deum veneror. Patavii III. Non. Auguſt. cIↄ IↄcXLIV.

XCVI.

OLAUS WORMIUS

Joanni Rhodio.

Patavium.

GRatum mihi qvod intelligam qvidpiam à me profect qvod Tibi non diſplicuiſſe videam. Securum te eſſe nihil unqvam mihi antiqvius, qvam officiis ſinceram conſt fovere amicitiam, meqve meis totum dicare. Non mirum *tholinum* ſegniorem in reſpondendo, cum intelligam Amſ dami, ubi per menſes aliqvot, immemor rerum curandarum ſit, lecto affixum fuiſſe & ne ad nos qvidem ſcripſiſſe. C *Celſum* libere à ſuſpicionibus, etiam meis, vindicaveris, te dignam præſtitiſti, ac eô ſine hanc ventilavi animadverſio Tibi occaſionem ut præberem nihil omittendi, eo qvod ſp ret. Qvocunqve modo id feceris, mihi gratum erit, cum ab partium ſtudio alienum & amicæ veritati addictum Te ſe expertus ſim. Mitto iconem fibulæ meæ, qvæ ærugine obdu parum diſtat ab ea, qvam loco qvarto inter Menetrianas pr fuiſti; arcus minor aliqvanto eſt, & acus receptaculum I ad qvadratum accedens. Jungo ſtylum ſeu graphium, etiam arcum, ejus plane longitudinis & figuræ, qvam pic oſtendit. Apex exarandis, caput delendis notis deput fuiſſe videtur, hinc ventre protuberat rhomboideo. Argu tum elegit veſter *Veslingius* elegans & curioſum, in qvo ſi petur ea cura, qva in reliqvis ſuis, immortalem vel hoc ſolo liceri ſibi poteſt nominis famam. Qvod ad Sereniſſimi noſtri conatus eo in genere attinet, brevibus referam, qvi hi de iis conſtet. Anno 1640, menſe Auguſto vocatus eram dericsburgum aulicis qvibusdam dyſenteria epidemica labo tibus ut conſulerem; Accidit, ut inter prandendum pulli

I

macei menſæ apponerentur Regiæ. Tum ut qværere cœpit Maj. Regia, an qvo pacto excluſi eſſent hi pulli, ſcirem; ego gallinæ incubata ova regeſſi. Neqvaqvam, reſpondit, ſed in furnis peculiaribus more Ægyptiorum; utqve totum videas artificium, in villam ubi excluduntur & educantur, à prandio deducendum te curabo, cuncta oculis uſurpare ut valeas; & artificium mirabere. Qvod & factum. Ego ubi veni, inveni in conclavi ad id deputato ſex furnos ordine locatos, qvorum figura nihil ferme diſtabat a furnis vulgaribus, in qvibus panes coqvunt, niſi qvod ante os, focus peculiaris ex laminis ferreis eſſet exſtructus cum craticula, cui carbones vivi & minuti incluſi, qvi calorem lentum toti ſtructuræ ſuppeditabant commodiſſime; manum enim immittenti blandiſſimus percipiebatur. In furno cophinus erat planus, pulvinari mollibus plumis farto ſtratus, qvadraginta aut qvinqvaginta circiter ova continens. Adſtabat vetula, ſtipendio conducta, omnium curam gerens. Qvæ, cum de tota excludendi ratione interrogaretur, reſpondit: ſe primo per candelam ova explorare, fœcundane ſint an ſterilia eaqve ſimul ad numerum qvinqvagenarium uni furno imponere; focum lentum, qvalem vidimus, accendere, eumqve, ne exſtingvatur, diligenter curare, ad qvadrageſimum ferme diem, bis præterea qvotidie vertere; ſicqve deſtinato tempore pipientes prodire pullos, qvamvis raros adeò, ut decimumqvodvis ovum vix exſpectationi reſpondeat. Excluſos committit capis, pectore deplumatis, (qvos eum in finem alit copioſos,) educandos, qvi officio ſtrenue defunguntur. Hæc tota eſt operis liturgia. Qvindecim circiter tum vidi, qvi ad columbinam pervenerant magnitudinem & paulò ſupra. Verum referebat Maj. Regia, pullos hoſce ad juſtam magnitudinem pervenire non poſſe, ob teneritudinem. Qvocirca, qvando mediocris ſunt conſiſtentiæ, ad culinam deferuntur, ut de artis naturam imitantis potentia diſcurrendi detur occaſio uberior, ubi Legati aut Principes exteri lautius in aula excipiuntur. Non qvæſtus aut lucri cauſa â Rege hæc inſtituta pullatio; decies enim pluris conſtat, qvam ordinaria naturæ: ſed qvia ipſe hunc modum invenit, qvo in Ægyptiorum artificium inqvireret, eo haud parum delectari ſolet. Cæterum, dum curioſius ſingula luſtro, petii facultatem mihi concedi, unum aut alterum ex ovis, qvæ per qvatuordecim circiter dies furno erant incluſa, frangendi: renuit primo vetula, juſſa tamen ab iis, qvi me eò deducebant, bina exhibuit. Alterum dum frangerem, putri-

 dum

dum plane erat, in altero evidentia ſatis alitis apparebant lineamenta, oculi inprimis & capitis. Hæc ſunt, qvæ de Danica pullatione Tibi narranda habui. Si alicujus uſus *Veslingio* veſtro fuerint, gaudebo me etiam ſymbolam qvalemcunqve tam præclaris auſibus contuliſſe. Vale. Hafn. 15. Septembr. 1644.

XCVII.

JOANNES RHODIUS

D. Olao Wormio. S. P.

CLariſſime Vir, Amicorum integerrime. Niſi de propenſiſſima in me candoris tui voluntate ſecurior fuiſſem, vix interpellaſſem occupationes tuas, qvas meo etiam exemplo tibi pro ingenii facilitate novas qvotidie ſuboriri credo. Noſtræ vero exſpectationi tam prolixè ac plenè ſatisfactum profiteor, ut Clariſſ. *Veslingii* deſiderio nihil relictum præter furni cum ſuo apparatu ichnographiam: qvam ſi ab accuratiori penicillo impertiveris, qvantum debuerit ipſe tuæ humanitati, publice teſtabitur. Nimirum Auguſtiſſimi noſtri allectus ingenio id ſibi curæ habet, poſteris tam expedita operis ratio conſtet, qvam tua fide qvibusqve par encomiis eſt litteris commiſſurus. Lentus ille qvidem promiſſor, ſecurus tamen, qvi non facile qvidqvam præcipitat. *Syſtema* interim *Anatomicum* novis iconibus ſpectatorum genio aptatum jam qvidqvid à publicis ſupereſt negotiis jure poſtulat. Graphium tuum libenter vidi, cui meum nonnihil diſſimile. Fibula vero nihil jucundius, à qva Diſſertationi meæ aliqvid etiam acceſſit. De *Scribonio* ſpes mihi perexigua, etiamſi valetudini reſtitutus cum *Elzevirio* diligenter *Bartholinus* noſter egerit, Sic enim aliis nunc ipſius gemunt prǣla. *Reinſtius* tamen, qvi apud iſtos mortales plurimum valet, curaturum ſe recepit, ut *Caſii* operas in ſocietatem laboris admittat. Patavii ſeu Venetiis aliqvid moliri vetat improbum lucri ſtudium, qvod nemo primi etiam nominis ſcriptor declinaverit. Memini, qvanto mihi venit *Acia*, qvam efflagitationes amicorum extorſere; ne dicam ingenuo homini vix ferenda inſpectionis tædia. Nec tamen gratia voto reſpondit. Sola emollivit hæc eorum æqvitas, qvi ſupra opinionem tenuitati noſtræ pondus addiderunt; cujus memoria, ſi alia exciderint intempeſtivius, me non parum ſublevari ſentio;

qvam-

ıqvam & in diuturna hac valetudine juſtæ mihi qvaliscun-
ınertiæ fuerint cauſæ, qvoties recogito illud *Menandri*:
ϑ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. Dubiis patriæ rebus inco-
s vos præſtet ſummus rerum arbiter. Patavii XVII.
ıd. April. CIↃ IↃcXLV.

XCVIII.

OLAUS WORMIUS,

Johanni Rhodio.

'Uas, Patavii 17. Cal. Aprilis exaratas, Calendis Auguſti
primum accepi; Baſileæ procul dubio hactenus latue-
, ubi intelligo *Fuirenios* & *Thomam* hærere. Venia Sere-
ni Regis per Pictorem peritum furnorum excluſioni pullo-
deputatorum ichnographiam hanc, qvam mitto, accepi.
cum verò mitto: qvod alia vice nuper tentare idem aggreſ-
t Auguſtiſſimus noſter, qvamvis ſucceſſu non adeo felici.
us literis Romanis ſignatus is eſt, qvi exſpectatos dedit
tus. Singula, qvæ ad fabricam ſpectant, evidentius notis
ıbo. A. Furni primi aperti icon. B. ventilabrum cum ſuo
omio ligneo, qvo calorem dirigere ac moderari ſolet.
urni interior capacitas. D. os ejus qvadratum, cui appli-
r craticula ænea E. minutis carbonibus repleta, ac demum
ditur oſtio ligneo interiore parte lamina ænea obducto, &
ro volubili exterius ſuſtentato, litera F. notato. In ipſa
tate furni primo viſitur orbis ligneus G. in centro axe dota-
ut commode circumrotari poſſit, qvo manu ſingula ova
are & vertere cuſtos commode poſſit. Huic pulvinar H.
anno bombycino, mollibus gallinæ plumis farctum incum-
cui ova excludenda committuntur, ac demum altero ſimili I.
ıntur. K. Furnus idem clauſus, & excluſioni aptus. Alter
ıs operoſior eſt, duplici conſtans concameratione. α. Fora-
cineribus eximendis deſtinatum. β. focus cum craticula ſ
eneo clauditur oſtiolo. γ. os primæ concamerationis ſeu te-
inis, in qva orbis, pulvinaria & ova, ut in primo furno. δ ſe-
la concameratio, rimam cingens, calori ex foco transmiſſo

conſervando & fovendo dicata. ε. foramina, per qvæ calor ex foco in ſecundæ concamerationis ambitum transmittitur. ζ. interſtitium, in qvo calor. η. ventilabrum, qvo calor dirigitur, ab adverſa furni parte ſitum. Altitudo furni ped. 9. latitudo & profunditas 5. Pulvinar in diametro pedes 2. tenet. (*) Hæc ſunt, qvæ expetere vos arbitror. *Veslingium*, velim, meo nomine officioſe ſalutes cum parata officiorum delatione. Erudita ejus *in Alpinum Commentaria* teneo, ut & *Anatomicum Syntagma*, qvæ eruditis valdè probantur. Utinam *Scribonius* tuus & reliqva qvæ exſpectamus, brevi prodeant, avidæ noſtræ exſpectationi qvo ſatisfiat. Illuſtriſſimus Dominus *de Thuillerie*, Legatus apud nos Gallicus, cum oſtendiſſem in *Acia* tua qvanti ipſum æſtimes, me egregio theſauro Numiſmatum Romanorum donavit, qvem inter rara mea aſſervo. Tandem diu exoptata, qvamvis dura, nobis affulſit, ejus Viri miniſterio, Pax, qvæ ut nobis ſit diuturna, faxit Deus. Hafn. XIIX. Aug. MDCXLV.

(*) *Hæ figuræ nusqvam in Wormii chartis reperiebantur, alias æri inſculptas epiſtolæ huic addere non omiſiſſemus.*

XCIX.

JO. RHODIUS

Olao Wormio.

Hafniam.

CLariſſime Vir, amice integerrime. Qvid meis tanti intervalli moras injecerit, vix hariolari licet, niſi operæ forſan, qvarum inertia *Bartholinus*, cui eas dederam, *Unicornu* vulgando mirè torqvebatur, qvamvis & ego vicinus me ſuccidaneum inſpectionis ſocium dediſſem. Tua verò celeritate miraqve ſolertia non me tibi ſolum, ſed Clariſſimum juxta *Veslingium* noſtrum eximie devinxiſti. Beneficium iſtud rectè locatum ſenties demum, ubi qvod molitur opus lucem viderit. Ingenio plane Regio debitas laudes pendet: nec tuum hoc in literas ſtudium præteribit; ſi annum junxeris, qvo cœptum iſtud artificium. Atqve utinam ſpe noſtra feſtinantius. Publici namqve muneris prima ſemper ei cura, qvod eleganter ac exqviſite ſuſtinet. Sileo ipſius urbe vaſta ſæpius implorari auxilia, ut nihil aut parum otii

privatis

itis meditationibus reliqvum. Illud ab æſtate qvidem exandum, ſed qvalis ſupera inſveto fervore meliores nonnun- a conatus intervertit. *Anatomicum ſyſtema* nihilominus no- onibus ad vivum expreſſis adauxit, qvas ære inciſas ulteri- xamini deſtinavit, dum recognoſcat cætera immitius à typo- his habita. Mortalium genus illud, qvum Francofurti opus ipitaret, ne meo qvidem pepercit epigrammati, cui inepta ndatione omnem venuſtatem ademit. Secundis autem curis m nitidiorem longe accuratioremqve videbis priore. *Ope- ani Vindicias* eruditis laudatas meo indicio comparavit *Roc* noſter, ſed & ſuccum ipſum à Gallo Pharmacopœo mihi no- c Ægypto pridem allatum; cujus ego tantillum inter pretio- ſervo; major pars ad *Baldum*, ſummi Pontificis Medicum, à *lingio* Romam miſſa. De *Scribonio* qvæ tua opinio, non obſcu- ſtendis. Geminum mihi exemplar in promtu non medio- diligentiæ. Qvid verò *Bartholinus, Mulenius, Bordingius,* ptime conſcii, ſuo ſvaſu, qvid ſua *Reinſtius* autoritate, apud *virium* hactenus egerint, nondum pernovi. Hominem de- literis tentabo. Si vacillat, non vulgaribus *Raphaëlis du ſne* promiſſis acqvieſcam. qvi nuper, qvicqvid ſit illud opus, m inſpexiſſet, luculentas mihi conditiones protulit. Præ- us ille typis Regiis, olim in familia *Thuillerii* mihi familia- cujus ædes Venetiis freqventabam, ob ſummam cum *Gaffa-* necesſitudinem. Ipſius munificentia locupletatam inſignibus iis tibi pinacothecam eo magis gratulor, qvod non pauci à *ini* Senatoris maximi hæredibus, procurante qvodam Sena- Veneto, ad eum pervenerint: qvod nec *Diſſertatione* mea eros celandum putavi. Pacem ſane tanti Viri opera gaudeo itutam. Sed minus partiarium optaſſem. Publicæ fateor utili- reſpectus eſt pacis firmamentum. In ſtrenuis tamen naturis injuriam ſilentium non patientiæ indicium eſt, ſed vindictæ litatio. Atqvi nolo tecum altius philoſophari. *Pax una mphis innumeris potior!* Bartholinos vobis redditos gratulor. *iano & Bauhino Thomam* cum *H. Fuirenio* ſtudioſe commen- i. Nec me parum ſolatur ipſorum meritis à præcoci amico- *Foſſii & Stougardi* fato nova patriæ honeſtamenta ſubnaſci, familiæ veſtræ diuturna precor. Vale, meiqve ſtudioſos legas celeberrimos plurimum ſaluta. Patavii XVI. Cal. cIↄ Iↄc XLV.

C.

JOHANNES RHODIUS D. Olao Wormio. S. P.

CLariſſime Vir. Exactæ *Veslingii* noſtri diligentiæ non parum acceſſit è ſcheda, qvam ſatis maturè miſiſti. Nam & ille omnia penſiculatè condit. *Anatomicum Syſtema* non ſolum novis illuſtravit figuris, verum & integrum refinxit; cui deſcribendo id tempus impendendum, cujus bonam partem ſibi poſcebat Pullities necdum planè delineata. Ego tamen ſedulus monitor opus urgebo, cujus initium magna cum voluptate legi. Sed inclinante hoc menſe, qvi à publico munere paulo negotioſior. *Moltkenii* commercio Annales veſtros, ſi qvid judico, ſatis curioſos heic inſpicere licuit, qvi ſubito Mediolanum tranſmiſſi. *Opobalſamum* autem *Veslingii* ceteraqve ejusdem argumenti varia Romæ vulgata, pariter *Liceti* noſtri plura cum veſtris non permutari non miror, qvi jam didici qvam levi ingenio negotium rei librariæ hoc loco ineant, qvi magis lucro ſtudent, qvam eruditorum guſtui. *Naudeus* noſter inſignem librorum vim nuper in Italia conqviſivit ære *Cardinalis Mazzarini*, à qvo liberaliſſime habetur. Nec minorem credo Auguſti noſtri fore munificentiam, ſi qvis magnæ autoritatis Vir bonorum in republica ſcriptorum commoda ſuggereret. Gaudeo iſtum *Bartholino* meo locum obtigiſſe, cui ſummorum, qvibus heic uſus, virorum exemplo non poſſit non eſſe utilis. Jam enim perſpectum mihi ipſius eximio cum animi candore ingenium: cui omnia rectè eveniant precor. *Elſevirium* opinione noſtrâ frigidiorem è Batavis perſcribit *Fuirenius*. Nec refert. *Naudeus* enim majori certè ſtudio, nec impari fortaſſis elegantiâ, qvod extorſit, opus non iniqvis conditionibus luci ſe traditurum recepit. *Licetus* ac *Veslingius* plurimum te ſalutant. *Vintimigliæ* inſcriptas diligenter curavi. Vale, meqve iis accenſe, qvi te ſerio colunt. Patavii VII. Maj. cIↃ IↃcXLVI.

Immanes Othomanni minas haſtenus repreſſit Veneta claſſis Batavorum & Britannorum navibus auctior: in qva robur omne conſiſtit. Cydonia tamen nondum recuperata. Civium nobiliores Byzantium miſſi graviſſimas ſuſpectæ fidei pœnas tulere.

CI.

CI.

OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

avium.

Xſpectationi veſtræ ſatisfacere hactenus non potui, eò qvod curioſius inqvirenti de anno, qvo primum ſtruere fornaces udendis pullis deſtinatas cœperit Majeſtas Regia, expiſcari licuerit. Tandem tamen, fortuna conatibus favente, in am arcis, qvi fabricæ præfuit, incidi, qvi ſe rationes ſuas ſſurum promiſit, ut certiorem me hac de re redderet. Jam primulum, poſt varias ſollicitationes, (ut ſunt homines nti) hoc, qvod mitto, tuli reſponſi. Si uſui vobis eſſe poſ- ſt, qvod mihi gratuler; ſin ſecus, exiſtimare vos velim, culpa aut negligentia factum haud eſſe, tardius ad vos qvod atur. Accedit incommodum alterum, qvod literas noſtras parum poſthac remorabitur. Diem ſuum obiit mercator *nius*, qvi eas ſedulo curare ſolebat; & *Futrenii* à vobis ſſerunt, qvorum literis meas jungere ſolebam. Interim ut us, ut ajunt, qvando ut volumus, non licet. *Opobalſami licias* ſecum non detulit *Rochus*, res ſuas in Belgio adhuc re cauſatus. Redux *Bartholus* Cathedram apud nos obti- Oratoriam; *Henricum Fuirenium* & *Thomam*, Baſileæ mis in Medicina auctos honoribus, per Gallias & Belgium n patriam ingreſſos, indies exſpectamus. *Licetum* per- oſe ſaluto; ejus de *annulis* opus miſit *Fuirenius;* aſt cum me vidiſſet Legatus *Thuillerius*, petenti denegare non . Magni æſtimat virum, qvem ſibi, in Italia dum eſſet, tum qvoddam dedicaſſe, mihi narravit. Qvæ *Veslingio* & *miglia* deſtinavi, qvæſo, data commoditate, fac, ut cu- r. M. Martio. 1646.

CII.

OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

vium.

Jgduno Batavorum ad me tuas miſit *Fuirenius* noſter; hæret enim adhuc ibidem cum *Thoma*, ſupellectilem librariam ex Italia

Italia exſpectans, qvam feliciter jam allatam intellexi. *Veslingii* diligentiam & bonum publicum promovendi ardorem bonis proſeqvor omnibus. Faxit Deus, conatus ejus optatum ut ſortiantur finem *Pulliciem* ubi abſolverit, erit cum aliqvo populárium ad nos redeuntium, occaſio ad nos deferendi. Nuper librum de *Opobalſamo* accepi, Noribergæ juxta exemplar Romanum, ut videtur, editum, qvo tota hiſtoria litis de Opobalſamo continetur, una cum Epiſtolis & Conſiliis Medicorum in utriusqve partis confirmationem, atqve inter hæc Epiſtola una atqve altera *Veslingii*. Plura num ab ipſo de hoc argumento ſint edita, ignoro. *Moltkenius* noſter XI. exempla *Saxonis*, hic impreſſi, *cum Notis Stephanii* ad Vos miſiſſe refert; procul dubio ex iis illud fuit, qvod Mediolanum tranſmiſſum. Ex præſcripto *Naudæi* ego hic qvotqvot conqvirere licuit, collegi libros vernaculos, Latinos aliosqve in uſum Bibliothecæ Mazarinianæ, qvos ſecum in Gallias detulit Legatus Illuſtriſſimus *de Thuillerie*, qvem tamen adhuc in Belgio hærere, cognovi. Noſtri hic Magnates non adeo ſunt curioſi, ac furioſa hæc belli tempeſtas tales cogitationes prorſus excuſſit, de Marte jam magis qvam Pallade ſollicitis. Recte mihi feciſſe videris, qvod in Galliis per *Naudæum* tua imprimi facias; mihi namqve & olim *Elzeviriorum* perſpectus candor, de qvo alias memini me apud te conqveſtum. Qvod ſi contigerit, Bibliopolam Venetum, cum qvo *Moltkenio* noſtro res eſt, videre, roga, qvæſo, ut, dum varias qvisqvilias huc mittit, *Liceti*, *Veslingii*, *Kircheri* aliorumqve literariæ rei procerum non negligat libros; nam & hic Dii habitant. Miſit ad me nuper *D. Fuirenius* inſcriptionem Pyramidis, qvæ Ateſtæ in horto *Contareni* extat, agnoſco in ea veſtigia multarum literarum Runicarum, ſed nihil inde colligo, qvod haud ſatis accurate ductus omnes ſit aſſecutus. Si detur commoditas, per amicum, age, totius molis deſcriptionem accuratam una cum characteribus habeam; juvat enim vires in ea experiri, ſi forte qvid memoria dignum inde colligere liceat. *Veslingium* & *Licetum* officioſe ſaluta. Vale. Hafn. 27. Jun. 1646.

CIII.

CIII.

JO. RHODIUS
D. Olao Wormio. S. P.

Lariſſime Vir, Amicorum integerrime. Conceptum nuperis pro *Veslingii* in literas conatu votum non minori pietate d me maturum reddidit. De *Pullitie* ſpes qvidem longa eſt,ob ias viri occupationes: attamen certa, me aſſiduo monitore. *ttomiam* prorſus novam hac æſtate iconibus aptavit, qvæ *mbocti* noſtri typis publicanda, ſi gentis ejus more non vacil- *Opobalſami Vindicias* miſiſſem,niſi arctæ admodum amici ſar- ılæ propter dubium valde per hoſtica iter paucas viæ char- ıdmiſiſſent,ê qvibus *Zabarellæ* effigiem Clariſſ. *Tho.Finckio*, *e* & *Ventimiglia*,alteram *Tho.Bartholino*, *Argoli Longomon-* ʔ, reliqvas cum hiſtoria Chamæleontis tuo Muſeo deſtinavi, /e ſuam tibi *Veslingius*. Bibliopolam Venetum literis mone- *Moltkenio* celebriorum ſcripta mittat. Jam ſua qvæ deſideran- *Veslingius* tuis uſibus promiſit. Non minorem de *Moræo* m *Naudæo* concepi animum,fore ut meum qvidqvid iis com- i fide ſumma diligentiaqve vulgatum, qvod pondere non li- ,nitore impetret. Dolendum verò,modò id noſtra ferat con- tia, in ea nos incidiſſe tempora, qvibus Magnatum cura plus rti qvam Palladi tribuit, dum parum memores hanc ipſam ſiliis armatam, ſine qvibus præſidiis qvodvis lubricum. Vi- ıus interim ſpe beneficiarii,modò non penitus expuncti. Plu- iſtic in domo Auguſta mihi memoriæ magiſtri, ſed lenti pa- ıve ſolliciti. Demus id ævo.Mihi certè nihil prius,qvam inte- m omnibus animi ſtudium ſervare.Monumentum Gothicum ılus curabo. Sed meo commodo. Neqve enim hoc anno em extra urbem movi. *Licetus* & *Veslingius* Te diu valere ent. Qvod mihi commune votum. Patavii IV. Non. Octobr. IɔcXLVI.

CIV.

OLAUS WORMIUS
Johanni Rhodio.

tavium.

QVod tanto temporis tractu Te literis meis non ſalutaverim, ignoſces facilius, cauſam ſilentii ubi tecum ruminaveris;

Tuum

Tuum enim cum indies exſpectaverimus in Patriam reditum, gratius futurum judicabam, coram de ſtudiis communibus conſabulari, qvam literas in incertum dirigere, jejunisqve literis conatus tuos turbare. Jam vero cum ad Vos tendat juvenis eruditiſſimus *Wilhelmus Langius*, eum, exſpectatione fruſtratus, non potui ſine meis ad te dimittere, præſertim cum curioſus ſit, mihi amicus, & varia literatura politus. Qvid igitur agas, qvomodo annum hunc nobis communem climactericum magnum transigas, doce. Mihi certe haud ex voto incepit; graviſſima enim ad pectus defluxione cum adjuncta febri me invaſit, & magnam partem ſenſuum tam internorum qvam externorum labefactavit, ita ut etiamnum ejus moleſtias non ſuperaverim nec ſuperaturum confidam, ſenio vires omnes labefactante, ut, qvem exitum ſit habiturus, incertus ſim; interim Deo eventum committo. *Literaturæ* meæ editionem alteram locupletatam ſub prælo urgeo, cum *Lexici Runici* ſpecimine & *Monumentorum* auctario, in qvibus tuam dudum deſideravi operam. Qvid Tu? *Pullitiem* hæreditario jure acceptam brevine, exſpectabimus, *Scribonium* item, *Celſum* ac alios, qvos in nonum jam premis annum? De tuo ad nos reditu valde jam deſpero. Si corpore neqveas, rogo, animo adſis. Data occaſione *Kircherum* urge, *Mundum ſubterraneum* ne differat; magno enim ejus deſiderio tenentur omnes. Scio ipſum *Oedipum* ſuum urgere, ſed non minus ſibi iſtius maturatione Literatos omnes devinciet. Si qvid noſtris conveniens habes, communica; conſtitui enim iis immori. Vale feliciter, & qvamdiu Deus nos ſuperſtites vult coætaneos, hoc literarum commercium, qvo vehementer in hac imbecillitate delector, haud intermittamus. Iterum vale, & amare perge. Salutant te *Bartholini* noſtri & *Fuirenii*. 20. Aug. 1650.

CV.

OLAUS WORMIUS

Joachimo Morſio.

SÆpiuſcule ad te, Vir Clariſſime, ſcribendi, & pro tot transmiſſis muneribus literariis gratias agendi exoptabam occaſionem; Verum cum nemo ſeſe mihi obtulerit, qvi, ubinam locorum degeres, certò ſignificare, potuerit, votis hactenus ſum fruſtratus.

ſtratus. Jam verò commodum ſeſe mihi obtulit Juvenis eruditiſſimus, *Guilhelmus Laurenbergius*, qvi, cum ſermo inter nos eſſet de Literatis, qvi Roſtochii rem literariam promoverent, tui injecit mentionem honorificam. Qvocirca non potui, qvin hac commoditate te literis meis ſalutarem, ac pro benevola in me affectione, tot literatis muneribus declarata, gratias agerem ingentes. Siqvid noſtrum hoc cœlum ferret, qvo referre poſſem, nil mihi prius eſſet in votis. Interim γυμνασμάτων noſtrorum mitto promulſidem, qvam ut boni conſulere, ac æqviori cenſura æſtimare erroribusqve typographicis ignoſcere haud graveris, amice peto. Sunt apud *Ferberum* veſtrum mei *in librum Ariſtotelis de Mundo Commentarii*, in qvibus tui injectam mentionem, capite penultimo, ubi de Φρυκτωρίοις agit Auctor, videbis honeſtiſſimam; qvod te haud ægre laturum confido. Verum eosdem nunc revocare me cogit hominis negligentia, & promiſſis ſtandi oſcitantia, ut alii fideliori, vel hic, vel alibi, eos committere valeam. Si qvis apud vos, Hallerfortius aut alius eos expeteret, & mihi 50. pro labore mitteret exempla, ejus fidei illos committere non dubitarem. Qvæſo, ſi qvid elegantioris literaturæ è tua porro prodierit Bibliotheca, ejus me porro facias participem. Me viciſſim tibi addictum ut experiaris, faxo. Vale Vir literatiſſime, & me amare perge. 1622.

CVI.

THORLACUS SCULONIUS

D. Olao Wormio.

REverende & Clariſſime Domine Doctor. A vobis anno proxime evoluto ad patriam vectus, poſtqvam penates ſalutavi, gravem mihi plagam à fortuna illatam illico perſenſi. Nam parente optimo è vivorum numero nuper tum exempto, matrem viduam, fratrem ac ſorores orphanos, luctuqve gravi & moerore ſqvalidos non ſine maximo meo dolore, & animi perturbatione adſpexi. Qvod vulnus mihi inflictum in cauſa fuit, qvo minus anno ſuperiore Te per literas compellarem. Nunc vero qvoniam tempus & hora ſollicitudinem illam, ſi non penitus exemerunt, certè bona ex parte diminuerunt, hæc ſcribo; primum qvidem, ut gratum meum animum teſter, ſemper tuis officiis

officiis devinctiſſimum qvem habebis, deinde ut valere me & mediocri uti fortuna ſignificem. Adhuc enim in eodem verſor pulvere ſcholaſtico, in qvo ante biennium, priusqvam ad vos ultima vice redirem, deſudabam. Officium illud, ita vivam, oneroſum magis eſt, qvam lucroſum: qvod tamen æqviore animo ferrem, ſi me ſpes aliqva fortunæ ulterioris porrò teneret. Sed contra eſt; nam Politici noſtri, qvi *Cuncta ſuo cupiunt ſub pede jura premi*, pecuniis corrupti, vel ineptiſſimos qvosqve adoleſcentes vix extra ſcholarum limina egreſſos, & liventia terga recenti virgarum verbere geſtantes, ad parochias præcipuas promovent; poſthabitis & neglectis iis, qvi multa maris & tempeſtatum pericula, & in Patria labores ſcholaſticos ſuſtinuerunt, & multos in ſudore dies transmiſerunt. Remedium huic malo qvæſivit ſibi adeoqve invenit hoc anno Civis meus *Jonas Gyſſurius*, qvi opera Clariſſ. Viri *D. Caſpari Brochmand*, præceptoris ſui, uſus, Regias commendatitias literas nactus eſt, qvibus Rex jubet, ut prima qvaqve occaſione ad munus eccleſiaſticum, qvod ipſi commodiſſimum ſit, admittatur. Qvod ſi & ego te, Reverende Domine Præceptor, interceſſore & Patrono, ad Parochiam *Hytardal* in occidentali Islandia ſitam, poſt fata Paſtoris propemodum emeriti, qvi eam nunc tenet, per literas Regias adoptarer, operam daturus eſſem, ut in non ingratum beneficium illud collatum fuiſſe ſentires aliqvando. Qvod ſi illud minus ſuccedat, periculum fieri velim, poſſitne impetrari à Magnif. Dn. Cancellario & DD. Profeſſoribus, ut in eorum numerum ſtatim adſcribar, qvi in Germania ſtipendiis Regiis vivunt; qvod ſi obtinerem, ſtatim ſeqvente anno ad vos advolarem, non renuente Deo. Sed de his omnibus curam fidelem Deo & Dn. Præceptori commiſſam volo. Si autem penes me eſſet optio, illud qvam hoc mallem; uti etiam ſpero eſſe impetratu facilius. Vale, Rev. Dn. Præceptor, cum omnibus qvibus bene cupis, & mihi porro favere non deſine. Scripſi Holæ Hialtedalenſium 25. Auguſti 1622. Salutat Vos *Jonas Beſſonius*, qvi hac æſtate ad nos reverſus, Collega meus porro eſt futurus, & officioſe pro beneficiis gratias agit.

CVII.

CVII.

OLAUS WORMIUS

Tharlaco Sculonio, Islando.

* * * * * *
* * *

GRönlandiam *Arngrimi*, ſi penes te ſit, mittas qvæſo, vel ſi apud Vos haberi neqveat, ubinam locorum ſit impreſſa, mone. Cipporum Inſcriptiones, qvarum ſit mentio *Crymogeæ pag.* 23. ſi ex *Arngrimo* habere licet, adde. Runicis enim ut valde delector, ita in iis cognoſcendis haud parum operæ poſui. Siqvi apud Vos ſint, qvi in *Grammatica & Syntaxi*, cujus ſit mentio *pag.* 25. qvicqvam elaborarunt, videre geſtio, ut & illa, qvæ Anno 1216. qvosdam Veſtrum de literis Gothicis exaraſſe refert idem *Arngrimus. Crymog. p.* 26. Ac ſiqvas præterea habere licet Antiqvitates, earum me participem ut reddas, rogo. Me tibi viciſſim ad qvævis benevolentiæ munia habebis divinctiſſimum. Mitto *Baccalaurei* mei ut & anniverſariæ Diſputationis exempla. Tu boni conſule, & vale. *Beſſenium* viciſſim meo nomine ſalutare haud gravere. 1623.

CVIII.

Ex literis

THORLACI SCULONII

ad Olaum Worm.

* * * * * *
* * *

GRönlandiam Dni *Arngrimi Jonæ* habere non potui; eò quòd nondum ſit publici juris facta aut typis deſcripta; neqve etiam transſcribendam mihi permittere voluit Author.

Runici alphabeti characteres, â peritiſſimo hujus literaturæ viro exaratos, addita monumenti cujusdam, in vicinia reperti, inſcriptione mitto. De *Theſibus* ut & *Baccalaureo* veſtro, ad me miſſis, gratias ago, qvas poſſum maximas; in hoc libello, poſtqvam reqviſita veri Baccalaurei legi, meo me metiens pede ac modulo, nihil me præter inane nomen adeptum, animadverti.

* * * Holæ in Isl. boreali 20. Aug. 1623.

CIX.

THORLACUS SCULONIUS

D. Olao Wormio.

QVemadmodum nihil mihi accidit in vita jucundius, qvàm Tua, Vir Clariſſime, tuiqve ſimilium (hoc eſt vitæ ſanctimonia & eruditione conſpicuorum) converſatio & congreſſus: ità nihil è diverſo contingit mihi triſtius, qvam qvod ab eo ſubinde divellor, in hunc orbis angulum miſero qvodam meo fato detruſus, ubi inter homines rudes importunos & agreſtes mihi eſt degendum: qvam moleſtiam aliter lenire neqveo, qvam cogitando de vitæ hujus brevitate, & futuræ noſtræ conſvetudinis in cœlo æternitate. Reverendus noſter Dn. Epiſcopus adhuc æger, langvidum trahit ſpiritum, nec medicamentorum ope, à vobis & Clar. *Bernhardo Lang.* præſcriptorum, qvicqvam levatur, nec id qvidem mirum videri debet, tum ob ſenectutis debilitatem, tum ob morbi inveterati diuturnitatem. Librum *Skaldu*, ſeu *Grammaticam Islandicam* Dn. *Arngrimus* mihi præripuit, & in Daniam ad Magnif. Dn. Cancellarium transmiſit; ſpero ejus inſpiciendi Tibi futuram copiam: ego verò ſtudebo in gratiam Domini Cancellarii & tuam qvædam præcipua ex illo libro in lingvam Danicam transferre; Nam tempus æſtivum aliis negotiis mancipatur. Mitto *Ætitem fœminam*, (uterqve enim in hoc genere lapidum ſexus eſſe putatur,) *marem* nondum nactus ſum. Ætites vero, qvem mitto, prægnans eſt, & parere poſſe putatur, ſi præſto ſit ſexus maſculini alius, an ſit verum hoc, experientiæ relinqvo: id verò mihi conſtat, qvod qvaſi intra viſcera ſua alium contineat lapillum, qvod in concuſſo facile comprehendere licet. Mitto etiam *ſilicem ſmaragdini coloris*, & lapillos duos ſubalbidos: alterum politum, alterum rudem; ex qvorum attritu inter ſe vivida flamma erumpit: Qvod ſi vero qvis ex iis ignem elicere velit, percuſſis chalybe, qvemadmodum ex ſilice fieri ſolet, nihil agit. Præter hæc mitto *Alphabetum Runicum* duplex: ſingulos characteres vulgares literæ in eadem area ſuprascriptæ indicant. * * Holæ 30. Aug. 1626.

CX.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio.

Ratiam habeo maximam, mi *Thorlace*, pro tranſmiſſis lapi-
dibus ad Theſaurum meum rerum naturalium augendum
rimis facientibus. Cæterum, qvem *Ætitis* nomine mittis,
tes non eſt, ſed *fabæ marinæ* genus, qvod pro Ætite à qvibus-
venditari ſæpius audivi; mollior eſt lapide, imo in farinam,
eliqvæ fabæ, redigi poteſt; Penes me ſunt ſiliqvæ, fructibus
e prægnantes. *Silex ſmaragdini coloris* ut rariſſimus ita
iſſimus. Albi iſti etiam apud nos reperiuntur, ſed colore non
ve adeo diluto: ego *Pyrimachos* Ariſtotelis eſſe credo. Ado-
entibus mihi a te commendatis officiis meis non deero, modo
viciſſim, qvod ſuarum eſt partium, faciant; nec in te Magni-
Domino Cancellario commendando, ut hactenus, ita in
erum ſegnis ero. Mitto *Faſtos* meos, qvos promiſi, qvibus
pletandis ſiqvid apud vos occurrat, de eo per occaſionem
e moneas, unice contendo, qvò cura ſecunda auctiores pro-
valeant. *Magno Olai* de *Runica mea literatura* ſcripſi, ut
n & ille conferret ſymbolam. Tu ſciagraphiam præſens vi-
i, & ſi qvando eum conveneris, de ſingulis particularius
lire vales. Si carmine Runico, qvo eum excellere audio,
exornare non gravetur, typis deſcriptum ut præfigatur cu-
. 1627.

CXI.

Ex literis

THORL. SCULONII

ad Ol. Worm.

Ibrum *Eddam* latinitate donatum a Dn. *Magno Olavio* cum
hiſce literis transmitto, ſi forte eum prius inſpicere libeat,
m ad Magnif. Dn. Cancellarium deferatur. Interpres, ut
s, nullam aut exiguam accurationem adhibuit in translatio-
forte materiam multo labore & cura indignam exiſtimans:
erea mendis graphicis procul dubio multis ſcatet; neque

vero auſus ſum tantiſper librum apud me retinere, dum emendatius exſcribetur, & ſicubi opus eſſet corrigeretur. * * * Holæ 26. Aug. 1629.

CXII.

OLAUS WORMIUS
Dn. Thorlaco Sculonio.

MEas ad Te commendatitias pro Schola Holenſi obtinenda petiit *Brunoldus Svenonius*; qvem cum intelligam hic pie & modeſte vixiſſe, & ex literis ad me datis eruditionis haud contemnendæ eſſe videam, ſi ejus haberi poſſet ratio, vellem pondus aliqvod apud te meæ obtinerent, ſuæ tamen diſcretioni ſingula commendans. * * * 1631.

CXIII.
Ex literis
THORLACI SCULONII
ad Ol. Worm.

* * * * * * * * *

B*Riniulfum*, qvem in ſuis commendat Dn. Doctor, ipſe vel in primis promotum velim, qvippe, meo tenui judicio, non modo munere ſcholaſticq dignum, ſed eo, qvod in noſtro ordine cenſetur ſupremum; qvanqvam hoc meum ſuffragium ab importunis qvibusdam hominibus, forte conſangvinitatem, aut alia qvædam hujus vitæ commoda magis, qvam Eccleſiæ ſpectantibus, contemtum eſt: qvod de ipſe forte coram, ſi interrogetur, narrabit. Deus ex ſuo beneplacito diſponit hæc omnia. Certè hunc juvenem nec ebrietatis vitio laborare, nec publico aliqvo ſcandalo Eccleſiam unqvam offendiſſe, nec ſiniſtrè de ullo fidei noſtræ articulo ſentire, comperi. De ſuo electores noſtri viderint. Ego ſane judicarem Scholæ Holenſi optimè conſultum fore, ſi *Briniulfum* illum moderatorem aliqvantiſper haberet, qvod fiet, ſi noſtro *Gyſſurio*, qvi nunc ei præeſt, de alia functione Eccleſiaſtica â Præſide proſpiciatur. Si igitur operam Dn. Docto-

ris

vir *Brinjulfus* imploraverit, ſive de obtinenda ſchola noſtra, ſive præbenda aliqva Eccleſiaſtica, gratiſſimum mihi erit, qvacunqve honeſtâ ratione juvetur. Vale. Scripſi Huuvigæ in Island. Boreali 17 Auguſti 1631.

CXIV.

OLAUS WORMIUS
Thorlaco Sculonio
Salutem, animiqve & corporis ſanitatem perennem.

UTinam, mi *Thorlace*, de valetudine tua meliora hoc anno percipiam qvam præterito; qvantopere enim tui me cura tangat, effari neqveo. Si coram medicam adhibere manum mihi conceſſum eſſet, induſtriam pollicerer amico dignam. *Brynulfum* ſententiam mutaſſe inaudio, & aura noſtrate magis qvàm patriæ delectari, ut hic ſedes potius qvam alibi figere decreverit. Deceſſoris tui res geſtas ab *Arngrimo* ſolenni parentatione conſcriptas & Hamburgi typis expreſſas audio; ſed ejus nondum mihi contigit habere copiam; qvod ſi in poteſtate tua ſit, mittas, rogo. Vehementer enim delector iis, qvæ à Vobis huc deferuntur, præſertim qvæ Hiſtorias & res geſtas Virorum patriæ amantiſſimorumq; illuſtrant. Ego viciſſim ad ea omnia, qvæ tibi grata cognovero, paratiſſimus. *Vocabularium* Lingvæ Veſtræ & (ſi haberi poteſt) antiqviſſimæ unice expeterem; ſi miſeris, pretium ſeqventi anno per Mercatorem reddam, aut ἀντιδώροις rependam. Deus Optimus maximus Te diu ſalvum & incolumem præſtet, Eccleſiæ ſuæ commodo, Tibi tuisqve bono! 1632.

CXV.

Ex literis
THORL. SCULONII
ad Ol. Wormium.

* * * * *
* * * *

DE *Briniulfo*, cui optime cupio, libens audio, qvod favorem Patrum Academicorum nactus, inter vos manere decreverit:

crevecit: Deus reddat Patronis ipſius gratiam. Eſt enim bonus ille juvenis iis ingenii dotibus præditus, qvas ipſe qvi dedit omnino promotas velit. Patria quidem opera ejus indiguiſſet, ſed mavult forte eum ſuo detrimento ea carere, qvam cum ipſius ini commodo uti.

Vitam Rev Patris & deceſſoris mei *Dn. Gudbrandi Thorlacii*, à *Dn. Arngrimo* conſcriptam, cum his meis mitto; miſſurus ſimul *Vocabularium*, de qvo ſcribis, ſi vel habendi vel acqvirendi ejus poteſtas fuiſſet. Ex *Annalibus* noſtris conſtat, ſcholas in Islandia nullas viguiſſe ante annos 82. Et ſi qvis in ea barbarie aliqvem Lingvæ Latinæ guſtum acqviſivit, oportuit ut eum in terris exoticis acqvireret, vel Pariſiis, vel in Germania aut Dania. Et ſi qvid hujusmodi majores noſtri conſcripſerunt, tamen id propter poſteritatis barbaram negligentiam interiit, præſertim cum non eſſet eo tempore typographiæ uſus: qvem *Dn. Gudbrandus* circa annum 1573. primus ad noſtrates invexit. * * *

Holæ in Island. 31. Aug. 1632.

CXVI.

OLAUS WORMIUS

Dn. Thorlaco Sculonio.

Reverende Dn. Epiſcope.

EX literis præterito anno ad me datis te proſpera jam frui valetudine intellexi; qvod ut mihi cognitu gratiſſimum, ita, ut porro in ſui Nominis gloriam, Eccleſiæ emolumentum Deus te qvam diutiſſime conſervet, opto & voveo. *Brinjulfus* noſter, Magiſterii honore apud nos condecoratus, Conrectorem jam agit Roeſchildenſem, ubi, magno juventutis commodo, officio, ut audio, probe defungitur. Utinam Vicario *Arngrimi* noſtri *Illugoni* pariter apud Vos proſpectum eſſet, qvod ei unice in votis eſſe ſcio. Pro tranſmiſſa *Parentatione* ut & *Vocabulario Islandico*, eſt, qvod gratias agam; ſiqvid apud nos ſit, qvo affectum viciſſim declarare valeam, mone, & exſpectationi tuæ ut ſatisfiat, allaborabo. Interim Te, cum univerſa domo & tota familia, Divinæ protectioni commendatum cupio. Vale, Hafniæ 15. Jun. 1633.

CXVII.

CXVII.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio, Epiſcopo Holenſi.

PErcepi à tuo olim domeſtico, Epiſcope vigilantiſſime, Te *Gloſſarium* qvoddam priſcarum & difficiliorum vocum Veſtræ Lingvæ, à qvodam *Biornone Jona* concinnatum, poſſidere; Cum vero me hujus lingvæ ſtudioſiſſimum eſſe ſcias, omniaqve undecunqve conqvirere adjumenta, qvæ in penitiorem ejus deducere valent cognitionem, amicè rogo, ejus me participem facere ut haud graveris. Si tribus aut qvatuor alumnis tuis deſcribendum tradatur, brevi integrum abſolvent. Non enim cupio, ut te ipſum autographo ſpolies; modo ejus mittatur exemplum, mihi abunde ſatis ſit. Non dubito, qvin hac in parte amico ſis gratificaturus, &, ſi qvæ præterea, huc ſpectantia habeas, adjuncturus, cum de prolixo tuo in me affectu abunde conſtet, & me viciſſim ad qvævis honoris & amoris munia habiturus ſis paratiſſimum. Vale, amice honorande, & Wormium tuum amare perge. Hafniæ 1635.

CXVIII.

THORLACUS SCULONIUS,

D. Olao Wormio.

CLariſſime & excellentiſſime Domine Doctor, Præceptor honorande. Doleo literas meas, cum faſciculo chartaceo, qvæ duo ſuperiore anno ad te miſeram non eſſe reddita. In faſciculo continebatur, præter alia, libellus *Etymologicus lingvæ noſtræ Islandicæ*, ſolertiſſime à *Biornone* qvodam elaboratus: &, qvod me maxime pœnitet, erat auctoris ipſius autographum; tempus enim ad exſcribendum aliud exemplar, propter diverſa negotia, qvæ eo præſertim anni tempore nos urgent, non ſuppetebat. Nunc autem & literas, & chartas illas naufragio periiſſe intelligo; atqve nunc nulla ejusmodi monumenta in mea amplius ſunt poteſtate. Qvin & noſter *Dn. Magnus Olavius*, antiqvitatum indagator acutiſſimus, Deo & naturæ conceſſit, multo ſui apud me & alios viros bonos deſiderio relicto. Sit ipſius

 memoria

memoria in benedictione! Ego ſi qvid novi ab amico *Biornoni* ventura hyeme expiſcari poſſum, faciam ſedulo: audio enim eum manuſcriptum vetus nuper adeptum eſſe: Monumentum nempe hiſtoricum *Hugonis* cujusdam, qvondam apud nos Legum Moderatoris, Viri certè inſignis &, ut audio, non aſpernandæ eruditionis. * * * Holæ d. 3 Sept. An. 1636.

CXIX.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio, Epiſcopo Holenſi.

AFfectum ut teſter, *Exercitationem* mitto, qvam nuper *de conſervanda valetudine* publicæ expoſui ventilationi. Velim, ex ea fructus aliqvis ad te redundet. Ei annexum vides de *Unicornu* corollarium, qvo mentem meam de hoc eſſe ex iis, qvæ per amicos videre datum, declaro, vulgi errores & mendacia deteſtans. Siqvid huic illuſtrando habeas, boni publici ergo communices, rogo. Cranium cum dente apud Magnificum noſtrum vidi Cancellarium, & alias pluribus, Deo volente, delineabo. Qvia haud raro ad vos defertur hæc bellua, ejus integram delineationem maximopere expeterem. Dentem, qvia tanti vulgo fit, non cupio, ſed partes alias corporis, corium, pinnas, caudam aut tale qvid haberi ſi poſſit, procura qvæſo, animus enim eſt in eo accurate delineando laborare. *Hugonis* promiſſam *Hiſtoriam* exſpecto. *Svenoni* noſtro, juveni ingenuo & modeſto, qvi meis conatibus etiam bene cupit, fave qvæſo. Eccleſiæ & Scholis utile organum futurum plane confido. De lautiuſcula proſpectum cuperem conditione, ut ejus opera, ut hactenus, ita porro, in antiqvitatibus eruendis commodius uti poſſemus. Vale. 9. Maji 1638.

CXX.

THORL. SCULONIUS

D. Olao Wormio.

* * * * * * * * *

SEntentiam veſtram de *Unicornu* & *dente* noſtratis *belluæ marinæ*, ut veritati & experientiæ proximam, non poſſum non approbare;

probare: qvamqvam qvid eſt, qvod approbem, homo illiteratus & nullius vel experientiæ vel ingenii. Non eſt illa marina bellua ad littora Inſulæ borealia, qvod ſciam, appulſa, abhinc annis ſex vel ſeptem: ſed fragmentum qvoddam dentis, à viro bono mihi communicatum, tibi transmitto; qvod tamen absqve injuria ſummi Magiſtratus fieri velim: Ego certè neqve pro theſauro habeo, neqve pro tali vendito. Pinnas, corium, caudam, aut tale qvid, qvia acqviri neqveunt, mittere qvoqve non poſſum. Delineationem jam dudum miſi Magnif. Domino Cancellario, miſſurus iterum, ſi illam periiſſe intellexero. *Hugonis Hiſtoriam*, qvæ tamen nihil præter Genealogias & primitus ab eponymis occupatas in Islandia ſedes continet, *Dn. Arngrimus Jonas* latinam fecit; ſcripſi ei ut mitteret; facturum puto. *Biorno* ille, in noſtris monumentis Polyhiſtor, voti ſui reus, multum poſſet, qvod Rev. & Clariſſ. *Briniolfus*, Eccleſiar. auſtralium electus Superintendens coram edocebit. *Svenoni* noſtro qvamvis optimè cupiam, juveni qvippe ingenuo, candido & literato, tamen res ſe non ita dant, ut eò promotionis, qvo cupit, hoc anno aſcendat: facturus tamen ſum, ut futuro anno, ſi deceſſori aliqva aperiatur conditionis melioris via, nullus mihi eo ſit potior. Bene vale, Vir Clariſſ. & excellentiſſime, & favoris tui, qvemadmodum hactenus feciſti, participem me porrò facito. Holæ d. 9. Sept. 1638.

CXXI.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio.

Holam.

PRo transmiſſo munere gratias ago ingentes, & qvia cranii ſceleton ejus animalis apud Magnif. Dominum Cancellarium vidi, errores vulgi de hoc dente non potui non notare; ſed animus eſt, data occaſione, magis particularia propalare, ſi modo ab iis juvari poſſem, qvibus animalis hujus conſtitutio melius eſt perſpecta. A Magnifico Cancellario à Te communicatam delineationem petii; ſed invenire non potuit. Si igitur denuo mihi miſeris, rem feceris gratiſſimam. Bene facis, *Svenoni* noſtro qvod faveas. Juvenis certè, ſi qvis alius, tuo dignus favore; ejus fructum aliqvem ut ſentiat, effecturum Te confido. Vale, & ex animi ſententia vive, Amice dilecte, 20. Jun. 1639.

CXXII.

THORL. SCULONIUS

D. Olao Wormio.

* * * * * * * *

De bellua illa marina, qvia mihi vix conſtat, parcius reſpondeo; figura verò ejus iterum delineata mittitur, ſed ruditer, ut vides. Dente nullo, præter unicum illum inſignem & conſpicuum, armata fuit; branchias nullas, ſed branchiarum loco oſſa carne & pelle mollicula obducta habuit; locus reſpirationis ſupra pulmones erat, poſt occipitium, ut in figura delineatum vides. Niſi me memoria fallit, Bellua illa ut plurimum ad viginti aut triginta ulnas Islandicas altitudine exſurgit. *Dn. Svenonem* qvò promoverim, ex ipſius, ut ſpero, literis cognoſces: feci, qvod Deo propitio & ſalvâ conſcientiâ potui; ille bonus juvenis ſpartam ſuam egregie ornat.

Dolendum, Vir excellentiſſime, judicas, ne unum qvidem apud vos nunc eſſe noſtratem, literis humanioribus deditum; & nos dolemus & deploramus, eò rem noſtram, non dico à Societate illa Islandica, deductam eſſe, ut ad ſummas anguſtias redacti, vix in Patria vivere, nedum Studioſos in Dania ſuſtentare valeamus: cui qverelæ nec pauca verba, nec paucæ ſufficiunt lacrymæ. Sed hæc miſſa ſunto.

Meus ex ſorore nepos *Einarus Magni fil.* Academiam veſtram ſalutaturus abit; eum ut favore tuo & patrocinio dignum judices, tam volo, qvam qvod maxime; nec te facturum diffido. Eſt, qvantum intelligere potui, ingenuus, & ad bonas literas & pietatem propenſus: habebis igitur eum, qvo me qvondam loco habuiſti.

Eſt, qvod me valde angit, cujus rei conſcium facere Dn. Præceptorem volui: Annum jam ſecundum chartam, editioni Biblicæ deſtinatam, fruſtra exſpecto, non ſine inſigni liberorum meorum jactura, ſi interea temporis re ſemi confectâ emoriar. Utinam libera nobis eſſent cum qvavis gente, uti qvondam fuêre, commercia; haberem jam ex Anglia invectam. Sed cum ſit illud Regia authoritate negatum, orandus mihi es, ut apud Illuſtrem & Generoſiſſimum Dn. Cancellarium hujus meæ neceſſitatis memineris. Mitto *Hiſtoriam aliqvot Regum Danorum*, idio-

mate

e Norvegico conſignatam. Mitto qvoqve maſſulas duas, teriæ, ut puto, metallicæ, in monte qvodam ex terra argilloſa tas, ubi non exigua copia inveniri audio. Vale, Præceptor noſande, fautorum optime &c. Holæ d. 7. Sept. 1639.

CXXIII.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio.

lem.

MAgno me beaſti beneficio, Reverende Domine Epiſcope, qvod belluæ iſtius è balenarum genere, cujus dentem pro nocerote venditant, accuratiorem transmiſeris delineatio n, ut & dentis ipſius partem eximiam. Cum enim in aliqvalem poſturæ inveteratæ pervenerim notitiam, pro eo, qvo feror terum naturalium inqviſitionem ardore, non potui acqvieſce- , anteqvam penitus in hujus rei devenirem veritatem, ſuo for tempore pluribus propalandam. Si aliud referre neqveam, ta tamen apud poſteros vel hoc nomine tui ut extet memoria, ciam. Nepoti tuo ex ſorore, juveni ingenuo, modeſto & igenti, qvacunqve poſſim ratione, conſiliis & auxiliis adjutum ; meretur certè hoc ejus modeſtia, & ad honeſta qvævis pro- iſus animus. Obiit, proh dolor! hoc anno Cancellarius no- r, piæ memoriæ, qvi in noſtra vota hactenus fuit facilis & clivis. Qvæ igitur apud ipſum expedita volui veſtro nomine, a de charta qvam Studioſorum Islandorum raritate, aſperior tuna ſubvertit. Spem tamen foveo magnam, Succeſſorem s, *Dn. Chriſtianum Thomæum*, Virum in Academiam & Li- atos qvosvis eximie pronum, Deceſſoris veſtigiis inſtiturum, qve favore veſtram gentem proſecuturum, in qvo procuran- per occaſionem deſudabo. Qvod miſiſti minerale, *Marcaſita* ſeu *pyrites ſterilis*, nihil metalli in ſe continens; interim, ubi ia reperiuntur, de Ære ſpem concipiunt metallorum coctores. ibo hæc ægra ferme manu, ex maligna febri nuper Dei be- nitate eluctatus, & in filiæ meæ nuptiis adornandis totus occu- us. Vale, Vir amiciſſime, & vige. Hafn. 25. Junii 1640.

CXXIV.

CXXIV.

OLAUS WORMIUS

Rev. Viro Thorlaco Sculonio, Epiſc. Holenſi.

COmmendatum mihi abs te *Thorſtanum Illugi* qvibus poſſim modis ad meliora manu ducam, inqve me nihil deſiderari ſinam, qvod ejus commoda augere poſſit. Ad Academiam neminem veſtratium admiſſum fuiſſe memini, ſine teſtimonio, excepto unico qvodam, *Beza* nomine, qvem cum admittere noluimus, fidem ſuam pro eo interpoſuit mercator noſter *Matthias Johannis Husvig*, aſſerens proxima commoditate ſe teſtimonium ei honeſtum procuraturum. Igitur fidem habentes, pro eo qvo gentem veſtram proſeqvimur favore, ne errabundus aut deſperatus hic vagaretur, hominem admiſimus. Aſt anno ſeqventi, teſtimonium ubi protulit, vidimus nos deluſos. Qvid ageremus? cum hic honeſte ſe gereret, toleravimus: *turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.* An ad frugem ſit perventurus, tempus dabit. Nos poſthac erimus cautiores. Si tibi exemplum ſit Vocabularii, qvo in ſcholis apud vos utuntur pueri, rogo communices. Meorum *Monumentorum* nuperè hic publicatorum mitto exemplum; boni conſulas rogo, & veteris amicitiæ memoriam tibi ſinas eſſe perennem. Hafn. d. 14. Junii 1643.

CXXV.

THORL. SCULONIUS

D. Olao Wormio.

*** *** ***

BIblia noſtra typographus, propter varia obſtacula, nondum abſolvit, ventura hyeme, cum bono Deo, tandem abſolvenda. Ventum jam eſt ad Epiſtolam D. Pauli ad Epheſios, hæc ſupereſt, ex mea ſupputatione, niſi opus ſeſqvimenſis ad complendam editionem. Partem priorem anno proximè elapſo miſiſſem, niſi opus ſculptile ad paginam primam exornandam deſideratum eſſet. Prius enim illud in exemplari *Dno. Svenoni* communicato expreſſum, propter vetuſtatem exauctorandum putavi. Qvod hac æſtate nactus ſum, multo eſt ſubtilius in ſtanno

ſculptum,

ſculptum, cum prius illud ligno inciſum eſſet. Ad noſtrum *Dn. Svenonem* qvod attinet, qvamvis ei, uti debeo, optimè cupiam, nulla tamen ad lautiorem functionem, uti nunc res ſunt, provehendi via apparet. Præbendas, ut vocant, Eccleſiaſticas Magiſtratus noſter politicus, qvibus vult, confert pro jure & auctoritate ſua; Qvocirca in manu mea promovendi aliqvem facultas nulla eſt. Munus ſcholaſticum excipio; qvod tamen non vacat, & ſi vacaret, propter commendationem Magnif. D. Cancellarii *Runolpho* cuidam deſtinatur. Operæ igitur pretium fecerit Dn. Præceptor, ſi latâ commoditate communem noſtrum amicum apud Magnif. Cancellarium juverit. Ego, ſi qvid apud Præſidem noſtrum poſſim, cauſæ ejus, modò vivam, non deero.

Monumentorum Danicorum Volumen, dono abs te mihi miſſum, gratô animo accepi, &, ut natura hominum eſt novitatis avida, avidè legi, opus, tum qvod lectu jucundiſſimum, tum qvod abs te profectum, acceptiſſimum. Lexicis Latino-Islandicis manu ſcriptis in ſchola noſtra vulgo utuntur, iisqve valde mendoſè exaratis, uti apud orthographiæ parum peritos evenire ſolet. Subpudet igitur eorum exemplar, etſi comparari poſſet, mittere. Mitto autem *Vocabularium*, typis noſtris impreſſum; ſed neqve id qvidem à mendis typographicis immune. Boni conſule, Vir Clariſſ. hanc ſub manu natam epiſtolam, &, ut ſoles, animum qvam verba ſcribentis pluris æſtima. Vale, Holæ 29. Aug. 1643.

CXXVI.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Skulonio, Epiſc. Holenſ.

DOleo valetudine adeo infirma Te conflictari; qvantum ex literis colligo, morbus ille πολύμορφος ſcorbutus eſt, qvi Te infeſtat, accolis maris valde familiaris. Huic maxime reſiſtunt exercitia freqventia; diætæ ratio ad ſiccitatem tendens; ſinapios uſus, radix raphani agreſtis, noſtratibus Peberrod dicta, cibis incocta, qvæ ſponte qvibusdam in locis provenire ſolet; inprimis planta cochlearia, Norvagis Eriſgræs, qvæ in maritimis provenire ſolet ſatis magna copia, antidotum hujus

luis

His efficaciſſimum. Hujus expreſſus ſuccus aut folia ipſa comeſta (acria aliqvantulum ſunt) ter vel qvater ſingulis diebus valde proſunt. Hæc refero, qvia talia apud Vos reperiri arbitror. Pauca qvædam mitto medicamenta compoſita, qvibus ſi opportune uſus fueris, non dubito, qvin valetudini tuæ multum ſint commodatura. Primo, 6. Doſes pulveris purgantis hic habes, qvarum unam, qvæ peculiari incluſa eſt chartæ, ſumas hora 6. matutina in hauſtulo vini aut cereviſiæ calidæ, ab aëre ſecluſus, & ad meridiem usqve ab omni cibo & potu abſtinendo. Plures mitto doſes, ut crebrius utaris, menſibus nempe ſingulis, Luna decreſcente, & ſi prima doſis exſpectationi non reſponderit, pro lubitu reliqvas augere aut diminuere vales. Deniqve linimentum hic vides, cui intinges penicillum, ex lino carpto confectum, & aliqvoties ſingulis diebus vacillantes dentes diligenter fricabis: firmabit eos hoc & integritati reſtituet. Vale. Haſn. 20. Jun. 1644.

CXXVII.

Ex literis

THORL. SCULONII

ad Ol. Worm.

MItto tibi tandem *Biblia* noſtra, typis Holenſibus excuſa, cum mercatore noſtro Hermanno Willer; elapſâ hyeme laborem illum abſolvimus. * * * Holæ d. 2. Sept. 1644.

CXXVIII.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio, Epiſcopi Holenſi.

REdiit tandem ad nos menſe Julio hujus anni Mercator veſter *Hermannus Willer*, qvem plane perditum exiſtimaveramus, ſed nil niſi nudas tuas attulit literas. Aſſerit, omnia naufragio periiſſe, ſe verò enataſſe, & in Islandia hybernaſſe: unde valde doleo, me Bibliorum Islandicorum ut & aliorum, qvæ huc deſtinavi, deſtitui munere. Pro voluntate igitur gratias ago maximas, qvam factum non deſtituit, licèt iniqvior ſors

mihi

hanc inviderit felicitatem. De Bibliis veſtris valde ſum ...itus; ſed non tranſmittes, niſi una valorem indicaveris, ...tiam, qvid reddam ſeqventi anno: ſi Deus vitam & vale... ...em largitus fuerit. De pace ſpes affulget optima, ut ſpero, intra paucos dies conficiendam: Deus votis noſtris clemen... ...nuat, ac Te diutiſſime ſoſpitem & incolumem ſervet. Hafn. ...ul. 1645.

CXXIX.

Ex literis

THORL. SCULONII

ad Ol. Worm.

...emplar *Bibliorum* noſtrorum iterato mitto; melioribus, ...ti opto & ſpero, qvam prius illud, ad vos transvehendum ...is? Cæterum, qvod pretium indicari reqviris, nihil eſt, ... niſi ingratiſſimus exiſterem, pluris mihi eſſe deberet tot ...taqve & tam diuturna in me beneficia, qvam hoc munu...m: qvod qvanto placidius & abſqve recuſatione acceperis, ...rem gratiorem mihi præſtiteris. Mitto itidem calceum ...s alicujus, nobis vicinæ, in litora noſtra borealia à vento ...ſtibus ejectum. Contextus eſt, ut vides, ex cortice be..., non ſine artificio; ſicut gens qvælibet artificem alit, & ...entia artium inventrix. Si noſtratibus tanta Betulæ co...ſticeret, qvanta nationi illi, forſaſſis & nos cum illis u... ...r, de neceſſitate magis, qvam de cultu corporis ſolliciti ... Holæ III. Id. Octobr. 1645.

CXXX.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio, Epiſcopo Islandiæ Borealis.

...eo, ſperatum à tranſmiſſis te non percepiſſe effectum; ...longæ viarum ambages, temporis calidioris intemperies & ...diuturnior multum medicamentorum viribus detrahunt. ...men ſit, qvo vel diæta vel plantarum apud Vos creſcentium ...icio valetudini, qvantum liceat, proſpicias, mitto de

Scorbuto

Scorbuto Tractatum Danicum, qvem nomine Facultatis Medicæ juſſu Regio hic edidi, vulgo ut conſulatur; utinam ex eo aliqvid capias levaminis. *Pro transmiſſis* iterato *Bibliis* eſt, qvod gratias agam maximas; pretium lubentiſſime ſolviſſem, ſi indicaſſes. Redit ad Vos elegans Juvenis *Gislaus Magni*, variarum curioſarum cognitione inſtructus. De qvibusdam mecum cum diſſereret, videbatur mihi Patriæ veſtræ commodum & emolumentum ſpectare. Honeſtos ejus conatus ſi conſilio & ope juveris, rem procul dubio præſtiteris vobis omnibus utilem & ipſi gratam. Ornamentum haud leve meo muſeo attulit calceus ex Betulæ cortice elaboratus; rariſſimus certe, & ob artificii raritatem commendandus; ſi prius ad me delatus fuiſſet, *Catalogo*, qvem mitto, inſeruiſſem, ſed editioni novæ reſervabo. Extabit interim inter reliqva tuæ in me benevolentiæ monumenta. Qvod ſupereſt, Divinæ protectioni Te totamqve familiam commendo, ut ſalvus & incolumis diu ſuperſis, Eccleſiæ Borealis commodo, multorum ſaluti, de meo affectu, qvoad vixero, ſecurus. Vale. Hafniæ. Menſ. Junii 1646.

CXXXI.

THORL. SCULONIUS

ad Ol. Worm.

* * * * * * * * *

Sicut Africa ſemper aliqvid novi, ex proverbio, ita Islandia noſtra contra nihil. Acqvieſcimus pauperculis conditionibus, qvas pax aurea, & adhuc auguſtius Verbum Dei, tanqvam optimum qvoddam condimentum, ſvaviores & ſapidiores nobis faciunt. Gratum tibi fuiſſe munuſculum meum chartaceum, lætus libensqve audio: ſi qva in re tenuitas mea porro tibi inſervire poſſit, age, mone, jube, poſtula. Totum me tibi jamdudum debeo, & debere agnoſco.

Qvod noſter *Gyslavus Magni*, juvenis ad optima qvæqve natus, favorem tuum & commendationem meruit, tam mihi gratum accidit, ac ſi proprio filio contigiſſet. Certè is mihi ſemper talis viſus eſt, qvalem ſe nunc revera oſtendit, id eſt, virorum præclarorum & optimorum favore digniſſimus. Et cum ſemper mihi fuerit ipſe commendabilis, tuæ tamen, (ſi

qvid

qvid ad affectum meum erga ipſum accedere poteſt) magis commendatum facient. * * * Holæ 26. Aug. 1646.

CXXXII.
THORLACUS SCULONIUS
D. Olao Wormio.

* * *

MOrbo hic graſſante epidemico exſtinctum eſt lumen Islandiæ noſtræ Rev. & Clariſſ. *Dn. Arngrimus Jonas*, cui ſimilem an hæc Inſula unqvam viſura poſtmodum ſit, incertum eſt. - - Mentionem facit Dn. D. poſtulati Collegæ mei *M. Briniulfi*, privilegia petentis & facultatem erigendi typographiam in ſua Diœceſi; qvod certe absqve meo magno damno obtinere non poteſt. Exiguus enim in hac Republica eſt civium numerus, minor atqve rarior eorum, qvi excuſa typis noſtris expetant, partim paupertate, partim etiam incuria & contemtu hujusmodi mercium impediente. Unde, ſi mihi tres qvadrantes Inſulæ ſurripiantur, qvi pertinent ad *M. Briniulfi* Diœceſin, unô tantum relicto, non video cur ceſſem officinam hanc typographicam, qvæ nunc usqve ad annum ſeptuageſimum feliciter patuit, occludere. Sed obſtat Collegæ mei votis privilegium Regium, qvo mihi indulgetur poteſtas & jus typographia hac utendi eadem conditione, atqve deceſſor meus uſus fuerat; is autem nullum competitorem paſſus erat. Qvoniam igitur Cathedralis hæc Eccleſia in ejusmodi privilegio prior fuit tempore, qvidni etiam potior ſit jure? Cui cauſæ ut patrocinetur Dn. D. apud ſummum Magiſtratum, etiam atqve etiam precor.

In glacie Grönlandica, qvæ præterita hyeme ad oram Inſulæ noſtræ Borealem appulit, reperta eſt bellua, qvindecim ulnas Islandicas longa, ex genere Cetorum, dente unico tantum, eoqve portentoſæ longitudinis armata; extendit enim ſeſe ad tres ulnas Islandicas, & paulló amplius, fortè ad qvadrantem ulnæ, niſi mucro dentis effractus inventus eſſet. Hunc ergo ad Sereniſſ. Regem noſtrum tranſmitto, reddendum â Præfecto Inſulæ *Jano Severino*. Caput belluæ, ſeu potius Cranium, (carnem enim jam computruiſſe exiſtimo,) cum particula cutis & lardi reſervanda curavi, ſi fortè Dn. D. ea videre futuro anno deſideret. Vale Vir Clariſſ. Holæ d. 10. Sept. 1648.

H CXXXIII.

CXXXIII.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio, Epiſcopo Holenſi.

OBitum Clariſſimi *Arngrimi* ſerio doleo; vir enim fuit mihi amiciſſimus, ita Patriæ ſuæ decus eximium. Vid & orphanis bene cupio; qvocirca, qvo poteris modo, conſi & auxilio juva. Novum Præfectum Inſulæ veſtræ ſollicitavi nomine; mihi optima qvæqve promiſit. Typographiam, qv Collega tuus expetit, obtinuit, ſed certis limitatam modis, ſc. nihil typis ſuis exſcribat, qvod è tua antea prodierit offici & in Hiſtoricis & Antiqvitatibus potiſſimum occupetur, ex q bus Tibi nihil accedit detrimenti. Venit ad vos eruditus *Gabriel Akeleje*, Nobilis, & Secretarius Regius, qvi rem omn moderabitur, & ſi obſervaverit, Tibi aliqvid ex hac conceſſio accidere detrimenti, literas Regias reportabit; ſic enim m promiſit Cancellarius. Cum ego igitur hac de re mature ag ſvadeo. Qvæ reſervaſti ex Balena *Nahual*, cranium, cutis pa culam & lardum, mihi promiſſa, rogo, tonnæ aut ciſtæ incl mihi tranſmittas, & ſi fieri ullo modo poteſt, cum nave, q *Janum Severini* vehat, ipſi tradantur, ſed ita ut neſciat, q habeat. Huic enim merci Præfectum novum inſidiaturum ſc qvi in mandatis habet, ut, ſi fieri poſſit, integram belluam aſp tet. *Villerius* & reliqvi mercatores tardius ad nos accedunt, qvia per hyemem qvandoqve Gluckſtadii commorantur, q huc aſportare debent, corrumpuntur, anteqvam ad nos perv niant. Rogo Te, diligenter hæc cures; inſigni enim ejus tene deſiderio. Haud bene curarunt Mercatores dentem, qvem R miſiſti; ſi ad me aut alios miſiſſes, majori tuo cum fructu factum fuiſſet. Obiit nuper apud nos *Jonas Weſtmannus*, certe, cujus obitum ægrè admodum ferunt tam magnates, qv alii. Caſum Tibi referent fuſiori dictione alii. Vale, & prom ſum diligenter ut curetur, effice; mea Tibi viciſſim patebu officia. Hafn. Menſ. Majo 1649.

CXXXIV.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio.

lam.

Vamvis de rebus familiaribus præterito vere ad Te literas dederim, ad qvas reſponſum exſpecto, non potui tamen, i jam qvoqve petenti *Arngrimi* noſtri filio *Torchillo* gratifica- atqve haſce Tibi tradendas committerem, qvibus hoc ago, nuo huic juveni ut faveas, tam ob Parentis merita, qvam ob n ingenuitatem. Vixit enim apud nos pie, ſobrie & honeſte, bis aliqvoties conflictatus, qvi impedierunt, qvò minus, ut iebat, optatum ſcopum attingeret. E re ſua & valetudine timabat, ſi in patriam mature rediret. Nolui ergo cona- s reſiſtere, ſed bona cum venia dimiſi, & Tibi aliisqve bo- le nota meliori commendatum cupio. Qvocirca, ut ſoles, niis honeſtis fave, huic verò ope & auxilio ſis præſto; mu- n à me ſemper exſpectabis. Haſn. 16. Junii, 1649.

CXXXV.

THORLACUS SCULONIUS

D. Olao Wormio.

* * * * * * * * *

Oſt diu exſpectatam & deſideratam occaſionem, mitto jam tandem in Academiam veſtram Haſnienſem filium meum a maximum, *Giſlaum Thorlacium,* nihil magis in votis ha- s, qvàm ut hoc agat, cujus gratia mittitur: nempe ut pieta- fundamento ſemper innixus, doctior ſubinde atqve melior dat. Studiorum enim gratiâ ad vos proficiſcitur, annum natus decimum octavum: Cumqve nobiliſſimo Præfecto ilæ noſtræ *Dn. Henrico Bielke* abit, Præceptoris ſui *Dn. Ru- ohi Jonæ,* ſcholæ hujus Rectoris, Viri optimi & literatiſſimi, ſilio & auxilio in ſtudiorum ſuorum primordio uſurus.

Cranium Belluæ marinæ, de qvo ſcribis, Præfectus In- e noſtræ reqviſivit; nec auſus ſum reqvirenti obſiſtere aut egare.

Non poſſum ſatis mirari, cur Collega meus Dn. *M. Brynulfus Svenonius* tam anxiè & impenſè ſummum Magiſtratum ſollicitet de uſu Typographiæ in Diœceſi Skalholtenſi inſtituendo & inchoando: cum ſatis noverit hoc ſine meo detrimento fieri non poſſe. Qvod enim prætendit ſe tantum hiſtorica qvædam monumenta aut annales gentis noſtræ ex illa officina emiſſurum, qvis credat, Virum tam prudentem & conſideratum, tantillæ rei gratia, immenſos ferè ſumptus, qvales ad excitandam officinam typographicam reqviruntur, facturum eſſe, niſi in jus & privilegia mea paullatim eſſet irrepturus? Majore certe commoditate ego ea, qvæ typis committi vult, & qvæ mihi communicaret, antiqvitatis monumenta excudenda curarem. Idqve tum absqve utriusqve noſtrum damno, tum veſtrâ, qvi eadem expetitis, pari cum gratia. Bene Vale, Vir Clariſſ. & Excellentiſſime, & favoris tui, qvo huc usqve uſus ſum, germanum hunc filiolum hæredem eſſe ſinito. Holæ 9. Iul. 1649.

CXXXVI.

THORLACUS SCULONIUS
D. Olao Wormio.

QVanqvam vix eſt, qvod ad te in præſentia ſcribam, Vir Clariſſ. & Excell Præceptor honorande, præſertim cum eo jam officio defunctus videar; datis nempe ad te hac æſtate, una cum Præſide noſtro, ſtrenuiſſimo *Bielkiô*, literis; nolo tamen ut vel cum mercatore meo alteras fruſtra exſpectes. Ad poſteriores tuas, qvæ commendatitiæ ad me venerunt cum noſtro *Thorkillo Arngrimi f.* hoc, quod debeo, reſpondeo, ſemper me plurimi facturum qvod reqviris, multumqve apud me auctoritatem tuam, donec vivam, valituram eſſe. Deſtinavi igitur eum ſcholæ noſtræ Collegam, ne matri viduæ gravis eſſet, ac præterea parenti ejus, qvantum potui, prodeſſe qvam obeſſe malui, idqve tanto libentius, qvanto mihi eam fidelius & ſollicitè magis commendaſti. Qvo in loco res noſtræ ſint, qvi à nobis ad vos tranſierunt noſtrates clarius & fuſius narrabunt. Superioris anni afflictam annonam laxior hujus æſtatis proventus terra mariqve reſarcivit. Noſtrum eſt, cum affligimur, Dei juſtum judicium agnoſcere; &, cum ab afflictione relevamur, ejusdem cle-

mentiam & longanimitatem adorare. Vale, Vir Clariſſ. & Excell. &, qvod ultrò facis, filio meo *Gislao Thorlacio* favoris tui auram, qva huc usqve ipſe uſus fui, fac ne deneges. Velim ut ea ſe dignum qvoqvo modo exhibeat. Scr. Holæ in Iſlandia Boreali d. 10. Sept. 1649.

CXXXVII.

OLAUS WORMIUS

Thorlaco Sculonio.

Holam,

BInas â Te anno præterito accepi literas, in qvibus filium ad nos venientem commendas, juvenem certe, ex cujus facie modeſtia elucet & indolis eximiæ gratia; gratulor Tibi de hac prole, & ut votis tuis reſpondeat, opto. In me certe nihil patiar deſiderari, qvod ad ejus conatus promovendos tendere poſſit; jubet enim hoc amica noſtra familiaritas, qva tot annis devincti fuimus, & me ob tot â Te accepta beneficia Tibi multis modis obſtrictum fateor. Cranium illud belluæ marinæ Regiæ Majeſtati obtulit Dominus *Bielkius*, qvæ mihi illud dono miſit, una cum Ephippio Epiſcopali, arte haud rudi elaborato. Doleo, oſſa tam male habita ab iis, qvi dentem eruerunt. Privatum qvoqve eſt maxilla inferiore, qvam adfuiſſe mihi narrat *Dn. Runolphus*; ſi ibidem relicta adhuc eſt, rogo, ad me ut deferatur, cures; multum enim faceret ad Hiſtoriæ ejus, qvam meditor, ornatum. Qvæ Tibi cum Collega de typographia lis eſt, procul dubio jam ſedabitur; Magiſtratui enim ſummo ſtat ſententia, huc ut vocetur Dominus *Brynolphus*, qvo noſtris typis & noſtris conſiliis in publicandis ſcriptis commodius uti poſſit, conditione certe, ut arbitror, liberali. Sed de omnibus coram pluribus aget Præſes veſter. Non dubitabis, qvin, qvibuscunqve poſſim modis, filii tui ſtudia & commoda ſim procuraturus. Per menſem & ultra adverſa conflictatus ſum valetudine, qvæ adhuc vires penitus non remiſit, ſed climacterico meo magno haud proſpera ſatis minatur; Divinæ voluntati omnia committo. Vale. Calend. Maji, 1650.

CXXXVIII.

OLAUS WORMIUS.

Domino Thorlaco Sculonio, Epiſcopo Islandiæ Septentrionalis.

GAudeo, Te, Vir Clariſſime, valetudine adhuc frui commo-
da. Ego anno hoc meo climacterico magno variis dilania-
tus ferme fui morbis & incommodis, ex qvibus utcunqve elucta-
tus, jam non poſſum, qvin de firmiore valetudine Te inter ami-
cos non ultimum certiorem reddam. Filius tuus apud nos ſtre-
nue in bonarum diſciplinarum palæſtra pergit. Cum filio me
Wilhelmo Philoſophiam ferme totam diſputando in Collegi
privato hoc anno abſolvit. Spero inter eos hoc pacto amicitia
eam pullulaturam, qvæ non cedet ei, qva parentes hactenu
fuerunt devincti. Sincerè dico; juvenis eſt pius, modeſtus &
alienus à qvorundam Islandorum moribus, ut non dubites, qvi
Tibi gaudio & honori ſit futurus. Cranium illud, qvod mih
deſtinaſti, à Majeſtate Regia dono obtinui; pro vertebris verò
qvæ rariores ſunt, gratias Tibi habeo. Dominus *M. Runolphu*
mihi diverſam propoſuit hujus belluæ delineationem ab ea
qvam mihi olim communicaſti; ait, in dorſo duo grandia ha
bere tubera, qvibus caret icon transmiſſa. Qvæſo, fac, certius qvi
reſciſcam de totius corporis conformatione. Piſcatores, qv
capturæ interfuerunt, & cetum tractarunt, facile cuncta linea
menta dabunt. Meminiſti, qvæ olim inter nos acta de Naviga
tione Grönlandica. Diſcurſus noſtros non ita pridem Magnat
bus qvibusdam apud nos retuli, qvi ſperabant, ſe apud Rege
aliqvid effecturos in hoc negotio. Qvod ſi ſtet animus aliqvi
experiri, aut media jam ſcias, qvibus obtineri ſcopus poſſit, r
go, communices. In Divini Nominis gloriam tendit miſer
iſtis in negotio religionis ſuccurrere, & viam ſalutis monſtrar
Si Te præſtiteris Apoſtolum conſilio & re, ego hic allaborab
ut eorum ſalus æterna qvàm maxime qværatur. Vale, & di
vive Eccleſiæ bono, 1651.

CXXXIX.

OLAUS WORMIUS

Dom. Thorlaco Sculonio, Epiſcopi Holenſi.

FIlium tuum reditum ad vos molientem ſine meis ad Te dimittere non potui. Spero, Te agniturum, in literis & moribus ita eum profeciſſe, ut qvavis functione optima dignus habeatur. Vere teſtor, modeſtia, probitate & induſtria omnes, qvotqvot hic ſunt, Islandos eum ſuperaſſe, qvocirca Tibi gratulor, atqve ipſi proſpera & felicia qvævis precor. Ego *Wilhelmum* meum cum Legatis noſtris in Angliam ablegavi, rediturum cum iis circa brumam. Non dubito, qvin initam cum filio tuo amicitiam conſtanter ſit in poſterum conſervaturus. De negotio Grônlandico tuam exſpecto mentem. Hoc anno duas naves eo ablegarunt mercatores noſtri, qvo ſucceſſu, videbimus; non dubito, qvin, ſi Tecum hac de re antea contuliſſent, rebus ſuis optime proſpexiſſent. Carent hominibus peritis & ad hanc navigationem aptis, licèt Navarcha multis tam in Indiam orientalem qvam occidentalem obitis peregrinationibus clarus ſit. Juva conſiliis, qvantum potes, ut Dei gloria & multorum ſalus iis in locis certius propagetur; res enim eſt tua cura & induſtria digniſſima. Vale. Hafn. 12. Maji, 1652.

CXL.

OLAUS WORMIUS

Dn. Thorlaco Sculonio.

QVod anno præterito nihil à me habueris literarum, cauſa fuit perturbatus rerum noſtrarum ſtatus ob bellum illud Anglicum; in ſuſpenſo enim detinebantur Mercatores noſtri, an ad vos tuto naves ablegare potuerint, & qvæ tandem eo iverunt, me inſcio, diſceſſerunt. De filio tuo huc redituro non habeo, qvod jam ſvadeam, ſiqvidem apud nos ſæviſſima jam graſſatur peſtis, qvæ hac ſeptimana ultra trecentos jugulavit. Academia dimiſſa, Profeſſores abierunt ad tutiora, adeo ut non niſi tres ſimus, qvi divina confiſi protectione hic moramur. Ego ob

ob arduum & difficile hoc anno mihi concreditum Rectoratus munus indies hoc periculoſo tempore variis premor difficultatibus. Deus noſter ſit protector! Qvia neſcitur, qvando Summo Numini placuerit iram ſuam a nobis avertere, hæc ſignificare volui, ut, qvid de filio ſtatuere velis, tecum diligentius deliberare poſſis. Huc ſi venerit, & mihi vitam Deus conceſſerit, qvibus poſſum humanitatis officiis, ipſum excipiam. Grönlandiæ ille inqviſitor, re infecta, ut alii omnes, ad nos rediit. Cranium, qvod miſiſti, & corium *Roſmari* mihi gratiſſima fuere; Muſei enim mei haud leve ſunt ornamentum; pro iis itaqve gratias ago maximas, & ſiqvid porro ejus generis occurrat, rogo, mei ſis memor; talibus non modo delector ego, ſed & exterorum qvam plurimi, qvi ſæpius me fatigant, ea, qvæ teneo rara, luſtrare cupientes; qvæ qvalia ſint, ex catalogo, qvem mitto, ex parte videre licet. Vale, amice optime, & porro favere perge. Hafn. Calendis Juliis Anni 1654.

CXLI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Andreæ.

*** *** ***

LIbrum de *Scorbuto*, qvem Clariſſimus pollicetur *Sennertus*, ubi prodierit, fac habeam. Pretium vel per tabellarium vel alia occaſione reddam. Magni enim ejus Viri cuncta facio, cum perſpicuitatem & candorem in eo nemo non laudaverit. Salutat te *Futrenius*, & *tribulos aqvaticos* ac *graminis mannæ* ſemina recentia à te exſpectat. Vale. 1623.

CXLII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Andreæ.

UT videas, me nullam omnino ad te ſcribendi intermittere occaſionem, ſimulqve ut ad inceptum literas commutandi officium ſtrenue continuandum inſtigem, ecce, ſecunda vice ad tuas reſpondeo, ſed brevius, cum per *Nicolaum Paulinum* fuſius

id

id fecerim. Ut autem, qvod velim, verbo dicam: Si in Bibliopoliis veſtris extat *Hydromantia Scheunemanni*, ut & *Iſagoge Phyſico-Magico-Medica Auguſti Etzleri*, Budiſinæ Anno 1620. impreſſa, ex utrisqve bina Exemplaria, mihi unum, D. *Fuirenio* alterum ut emas, peto, ſimulqve pretium addas; ſic ad Feſtum Paſchatos una cum Stipendio reddam. Si enim maturius tibi transmiſſum id cupias, mone & procurabo, ſed per qvem & qvo medio, literis ſignificandum. Vide, ne erres in *Etzleri* tractatu, nam alterum, qvem fundamentum Medicinæ vocat, &c. non cupimus, ſed habemus. Seqventium verò pretium ſaltem ſeu taxam, ut vocant, hiſce adde, non verò libros ipſos: nempe *Phyſica Sennerti. Plautus & Virgilius Taubmanni*, ultimæ editionis. *Phyſiognomia Moldenari*. Ac ſi qvæ typographi veſtri ex *Neperi* habeant ſcriptis, ea titulotenus indica, addito pretio. Incepi varias res naturales præſertim rariores colligere, tam ex animalibus qvam mineralibus, marinis & aliis, qvocirca ſi qvæ ibi vel in peregrinatione occurrant, ut mei memor ſis, rogo. Cum non procul a vobis ſint fodinæ, ſi qvæ mineralia aut metallica nanciſci valeas, vel minima fruſtula, nomine addito, mitte. In communem uſum ſervabo. 1623.

CXLIII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Andreæ Helſingorenſi.

De ratione ſtudiorum tuorum certiorem me reddere qvod volueris, gratum fuit, ut & jucundum, ex transmiſſo Exercitio Medico, te ſtrenue, ut ſoles, in ſtadio Medico pergere qvod collegerim. Conatus tuos promovere, qvantum in me eſt, non deſiſtam, verum res jam non usqve adeo expedita eſt, atqve ſolet. Qvicunqve enim Nobilium jam præficitur liberis, in Academia Sorenſi unà cum iis aliqvot annos ut vitam tranſegerit, neceſſe eſt. Qvod an tibi tuisqve ſtudiis commodum, ignoro. Brevi vos videbit DD. *Bartholinus*, qvo præſente, de Gradu aliisqve, res tuas concernentibus, conſilium capere vales commodiſſime. Siqvidem tanta urget annonæ caritas, ut vilius vel in Gallia vel in Italia vivere detur, an de capeſſenda hac peregrinatione conſilium inire debeas, tute videris. Pro tribulo aqvatico gratias agit *Fuirenius*, teqve ſalutat. Vale. 1624.

CXLIV.

OLAUS WORMIUS

Johanni Andreæ.

Witebergam.

STipendium *Johanni Gerhardi*, Bibliopego veſtro, ut petiiſti, tradidi, mea cera obſignatum, qvod ut recte ad te perferatur, unicè exopto. Scripſit una ſocer, & ad tuas reſpondit, cujus literas meis adjungo. *Bartholini* adventum, de qvo nuper, non eſt, qvod exſpectes, dubius etenim & incertus jam eſt. Poſtqvam etenim dextri cruris ſphacelo incurabili & maligno proſtratus, ad ſuperos migravit *D. Cunradus Aslacus*, in ejus locum provectus eſt affinis *Bartholinus*, ut Theologica tractare, & de promotione in Facultate eadem meditari jam cogatur. Mihi verò Medica demandata Cathedra, qvam ut cum Academiæ honore, auditorum commodo, ægrorumqve ſalute tueri valeam, faxit Archiater Æternus. Non eſt, qvod tantoperè te angat gradus Magiſterii, modò commoda oblata occaſione eum non reſpuas. Qvousqve in Collegio Chymico progreſſi ſitis, edoce, qvodqve ſtudiorum poſthac tibi præfixeris habitaculum. *D. Fuirenius* te ſalutat, ac tribulos aqvaticos aliaqve, qvæ promiſiſti, avidè exſpectat. Tu *Janum Guidonis* aliosqve, qvos ibidem meos eſſe noſti. Vale. 1624.

CXLV.

JOHANNES ANDREAS

V. Cl. D. Olao Wormio.

NUnc tandem opportunam ſcribendi occaſionem nactus, committere non volui nec debui, qvin Te, Vir Excell. præſentis ſtudiorum meorum atqve adeò ipſius, in qva vivo, Academiæ ſtatus certiorem redderem; non neglecta, ſed vel maximè præmiſſâ debitâ gratiarum actione pro multiplici favoris genere, mihi etiam abſenti exhibito. Et qvanqvam nihil mihi gratius fuiſſet, qvam eruditiſſimo multumqve adeò deſiderato colloqvio, cum nuper in patria eſſem, pro votis beari potuiſſe: qvia tamen id impediebant partim qvotidiana, qvibus in praxi medica ſerio

multumqve exercebaris, negotia, partim etiam temporis, d itineri in Italiam ſuſcipiendo impenderem, anguſtia; in- iiſſa iſta colloqvii monumenta ſæpius repetito ſcribendi mu- compenſare ſtudebo.

Et primum qvidem omnium haud reticebo, me divino pla- ivore & clementia ſuperioribus ſeptimanis Patavium genui- iſtud Muſarum domicilium ſalvum ac incolumem adveniſ- pro qvo ſummo beneficio haud deſinam Deo O. M. immorta- rates ſolvere. Dictæ Urbis Academiam Medicam qvod attinet, igam Profeſſorum exciperem, puta *Nicolaum Prævotium* Hel. *Bened. Sylvaticum* & *Johan. Dominicum Salam* Patavin. co ſtatui vix reſpondere poſſe videretur, imprimis cum exer- Anatomica & Chirurgica publica nunc temporis admodum veant. Cum enim, à mortuo anno ſuperiori *Spigelio*, nullus, utriqve Anatomes & Chirurgiæ profeſſioni cum laude præeſſe ſt, inventus ſit, Vicarii hoc anno conſtituti ſunt qvidam, *pejus Caimus*, qvi elapſô annô Româ vocatus in locum cele- rimi *Sanctorii*, qvi nunc Venetiis medicinam facit, ſucceſſit, *avionus* Chirurgiæ Doctor; ille diſcurrendo, hic ſectionem m adminiſtrando. Ille ceu parum Anatomicus dum ex com- itario, qvo hiſtoriam humani corporis proponere nititur, iuna extra experientiam temere profert; hic, licet ipſarum rationum peritus ſit, nefas tamen ducit alteri, ceu ſe ſupe- i, contradicere: adeò ut, niſi in hoc ſtudii genere privatim exercerem, parum ex publica Anatome lucri reportarem. r alia medica exercitamenta doctiſſimæ Medicorum Conſul- nes hic potiſſimum vigent: qvarum de *Plica Polonica* nuper habita eſt. Scripta recens cum Patavii, tum alibi in Italia a præcipua hæc ſunt: *Cæſaris Cremonini*, Philoſophi Patavini narii, ſcriptum *de calido innato pro Ariſtot. contra Galenum;* *reſponſum Apologeticum pro Galeno* dictus *Caimus* oppoſuit, typis exſcribendum. *Sanctorii de Sanctor. Comment. in Fen. I. cenna,* in fol. in qvo plurima inſtrumenta mechanica, ab Authore excogitata, depicta extant. *Joh. Baptiſta Corteſe*, in d. Meſſina Profeſſ. Ordinarii *Miſcellanea Medica*, plurimis is referta. Atqve hi ſunt præcipui recens editi libri, qvi ad s oculos manusqve pervenere. Alios, ſi qvi fortè editi , minoris momenti eſſe judico. Adeoqve nihil reſtare ar- or, qvam ut Te, Vir Excell. cum Conjuge Cariſſ. totaqve familia divinæ protectioni, me verò tibi commendatum

eam

eam, etiam atqve etiam orans, ut ſolito tuo favore me poſthac beare haud deſinas. Dabam Patavii 5. Febr. 1626.

CXLVI.

JOHANNES ANDREAS

D. Olao Wormio.

ANnus jam elapſus eſt, à qvo Senis Etruſcis, ſemeſtre vero, à qvo Patavio Tuæ Excell. per litteras varium vitæ meæ ſtatum atqve inſtitutum expoſueram, ratus me exhibiturum indiſſolubile continuatæ in Præceptorem obedientiæ argumentum. Aſt arduum mihi fuit, ſatqve difficile, reciproco favoris tui monumento tot in dies orbari & deſtitui penitus. Vivendum tamen erat ſpe acceſſuri ſolatii. Nunc qvia recrudeſcit animi morbus, qvò majora ſibi copulata agnoſcit ſymptomata, eò celeriorem manus tuæ ſalubrem medelam deſidero. Et qvia non immeritò dubito oblatas eſſe meas, rem mihi vetuſtam T. Excell. breviter renovabo. Tranſacto igitur Senis menſe Auguſto ſuperioris anni, invitatus argumentis, de qvibus tum ad E. T. ſcripſeram, Piſas me contuli. Advenienti, cuncta ex voto ſuccedunt. Invenio Hortum feliciſſimum, paucisqve Italiæ, ingenti plantarum tam domeſticarum qvam exoticarum varietate, inferiorem. Cui adjunctum erat ſumptibus Magni Etruriæ Ducis Gazophylacium, omni ſimplicium medicinalium, etiam pretioſiorum, genere inſtructiſſimum. Iſtarum deliciarum potiundarum cauſa, utqve ſemina nonnulla rariora ac chariora hinc inde excerperem, non tam meo, qvam E. T. uſui deſtinata, ubi Deo auxiliante, (qvippe non ita diu poſt Liburni una cum alia mea ſupellectile dubiis Neptuni undis commiſſa) in Patriam ſalva advenerint, integrum menſem Piſis commoratus, Senas repetivi, Volaterram, Urbem antiqviſſimam, non ſine labore tranſiens. Mox Romam iter ſuſcepi. Ubi cum ingentem antiqvitatum ſupellectilem paſſim obviam animadverterem, magno illarum cognoſcendarum deſiderio, ceu œſtro qvodam percitus, nihil ſive ſtatuarum, ſive Numiſmatum, ſive inſtrumentorum varii generis conſultò lubensve intactum reliqvi; qvod obſcuris veterum Authorum locis enucleandis magnam adferre lucem ea omnia judicarem, excepta honeſta illâ voluptate, qvæ in nullius non animum ex talium rerum inſpectione redundat. Numiſmatum

æreorum

orum tanta certè copia proſtabat, ut non numero ſed menſu-
ivendi adfirmares. Ego nihilominus vix unum atqve alte-
i emebam. Eò enim etiam in hoc negociationis genere pro-
it hominum fraus ac ingeniorum captura, ut ſimplicior ali-
s juraret vel Neſtoris tempore hujusmodi nummos extitiſſe;
em nempe vetuſtatis ideam ſpecioſa fraude nummis ſuis im-
nere norunt maleferiati iſti Agyrtæ,) cum tamen qvemlibet
ai ſuæ magnum ejusmodi Numiſmatum numerum cottidie
udere, nimis compertum ſit, fruſtrata credula curioſorum ſim-
itate. Romæ familiarem mihi reddidi Cl. Johannem Fabri-
n Germanum, Phil. & Med. inſignem: Is de *Animalibus Me-
nis* volumen ediderat, prælo jam ante annum ibidem com-
ſum, nondum tamen ad finem perductum. Luſtratis modo
isqve Urbis admirandis, Neapolim, urbem ſpecioſiſſimam,
ve loco omnium qvidem, meo judicio, totius Italiæ delicioſis-
o ſitam, contendi. Ubi cum per aliqvot dies morarer, luſtra-
i Puteolana illa, Bajana iisqve vicina admiranda, cum Na-
ilia tum artificialia; Intimam contraxi amicitiam cum Excell.
io Columna, Botanicorum hujus ævi facilè principe. Hic
ter multa alia egregia rei Herbariæ monumenta olim publi-
, nuper compoſuit elegantiſſimum de *Plantis Mexicanis* vo-
ien, auxiliante qvodam *Johanne Terentio* Jeſuita, qvi diu iſtis
ocis verſatus fuerat, prædicto iſti de animalibus adjungen-
n. Redii tandem, Divinâ gratiâ, ſuperatis maximis itine-
lifficultatibus, circa finem Novembr. Senas. Ibidem ali-
t dierum ſilentio corpus defeſſum involvere placuit, qvò Fa-
um verum bonarum artium domicilium repeterem & matu-
& felicius. Interim qvid accidit? Certè occaſione contra-
ſuperioribus menſibus amicitiæ cum Profeſſ. Piſanis, Sereniſſ.
gnus Etruriæ Dux me, ne qvidem talia ſomniantem, con-
ito præmio 200. Imperialium ad theatrum Anatom. Piſa-
n, tum per biennium ab exercitio anatomico vacuum, ut ſeqq.
nſibus, Januar. & Febr. corporis humani Anatomen admini-
rem, per aulicos ſuos invitari jubet ſemel atqve iterum. Ego
e improviſa eâqve difficillima meritò hæreo. Tandem, re
c inde penſitatâ, hæreo. Adveni Piſas, præmiſſaqve in Au-
orio majori Oratione ſolenni, Theatrum Anatomicum aſcen-
inqve freqventi qvadringentorum circiter Auditorum præ-
tia, 24. prælectionibus atqve demonſtrationibus univerſam
poris humani hiſtoriam, veneranda D. O. M. gratiâ, exhibui.

Hiſce

Hiſce peractis, pecuniæ numerabantur promtè, adjuncto publico acti muneris teſtimonio copioſiſſimo. Interrogabatur unà juſſu M. Etruriæ Ducis, vellemne continuarè, pluriumve annorum operam Academiæ Piſanæ navare? Offerendam mihi ſc. eſſe, præter Anatomicam iſtam, aliam qvoqve Profeſſionem Medicam, conſtitutis pro annuo ſalario 600. Imperialibus. Ego verò gratiis actis, recuſavi honeſte, qvod ſervitio Sereniſſ. Regis mei obligatus eſſem ratione ſtipendii Medici, qvo per plures annos hactenus gaudeo. Aſt verum ut fatear, haud impar mihi argumentum ſuppeditabat Conſcientia ipſa: nolebam enim pro tantulo nummorum lucro animæ jacturam facere. Atqve ſic relictis Piſis, menſe Martio Patavium repetii, Bononiam tranſiens, ubi magni cujusdam Viri interceſſione, celebre illud *Aldrovandi* Muſeum, tum per triennium omnimodo clauſum, mira pulcherrimarum rerum varietate refertum, vix tamen cum Neapolitano illo *Imperati* comparandum, luſtravi. Ego verò hic Patavii per totam hanc æſtatem mihi meisqve Muſis privatim vixi: Niſi qvod ſemel menſe Auguſto excurrerim luſtratum amœniſſ. illum mereqve medicum Nobiliſſimi *Contareni* Veneti Hortum 12. milliarib. Padua diſtantem. Proxima tamen ſeptimanâ, Nobiliſſ. *Accilium Julium* Danum in Galliam abiturientem, unà cum Doctiſſ. *Dno Rhodio* Veronam comitatus fui. Ubi conveni Clariſſ. noſtri ævi Botanicum & Pharmacopolam *Joann. Ponam Veronenſem*, qvi me humaniſſimè exceptum in ditiſſimum ſuum muſeum introduxit, ſingulisqve ex ordine expoſitis ac ſine invidia monſtratis, intimam mihi fidem amicitiamqve vovit. In Patavina noſtra Academia nihil fere mutatum. Conqveruntur tamen in unum omnes Medicinæ ſtudioſi de ſegnius adminiſtrata ſuperiori hyeme Anatomia. *Cæſar Cremoninus*, Numen illud Peripateticorum, qvem paullò poſt meum in Italiam adventum ſcripſeram publicaſſe opuſculum *de Calido innato contra Gal.* reſponſum autem fuiſſe a *Pompejo Caimo*, Theorico primario; Is, inqvam, nuper aliud ſcriptum edidit *de Principatu Cordis ex Ariſt. ſententia contra Gal.* Huic reſponſum iri à dicto *Caimo* exſpectant: *Fortunius Licetus*, *Cremonini* concurrens, Philoſophorum unicum lumen, fautor & amicus meus cottidianus, & intimus, elapſo anno evulgavit opus *de Intell. agente:* aliud jam imprimendum dedit *de immortalitate animæ rationalis*, eruditæ ſubtilitatis plenum. Pauca hic alias nova, qvæ vobis placeant veſtrisqve auribus digna ſint. Ultimo die proximi menſis Julii in Apulia

ingens

ingens atqve inauditus terræ motus plures urbes funditus evertit, octenis vel, ſecundum alios, ſeptenis hominum millibus miſerè pereuntibus. Ego qvamvis libentiſſime in Italia inter tot tantosqve variarum virtutum alumnos detineri diutius me paterer, & ipſe optarem: qvia tamen, proh dolor, cum ex publicis tum privatis multorum litteris percepi miſerrimum innocentiſſ. noſtræ Patriæ impræſentiarum ſtatum, cœpi mecum primum in Patriam reditum meditari, qvo vel cum patria periclitante periclitarer & ego, vel eâdem in libertatem priſtinam redactâ fortunæ benignitatem experirer. Prius tamen in Gallia per unum atqve alterum menſem ſedem figam, qvo ſenſim aëris mutationi aſſveſcam. Qvoniam autem omnia ferè loca, qva tranſire oportet, etiam in ipſa Gallia, à militibus occupata audiam, atqve adeo metuam, ne inſperatum aliqvod periculum me in medio itineris conſtitutum capiat; Cogor forſitan nolens volens hic Patavii Doctoratus inſignia rogare; qvo forte fortuna (qvod tamen Deus clementer avertat) in aliqvam familiaris rei anguſtiam iter agendo redactus, qveam liberè praxin medicam ubiqve etiam locorum exercere. Priusqvam tamen id fiat, anxiè T. E. conſilium ſuperiori anno expetitum expecto. Spero autem, me neminem hac occaſione offenſurum. Jam ab aliqvot ſeptimanis crebro me litteris ſuis ſollicitarunt Profeſſores Piſani ad Profeſſionem Anat. & Med. ſed jam antea dixeram, malle me contentum eſſe patrio fumo, qvàm luculento apud exteros, præſertim heterodoxos, igne. Scripſiſſem unà ad Reverendiſſ. Dn. D. *C. Barthol*, ut & Excell. Dn. D. *Finckium*, utrumqve meum Mæcenatem magnum, Sed metuens jam ante exploratam mercatorum malitiam, qvi grandiores faſces rariſſime tranſmittunt, tutius duxi ab eo reſiſtere, ſperans utrumqve pro ſolita benignitate excuſationi meæ locum relicturum. Satis fuerit haſce meas ipſis prælegiſſe. Interea me Tibi ſtudioſe conſecro, ſperans Te pro antiqvo tuo in me favore me meaqve ſtudia ſemper apud Viros bonos & generoſos Mæcenates commendaturum. Ita enim in Patriam reverſus, occaſionem nanciſcar benignitatem Tuam apud omnes bonos ſedulo deprædicandi, venerandi. Saluto officioſiſſime Clariſſ. Dn. D. *Finckium*, ut & Reverendiſſimum Dn. D. *Bartholin.* omnesqve in univerſum fautores & amicos. Dabam celeri manu Patavii 1627. die 12. Octobr.

CXLVII.

CXLVII.

CASP. BARTHOLINUS

Cl. V. D. Olao Wormio.

Affini & Fratri.

HEri, qvi 7. Auguſti, per Dei gratiam feliciter & ſalvi ad thermas pervenimus, Vir clariſſime, ac frater optatiſſime. Omnia in itinere ſupra modum cara, qvamvis vileſcat nunc paullatim annona, tum hic in Bohemia, tum in Miſnia. In tota hac vicinia jam exulare jubentur Paſtores Lutherani Evangelici, & ſeqventi ſeptimana initium fiet in valle Joachimica. Interim privatim in ædibus exercitium Religionis indulgetur, niſi Pragæ, ubi, ſicuti Coloniæ, Paſtores plurimi aluntur ſub alieno veſtitu & habitu, ut Mercatorum, opificum &c. Deus miſereatur exulum & miſeri ſui gregis, qvi Paſtoribus privatur. Sed vivit Dominus & providebit ſuo tempore, qvi conſilia malivolorum annihilabit. Conſtantiſſimi hic paſſim ſunt omnes; & modo privatim, uti pollicentur Cæſariani, concedatur Religio, templa occludi non morantur: Sin minus? parati ſunt bona & ſangvinem potius, qvam Dei verbum, amittere. Tempus ob properantem Mercurium non patitur plura ſcribere, aut ad plures: qvibus idcirco me excuſabis. Hic in thermis & nonnullis civitatibus vicinis etiamnum durat publicum Religionis exercitium: qvamdiu, neſcitur. Vale & Uxorem, liberos, omnesqve noſtros a me ſaluta. Caroloſtadii Bohem. raptiſſime 8. Auguſti 1624.

CXLVIII.

OLAUS WORMIUS

Hallerfordio Bibliopolæ.

Roſtochium.

GRatum mihi fuit, Hallerfordi peritiſſime, tandem aliqvando tractatus mei *de Mundo* ſpecimen videre, typis expreſſum; gratiſſimum vero, ſi induſtrii ac fidelis correctoris expertus eſſet manum libellus, totusqve *Ariſtotelis* contextus appoſitus; non enim video, qvo pacto titulum libri Ariſtotelici mereri qveat,

veat, qvi nihil pene habet verborum Ariſtotelicorum. Cæterum, qvia de transmiſſis meum poſtulas judicium, ſincere dico, me a pomposâ à te præfixo titulo abhorrere, in primis qvod mea commentaria voces doctiſſima. Qvis non mihi hoc imputabit, & regeret: *propria laus ſordet?* A te enim hæc inſerta nemo ſuſpicabitur. adeo præterea ſcatet erratis typographicis, ut pro meo vix agnoſcam. Mea periclitatur fama. Tibi, ut homini eruditiſſimo, & præ reliqvis, ut putabam, in hoc genere verſatiſſimo, potiſſimum eo fine hæc concre ſita cupiebam, ut qvam fieri poſſet emendatiſſime prodirent. Sed qvantopere ſpe mea falſus ſim, tute vides. Vix pagina, qvæ non nævis deturpetur, qvorum majoris momenti mitto nonnullos, ut una cum reliqvis, qvi emendari neqveant, ad calcem conjiciantur. Da qvæſo operam, ut poſteriores pagellæ emendatiores prodeant. De indice tute videris; forſan ſi alter, controverſiarum ſc. in textu deciſarum, accederet, ex tua opinione vendibilior foret. Siqvidem pro labore, à me exantlato, argentum, ut alii, non peto, centuriam exemplarium in charta munda, ubi totus editus fuerit, exſpecto. Si ex tuis qvispiam hiſce Comitiis hic fuiſſet, non dubito, qvin rem ſuam probè curaſſet, cum peregrinorum Bibliopolarum neminem hic viderimus. Inter Svecum & nos omnia Divina Providentia pacata priſtinoqve ſtatui reſtituta. Diſſenſionum cauſa fuiſſe videtur, qvod utrinqve pacta violata conqvererentur. Deô autem Immortali gratiæ debentur infinitæ, qvòd pacem hiſce arctois regionibus adhuc clementer indulgeat. *Bartholinum*, qvi per urbem veſtram ad thermas ivit Carolinas, de ſuis tecum egiſſe non dubito, per qvem redeuntem, ſi ante fieri neqveat, libellum meum, utinam emendatum, exſpecto. Vale. 1624.

CXLIX.

STEPHANUS JOHANNIS F.

D. Olao Wormio.

Salutem & incolumitatem à Deo ter Opt. Max. perpetuam!

INaudivi non ita pridem, Ampliſſime Vir, Mæcenas & Fautor æternum amande & æſtimande, magnum illud Antiqvitatum Dani-

Danicarum Syſtema, cujus olim in privato colloqvio apud n mentionem injicere dignatus es, cum abhinc biennio ad perlu ſtrandam pinacothecam tuam variis iisqve raris rebus refertan ſingulari humanitate, me, ſi non dememiniſti, admitteres, jar propediem in diam hanc lucem proditurum. Qvam ſane feli citatem dulciſſimæ noſtræ patriæ ex animo gratulor, præſerti in tanta inopia & charitate bonorum ſcriptorum, qvi eam e profeſſo monumentis ſuis illuſtrare ſatagant. Et qvod ſciam for qvamplurimos, qvi præclarum hunc tuum conatum carminibu ad calcem Voluminis, ex conſveto more, annexis proſeqvutu ſint: vehementer cuperem illis meam qvalemcunqve conjunge re Muſam, & velut anſer inter olores ſtrepere; non ut Sol lucem fœnerer, aut vino vendibili hederam ſuſpendam; ſe ut propenſiſſimum affectum meum in te juxta ac in patriam, non condigne, at certè ſincerè, atteſtari qveam; atqve un nomen meum, cum tuis ſcriptis, poſteritati inſerere. Hac de re mentem tuam ad me brevi perſcribas, & audaciæ meæ placidu ignoſcas, peramanter rogo. Interim bona voti obtinendi ſp fretus ſedulo cudam & elaborabo, qvicqvid ſterile mihi inge nium & macra vena ſuppeditaverit. Te verò Reverende & Clariſſime Vir, cum Conjuge dilectiſſima, liberis tenellis adeoqve familia univerſa Deo ter Opt. Max. commendatum Va lere jubeo qvam diutiſſimè qvamqve feliciſſimè. Slangendorpii d. XVII. Aprilis cIↃ IↃcXXVI.

CL.

OLAUS WORMIUS

Stephano Johannis.

ALiqvid ſubodoratus es, Vir erudite: particulam enim illam Antiqvitatum noſtrarum, qvæ tempora computandi ratio nem & *Faſtos Danicos* continet, mihi è ſitu & ſqvalore emendan dam aſſumpſi: eamqve eò usqve perduxi, ut tribus libris com prehenſa ſub prælo jam ferveat typographico: ac niſi remoram nobis injeciſſet glyptes, qvi *Faſtorum* figuras inſerendas ſculpere deberet, jam lucem aſpexiſſet. Utinam talis eſſet, qvæ æta tem ferre, & candidis animis placere poſſet; nam ut iis, qvi bus nihil, niſi qvod ipſi faciunt, placet, in hac præſertim ma teria placerem, nunqvam mihi animus fuit. Qvanti operis ſit qvan-

qvantæqve difficultatis, tanto tempore ſopita & tenebris plusqvam Cimmeriis involuta eruere, & luci donare, nemo niſi expertus crediderit. Qvod ſi dignam hanc noſtram operam tuo judices elogio, eſt qvod mihi gratuler, qvodqve de bonorum calculis minus diffidam Symbolam contulere D. *Brochmannus*, *Bartholinus* & alii: Hiſce ſi tuum adjunctum velis, intra octiduum aut circiter ut ad me perferri poſſet, exoptarem, pro affectu benevolo interim gratias agens, ac qvævis officiorum genera prompta parataqve offerens. Numismatum Romanorum uti & Danorum haud contemnendam, ex eo qvo hic fuiſti, mihi comparavi copiam, qvam tuæ cenſuræ ſubjectam cuperem, ſi aliqvando ad nos excurrendi daretur facultas. Ut igitur, huc ſi veneris, me eo nomine viſitatum eas, amicè peto. Vale. 1626.

CLI.

STEPHANUS JOHANNIS

D. Olao Wormio.

Salutem & proſperitatem à Deo ter Opt. Max.

AMpliſſime Vir, Clariſſ. Dn. D. Wormi, Fautor honorande, hæc vis veri pudoris eſt, hæc ingenuæ modeſtiæ indoles, ut rariſſime eos compellare ſoleat, qvorum ſplendor & amplitudo ſupra omnem familiaritatem exſurgit. Ita ſanè, niſi ſi extremæ illæ voces, qvibus abitum meum ante annum proſecutus es, crebrum mihi ſcribendi officium expreſſè imperaſſent, vix ac ne, vix qvidem etiamnum hanc ad te tali dignitate virum à verecundia mea Epiſtolam impetraſſem. Et ut videas qvam mihi curæ ac cordi fuerit condicta diligentia in iis inqvirendis, qvæ varias Antiqvitates concernerent; mitto inpræſentia rudem adumbrationem *Notarum* qvarundam, ut illas Radio cuidam inſculptas inveni, qvi hoc loci in porticu Horti Academici inter alia rara aſſervatur. Ex ebore is eſt affabre factus & ad amuſſim dedolatus; longitudine qvidem ulnæ noſtratis, duorum verò qvaſi digitorum latitudine. Ipſe Horti famulus verbis *D. Vorſtii* Præſidis mihi retulit, ex Gvinea illum advectum, & ab ejus gentis Sacerdotibus ingenti pretio redemptum. Utinam ſit, qvo alioqvin meum gratificandi tibi ſtudium probare qveam unqvam; ita expectabis

eadem à me qvæ ſoles ab amico tibi multis nominibus devinctiſſimo. Studiorum, qvæ elapſa hac hyeme horis ſubciſivis tractaverim, minutias qvasdam heic tibi exhibeo, neqvaqvam eo nomine publica donatas luce, ut qvisqvam ex his me cenſeret; ſed ut conatum meum qvalemcunqve in rebus patriis illuſtrandis atteſtarer. Inter nova lugubre hoc primo occurrit. Amiſit Academia noſtra ut ſuperioris anni menſe Octobri Mathematicum præſtantiſſimum Dn. *Willebrordum Snellium*, ita proximè præcedente Majo hujus anni ICtum celeberrimum Dn. *D. Everhardum Bronchorſtium*. Scilicet videntur fata, qvæ nihil egregium diu eſſe ſinunt, invidere ſeculo natos ad ornatum ſeculi viros, & ereptis ſubinde eminentiſſimis ingeniis ad occaſum literarum magnis ire paſſibus. Nobiliſſimus, mihiqve conjunctiſſimus Dn. *Daniel Heinſius* nuperrimè edidit *Ariſtarchum* ſuum ſacrum, ſive *ad Nonni in Johannem Metaphraſin Exercitationes*: *Epiſtolas* qvoqve *Scaligeri* multo qvam antehac auctiores & emendatiores. Avidis qvoqve votis expectamus Tractatum *Gerardi Voſſii de Hiſtoricis Latinis*; cujus jam ferrum in igne eſt. *Johannis Pontani Hiſtoriam Danicam* miror tam diu ſub prælo gemere nec poſſe eluctari; cujus tamen ſpecimen non ita pridem Amſtelodami dedit mihi evolvendum ipſe typographus *Hondius*. Legi audius tertius Jeſuitæ cujusdam *Hermanni Hugonis Hiſtoriam obſidionis Bredanæ*, non ſolum eleganti & florida dictione contextam, ſed & monitis Politicis, & aliis qvamplurimis, qvæ ad ſcientiam militarem apprimè faciunt, abundè refertam. Cujus exemplum ne unicum qvidem apud Bibliopolas noſtros invenire eſt; adeò pauca Antverpia, ubi prodierunt, ad nos perlata ſunt. Illuſtriſſimus Princeps Naſſovius in hoſtium molimina intentus arma neqve provocat, neqve infert. Qvidam tamen ex variis indiciis eum hac æſtate expeditionem qvampiam ſuſcepturum augurantur: ſed qvonam belli molem converſurus, juxta cum ignariſſimis ſcimus. Angli & Galli acriter inter ſe commiſſi prædationibus omnia maria longè lateqve infeſtant. Commercia utrimqve jacent, portus intercluduntur, omniaqve hoſtilia undiqve ſeciis vigent ac invaleſcunt. Deus noſtri miſereatur, & aureum PACIS nomen orbi afflicto reducat: tum vel inprimis Sereniſſimum Regem noſtrum in difficili hoc rerum ſtatu & tam pernicioſo bello protegat ac conſervet, & ſuis maturè terris reddat ac reſtituat rei fortiter ac feliciter geſtæ fama ac celebritate florentem; propter gloriam nominis ſui! In qvo voto finio,

& te,

ſte, Cl. Dn. Doctor, una cum Conjuge dilectiſſima, liberisqve dulciſſimis Valere jubeo qvam diutiſſimè, qvamqve feliciſſimè. Lugduni Batavorum, Poſtrid. Cal. Jun. cIɔ IɔcxxvII.

CLII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

GRatiſſimæ, mi Stephanie, tuæ in *Saxonem* noſtrum mihi fuere *Notæ*, & qvidni eſſent? cum labor ſit ut utiliſſimus ita à nemine hactenus tentatus. Qvin imo non potui non, ut primum accepi, Magnifico D. Cancellario oſtendere, (ignorabam enim, te per alium hoc curaſſe) qvi non ſolum hac opera vehementer delectabatur, ſed ut hoc in ſtadio alacriter pergeres, juſſit ut hortarer, inprimis ut ſtylo, qvo uteris, ſine affectatione excolendo te traderes, conſultum duxit; perplacuit enim inſtitutum. Optaſſem ego te verbulo monuiſſe, qva *Saxonis* uſus fuiſſes editione, ut loca inventu eſſent faciliora: & forſan ſi ad *Wechelianam* te accommodaſſes, (in qva non ſolum paginæ ſed & lineæ notatæ reperiuntur,) lectoris laborem permultum levaſſes. Si tempus & otium ſuppeteret, forſan qvædam ſuggererem, qvibus res hæc haud parum illuſtrari poſſet; ſed negotiorum impedit moles, & nuncii feſtina abitio. Verbo paucula indicabo, *Alocias* Ptolemæi an *Als*, *Arr* & *Langlandit*? prima certè nomen retinuit. p. 38. Ædes tum fuiſſe Deorum atteſtatur fanum Upſalenſe multaqve rudera, ac cryptæ ſubterraneæ in Norvagia, ſed apud nos dirutæ. p. 52. *Alexſtathian* an *Alſted* prope Ringſtadium? ibi enim offendes *Sigerſtadium*, locum, in qvo *Signe* habitabat, & ubi *Hagbartus* ſuſpenſus, adhuc oſtendunt ruſtici; imò *Valbrunnen*, omnesqve hiſtoriæ circumſtantias ibidem loci videre licet: ut vel hinc cognoſcas, qvam falſo Sveci hæc ſibi attribuant. p. 60. auctoritate *Friſingenſis* ut mendoſa, ita falſitatibus referta, multi etiamnum, ut *Bodinus* & alii, abutuntur ad probandum, Cæſari jus eſſe Reges eligendi. Sed vide *Saxonem* egregie *Friſingenſis* figmenta refellentem. p. 62. Male *Svenonem Tiweſkeg* vulgò vocant: legendum *Twiskeg*: erat enim *barba biſurcatâ*. Hæc obiter, coram forſan ſuo tempore plura. Radium miſſum arbitror potius ex Norvegia qvam Guinea delatum, cum certis indiciis colligam, faſto

continere Norvagicos, &, ſi integrum cum omnibus ſuis apicibus & inciſuris habere datum, id tibi ad oculum haud difficulter demonſtravero: ſed confer, ſi lubet, faſtos *lib.* 2. *Faſtorum Danicorum cap.* 4. ſub litera F. delineatos, (ſculptor enim noſter *Simon de Pas* aliqvot exemplaria eorum ſecum in Belgium detulit,) & forſan, qvæ non abludant, ibi deprehendes. Interim obnixè rogo, diligentius paulò eum â pictore delineari, mihiqve tranſmitti cures. Si qvid eô nomine impenderis, gratus ſolvam. Feſtorum D. Laurentii, Martini & Olai certe obſervo indicia, qvæ â Guineis celebrari vix credo. Arbitror igitur nautam qvendam Norvagum Belgis impoſuiſſe. Vale ac patriæ bono ſtrenue perge. 1627.

CLIII.

STEPH. JOHANNIDES

D. Olao Wormio S. D.

Ampliſſime & Clariſſime D. Doctor, Dn. & Amice reverenter colende.

Literas tuas perhumaniter ad me ſcriptas magna cum voluptate legi, vel eam maxime ob cauſam, qvod in iis Magnifici Dn. Cancellarii Regii de opellâ meâ litterariâ ad vos adulto vere tranſmiſſa judicium exponere mihi ſis dignatus: Qvod ſanè Hiſtorico me ſtudio ſponte flagrantem acrius inflammavit, præſertim qvum proficiſcatur â tanto in Dania viro, qvi in eminentiſſimo poſt Regem dignitatis faſtigio conſtitutus, ac ſimul omnigenâ doctrinâ & præcipue Hiſtoriarum tam veterum qvàm recentiorum exqviſita peritia & cognitione non leviter tinctus ſed penitus imbutus, qvorumcunqve conatus favore ſuo ſemel proſeqvutus fuerit, illos ſua authoritate, conſilio, ope operaqve juvare atqve promovere & velit & poſſit. Ac qvia non ſum ita Suffenus, ut qvicqvam eorum mihi arrogem, qvæ ad ampliſſimum illud ac millenum ſtudium continuandum omninò duco neceſſaria, ut ſunt, acre & exactum judicium, luculentum ingenium, divina memoria, eximia eloqventia: aſſiduis precibus ac ſupplicils defatigandus erit Deus ter Opt. Max. ut mihi inpoſterum idoneas largiatur dotes viresqve animi juxta ac corporis, eaqve ſuggerat monita & conſilia, qvæ in ſanctiſſimi nominis ſui gloriam unicè

cedant

cedant, & dulciſſimæ patriæ olim eſſe qveant maximo & honori & utilitati. In recenſendo autem *SAXONE* noſtro uſus ſum prima illa editione, qvam Pariſiis A.C.cIↄ IↄxIV. divulgavit *Jodocus Badius Aſcenſius:* id qvod patebit clarius, ubi meas Obſervationes cum tali exemplo aliqvo contuleris. *Faſtus* tuos *Danicos* nondum, ex voto, videre contigit; neqve de adventu *Simonis de Paes* qvicqvam inaudivi. Erit certè, qvomodo mihi perſvadeo, opus *ære perennius,*

Regaliqve ſitu Pyramidum altius;
Qvod nec imber edax, nec Aqvilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, fugaqve temporum.

Radii illius exactiorem, qvam petis, delineationem hac occaſione haud ita commodè procurare potui; ſedulam alioqvin daturus operam, ut qvamprimum ad te transmittatur. Poſt expugnatam ſuperiore ſeptimana ab Illuſtriſſimo Principe Naſſovio Grollam, non adeò magnus hic rerum novarum fuit proventus, ut iis commemorandis pagina creſcat. Qvin potius nos anxios ac ſuſpenſos tenent varii, qvi hoc loci ſparguntur, rumores de felici Cæſarianorum curſu ac ſucceſſu, qvos, qvum hæc ſcriberem, opidulum an pagum Holſatiæ Oldesloam propè Segebergam occupaſſe non ſine ingenti metu ac trepidatione intelleximus. Deus ter Opt. Max. pro ſua clementia tueatur ac defendat in hoc veſano Bellonæ furore Regem noſtrum Sereniſſimum, & tandem re bene geſta ſuis terris reſtituat! Vale & amorem in me tuum conſerva conſtanter. &c. Lugduni Batavor. XVIII. Aug. cIↄ IↄcxxvII.

CLIV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Johannis.

ALteras tuas, 18. Auguſti datas, 17. Septembris accepi, ex qvibus gratum mihi cognitu ad te meas delatas eſſe, tum ut, animo Magnifici D. Cancellarii in te propenſo cognito, in ſtudio præfixo pergeres alacrius, tum ut de meo in te affectu conſtaret prolixius. Scis Heroëm noſtrum hiſce ſtudiis impenſè addictum, eoſqve eximiè æſtimare, qvi rebus noſtris ornandis & propa-

propagandis ſe tradiderunt, adeo ut me invitum fermè, & aliis gravioribus plus ſatis occupatum, in hanc etiam adegerit arenam. Tu igitur perge, & patriæ, ut facis, ſtude; merces non deerit optata ... ire & ipſum & me radius ille affecit, præſertim cum faſtorum uterqve agnoſceremus veſtigia. Si ex Gvinea, meditationes ſup. editabit haud ingratas, meoqve operi profuturas; ſed Septentrionem olere plane mihi perſvadeo. Tu arbiter eris, ubi probè delineatum miſeris, & qvid veritatis ſubſit, ex horti præfecto ſ..rio expiſcatus fueris. Oblata commoda hac occaſione per præſentem juvenem eruditiſſimum, *Faſtos* tibi mitto meos, qvos ſi *Heinſio*, *Scriverio* aliiſqve literatorum apud vos anteſignanis oſtenderis, eorumqve de iis exploraveris judicia, mihi literis data occaſione aperienda, rem feceris gratiſſimam. Abſolvi de *Literatura* noſtra *Runica* librum hoc non minorem, qvem veſtris Literatoribus hac tam commoda occaſione cenſendum mitterem, ſi plura meo Autographo mihi ſuppeterent exemplaria. Sed ob ſculptoris noſtri abſentiam & negotiorum, qvibus in hoc Rectoratu premor, molem, hoc anno vix lucem videbit. Monumentorum Runicorum aliqvot collegi in his oris centurias, qvibus enucleandis mea inſerviet Literatura, & hæc, modò pacata Deus nobis præbeat tempora, & doctis primitias non diſplicere animadvertero, æri inciſa ſuo tempore lucem videbunt. Vides, ut prolixus ſim in meis næniis recenſendis, ad qvas præter ſpem in tanta devolutus ſum otii inopia. Tu in tanto literatiſſimorum Virorum ſplendore, ſuccenturiatam præbe operam, & ſtrenue, qvo cœpiſti pede perge. Vale, & ſiqvid apud vos occurrat, qvod meo inſervire putes inſtituto, mone. De mutuo affectu non dubitabis unqvam. 1627.

CLV.

STEPHANUS JOHANNIS

D. Olao Wormio.

S. P. Ampliſſime & Clariſſime Dn. Doctor *Wormi*, Dn. & Amice reverenter colende. Qvòd nonnullam hactenus ſcribendi fecerim intercapedinem, ingenuè fateor me omni prorſus excuſatione adeò eſſe deſtitutum, ut veniam potius tam diuturni ſilentii eâ, qva par eſt, modeſtiâ petendam, qvam multa, qvibus

bus me fruſtra purgarem, prætendenda in præſens duxerim. Nunc vero qvum adoleſcentem huncce noſtratem ad vos, unius aut alterius negotii meo nomine iſthic expediundi gratia, ablegare coactus ſim, non potui qvin eadem occaſione aliqvid ad te literarum darem, vel ſalutandi tui cauſa; præſertim maxima prolixioris argumenti inopia circumventus. Nam literatorum noſtrorum de *Faſtis* tuis judicia, qvæ ut ſedulo expiſcarer poſtremis ad me tuis petieras, ampla certe ac præclara imo prorſus talia eſſe comperi, qvalia de opere tam eleganti, accurato & erudito ferre omninò convenit. Ita non ſolum *Heinſius* & *Voſſius*, doctiſſimi utiqve Philologorum, qvos nunc habet Belgium, ſed & *Scriverius*, *Pontanus*, aliiqve interiorum literarum peritiſſimi Viri, qvibus exempla *Faſtorum* ſubinde oſtendi, ſummis & exqviſitis eos laudibus ſemper extulerunt, & ſimul patriæ noſtræ hanc felicitatem ex animo gratulati ſunt, qvæ ex indigenis adeò diligentem Antiqvitatum ſuarum indagatorem nacta eſſet. Interim te hoc etiam nolo celatum, Clariſſ. Dn. *Pontanum*, Hiſtoricum Regium, & in Gymnaſio Hardervicenſi Profeſſorem, in etymologia vocis noſtratis, qva divinum natalem appellare ſolemus, longè a tua ſententia diſſentire; qvippe qvi à jubilatione potius qvam *Julio Cæſare* ejus originem deducit. Hæc etenim verba illius ſunt in ultimis ad me literis, qvæ tuam in gratiam heic ſubjungenda duxi.

„Occaſione, qvi has adfert, Collegæ noſtri D. *Zevecotii*, facere neqvii, qvin Obſervationis iſtius de *Julo* noſtrati, cujus coram mentionem faciebam, te participem redderem. „Nam ut omittam hoc loco de receptis ea ſuper re ſententiis, „qvarum & meminit Doctor *Wormius*, verba facere, aut meam „ſententiam dicere, illud certum habeo ad jubilationem & lætitiam temporis exprimendam id qvidqvid eſt vocis formatum. „Et ecce haud obviam vocem, qvæ eò faciat. Eſt enim apud „Plinium ἴουλος vox qvæ cum propriè *capillaturæ contortionem* „Græcis notet, ille metaphoricùs accipiens *avellanæ filamentis* „aptavit lib. 29. ubi ait: *Ferunt avellanæ Julos compactili collo.* &c. At *Eratoſthenem* in hymno Mercurii *julon* pro *lanificarum cantilena* uſurpaſſe ex iſto verſu liqveat:

„Δενδαλίδας τεύχουσα, καλοὺς ἤειδεν ἰούλους. id eſt
„*Farqve parans ſalſum* SCITOS CANTABAT JULOS.

"*Didymus* ait hymnum in laudem Cereris fuiſſe, qvod "ex *Semo Delio* annotat etiam *Athenæus lib. 14.* & indicat *Theo*-"*doretus* libro *de materia & mundo* ſic inqviens: *Ne cantes Ju*-"*lum Cereri, nec Baccho Dithyrambum.* Qvod ſane optime ſen-"ſui noſtro & *ludis* iſtis *Julenſibus* noſtratium competit, qvi "aut celebrantur poſt completa jam Cerere horrea, aut qvod "novus jam annus ac vernum tempus inſtat, qvo Cereri denuò "faciendum operandumqve. Sed inqvies, unde vox exotica "& Græca, & adeò exoleta Boreæ populo eſſe nota aut familia-"ris poterit? Reſpondeo alia & magis remota à Græcis tracta, "qvæ Dani hodieqve uſurpamus. Qvid? nonne Fød noſtras, "id eſt, *natus*, à Græco φύω, naſcor, eſt? nonne Kerling, "vetula, à χήρα? Sinnep, ſinapi, à σίνηπι? & qvo nihil "utimur freqventius, Smør, *Butyrum*, à μύρον, & adjecto σ, "σμύρον, ungventum? ſicut Attici pro μικρὸν, dicunt σμικρὸν, "*parvum*. Et ſunt etiamnum plura, ſed ſuo loco, volente "numine, ponenda. Deinde nec hoc prætereundum, qvod "p. 36. habet Doctor Wormius *Tingsdag*, ſive brevius, *Tiisdag*, "non eſſe Germanorum *Tingsdag*, qvaſi dies foret judiciis fo-"renſibus & ſententiis proferendis dicatus, qvod veriſimile "non ſit Danos à Germanis mutuatos voces. At notari debuit "eampſe vocem merè & propriè Danicam eſſe, qvod in *Origi*-"*nibus* noſtris *Francis*, ni fallor *lib. 6. Cap. 1.* à me jam olim "obſervatum memini. Dani enim nos forum ſive dicaſterium "urbanum paganumve nonne *Ting* dicimus? Hactenus *Ponta*-"*nus.* &c. Tuum jam erit hæc omnia diligentius expendere, & de reſponſione, ſi qvando uſus fuerit, cogitare. Radium illum qvod attinet, cujus ſuperiori æſtate ad te exemplum transmiſi, paulò accuratius inſpexi, & revera ex vocibus qvibusdam Danicis hinc inde adſcriptis non è Gvinea, ſed ut rectè contendis, ex ipſa Norvegia aut Dania noſtra allatum intellexi. Occurrunt enim voces Tamperdage, førſte Sommer-Dag, Midſommer, & omnia menſium nomina idiomate noſtrati. Nec tanti eſt, ut de ejus exactiori delineatione admodum ſis ſolicitus, qvippe qvum in ſchedula illa tua omnes notas & inciſuras ad vivum qvam proximè à me expreſſas habeas. Præſes horti D. *Vorſtius* nihil plane certi de eo ſibi conſtare ſæpius affirmavit. Sed alios nunc *Faſtos* transmitto, qvos in auctione publica heic coëmi ex Pinacotheca Pharmacopolæ cujusdam Lugdunenſis,

ſis, qvam, dum viveret, variis & rariſſimis rebus refertam habuit. Si tuo inſtituto inſervire poſſint, non pœnitebit me precii, qvod ſic ſatis magnum & carum fuit. Utere modò & fruere ex voto tuo, donec olim in patriam, cum Bono Deo, rediero. Nec præterea eſt hic qvicqvam ſcitu dignum. &c. Magnifico Domino Cancellario Regio ſalutem a me plurimam dicas verbis officioſiſſimis, cui me totum meaqve ſtudia ſecundum Deum trado atqve commendo. Ampliſſimum qvoqve *Brochmannum* plurimum ſalvere jubeo. Benè Vale vir Præſtantiſſime, & me ama. Lugduni Batavorum d. XIX. Martii, cIↄ Iↄcxxviii.

CLVI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Johannis.

Leidam.

GRatum admodum mihi fuit, mi *Stephanie*, ex tuis colle-giſſe, *Faſtos* meos ad te perveniſſe; gratius vero, magnis illis Literatoribus te oſtendiſſe, qvorum judicia, ſi non magis ex tuo in me affectu, qvam illorum expreſſeris ſententia, mihi ipſi gratulor, eisqve gratias & tibi ago maximas; gratiſſimum, qvod candide adeo Clariſſ. *Pontani* de *Ludis Juliis* communicaveris opinionem, doctam qvidem & elegantem, ſed, ut mihi videtur, rei minus conſonam. *Juli* enim vocem Græcis & Latinis fuiſſe in uſu certum eſt & ratum: illis, ut recte idem diſſerit, qvandoqve genus *cantilenæ* denotabat, his verò *lanuginem in corylis & juglandibus* aliisqve id genus arboribus, florem præcedentem, (non verò ut ille ait, *avellanæ filamenta*, qvod ex ipſo citato *Plinii* loco, *Theophraſti Hiſt. plant.* lib. 31. cap. 7. *Dioſcoride*, omnibus conſtat Botanicis, vel *pilos primulum erumpentes*. Sit itaqve ſcitum, Græcis *cantilenæ* fuiſſe *genus*, atqve hinc *lætitiam* qvoqve denotare. At qvomodo noſtris hic adaptatur ludis, qvi maxima ex parte ſine cantilenis peraguntur? Qvalis ſeqvela? Apud Græcos extat vox, qvæ literis convenit cum ludorum noſtrorum appellatione Danica, ergo à Græcis orti ludi hi, etſi re diſcrepant. Si *Theodoretus* dixiſſet, ne celebremus aut laudemus *Julum*, ac *Didymus* non *hymni* ſed *ludorum* meminiſſet, res liqvida fuiſſet. Nec obſtat, qvod multas Græcorum voces noſtra donaverimus

civitate;

civitate; Hebræas enim accepimus plures, Latinas totidem; Germanicas infinitas, ex qvibus qvædam qvaſi noſtra arripuimus, qvædam minime, qvædam rebus reſpondent, qvædam contrariam exprimunt, qvod non usqve adeo demonſtratu foret operoſum. Hinc tamen non ſeqvitur *Julum* Danorum â Græcorum eſſe Julis. Qvin longè poſt completa Cerere horrea, imo poſt evacuata, & non tam verno qvam brumali tempore â noſtratibus celebrantur. Noſtram vero opinionem confirmant antiqvitates variæ & citati ex antiqviſſimo codice Rhythmi. Tempus, qvo celebrantur hi ludi, idem cum Saturnaliorum feriis; ritus ipſi; qvin & hiſtoricorum exterorum fides indubitata. Confer, ſi placet, Ludos Saturnales ab *Athen. lib.* 14. deſcriptos; confer *Tacitum* in *Vita Agricolæ*, ubi docet, qvo pacto Britanni Romanorum mores adſciverint, locus elegans eſt; confer eundem *de moribus Germanorum*, ubi de *Cimbris* diſſerit, & ingentes *Cæſaris* minas in ludibrium verſas ait. Qvem locum nemo Criticorum unqvam feliciter explicaverit, qvi noſtrum *Julebuk* non intellexerit. Sed in his qvemlibet ſuo abundare ſenſu facile permiſero, modo rei congrua nec nimis longe petita attulerit. In altero mihi nimis videtur injurius eruditiſſimus *Pontanus*. Ubi enim locorum unqvam a me dictum aut pictum, *Tiisdag* noſtrum non eſſe Germanorum *Dingſtag*? fora & dicaſteria a noſtratibus *Ting* dici, novi, & qvilibet de plebe; ſed an T*iisdag* ſit contractum à *Ting*, & an *Tiisdag* à Germanorum *Tingsdag* dicatur, hoc qværitur. Nego, idqve multis nominibus; 1. qvia res reclamat, non enim magis hoc die qvam aliis judicia apud nos & olim & jam celebrabantur. 2. qvia â peregrinis Germanis mutua nomina capere nulla nos cogit neceſſitas, ubi ipſimet abundamus. Hujus argumenti vim non capit *Pontanus*. Inſtrue, qvæſo, ac roga, textum limis oculis ut haud aſpiciat. Non nego, â judiciis dictum hunc diem, ſed nego ita dictum, qvia Germani eum vocant *Dingſtag*. Noſtrum enim adeſt *Ting*, â quo commodius peti poſſit. Potiora obtinemus & propria. Docent enim antiqvitatis noſtræ enucleata Monumenta, Deam â Septentrionalibus cultam fuiſſe *Diſam* nomine, qvæ juſtitiæ & judiciis præeſſe putabatur, qvæqve *Thoronis* Conjux, cujus nomen cum nomine diei magis convenit, qvam cum *Ting*; cur igitur non potius ab hac, tanqvam aptiori, nomen depromeremus, præſertim cum omnes reliqvi dies ab idolo qvodam denominationem ſint ſortiti; ut à *Sole, Luna, Odino, Thorone, Frigga Odini* uxore? Qvid

commiſit

commiſit miſera ſummi Deorum Thoronis ſc. uxor, ut hoc in genere ſuo deſtitueretur honore, cum in aliis (de qvibus *Faſtos* conſule) divinos nacta ſit? Sed qvibus propria ſordent, aliena arrident, non mirum in tam planis cœcutire. Præjudicio nullo effaſcinatus qvi noſtra legit, facile videt, me duas tresve opiniones & conjecturas afferre, ut ex iis qvivis ſuo cerebro congruam arripiat, aut meliorem ſubſtituat; non enim ſunt Articuli fidei. Qvocirca ſerram contentionis cum nemine de hiſce reciprocabo, qvin potius ei gratias agam, qvi meliora communicaverit, & ex tot tenebris veritatem mecum eruere allaborat. Interim obnixe rogo, ut ſi qvæ ejus generis occurrant alia, qvæ ad hujus negotii illuſtrationem ſpectare videantur, promte communices. Pro Faſtis transmiſſis gratias ago ingentes; operam dabo, ut ſi iterum prælo ſubjiciendi ſint mei, delineentur, & tui facta honorifica mentione addantur; elegantiſſimi namqve ſunt, & noſtræ cura digniſſimi. *Literaturam* meam *Runicam* abſolvi, cujus tibi mitto ideam, ut, ſiqvid occurrat, qvod huc ſpectare videatur pro noſtro amore moneas. Sunt mihi ultra ducenta Monumenta Runica, in patria exſtantia, qvæ etiam ſuo, ſi Deus voluerit, prodibunt tempore. Bina mitto â ſtudioſo qvodam hic ligno inciſa, ex qvibus de reliqvis conjecturam facias. Si ſculptorum veſtrorum uti liceret facilitate, brevi multa darem. Cancellario tuis verbis ſalutem dixi, & transmiſſa oſtendi, qvi mirifice Faſtis delectabatur, tuamqve commendavit induſtriam, atqve ut ad ſtrenuè pergendum te adhortarer, in mandatis dedit. Perge igitur, mi Stephane, & nos ſubinde tuis viſita literis. Me tuis commodis ſtudioſiſſimum invenies. 1628.

CLVII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Worm.

Πλεῖστα χαίρειν.

AMpliſſime & Clariſſ. Dn. Doctor *Wormi*, Fautor & Amice perpetua obſervantia colende, qvum ex ſuperioribus literis tuis Hafnia elapſo proximè vere ad me perhumaniter ſcriptis abunde intellexerim, qvàm gratum tibi acciderit atqve jucundum,

dum, qvòd Cl. Dn. *Pontani*, Hiſtorici Regii, (cujus in amicitia inter primos me receptum eſſe, non in ultima parte felicitatis pono) opinionem de ludis Juliis tecum communicaſſem: faciundum omnino putavi, ut reſponſum ipſius ad Epiſtolam illam tuam, qvam totam propemodum meis ad illum codicillis inſerui, (ut ſpero, te non nolente) hac vice perſcriberem. Id verò hunc in modum ſeſe habet, depromptum ex amœbæâ ipſius data Ha . . rvici Cal. Julii:

"Ad cardinem tuæ reſponſionis ut veniam, placent qvæ "ex literis clariſſimi Viri *D. Olai Wormii* mihi ipſiusmet verbis "tranſcribis de *Juli* voculâ ludisqve illis noſtratium Julenſibus, "qvorum aliqvando in literis ad te meis mentionem injeceram. "Sed ad ea priusqvam propius reſpondeo, notanda qvædam "ſunt, qvæ referuntur qvaſi â me profecta, cum eorum memi"niſſe in literis illis ad te meis, aut ita meminiſſe, conſcius mihi "haud ſim. Nam *Plinius lib. 31. cap 7.* qvi adducitur qvaſi â "me in teſtimonium vocatus ad oſtendendum *avellanæ filamenta* "*julos* intellectos, eum me *Plinii* librum & locum indicaſſe, non "recordor; nec qvidqvam etiam ejusmodi ibi vel per ſomnium "*Plinius*, ſed *Plinii* librum citaſſe me puto *decimum ſextum*, "*capite vigeſimo nono*, ubi diſertè hæc Plinius: *Ferunt & avella*"*næ Julos compactili collo, ad nihil utiles.* ubi eleganter collum "appellat viride illud circa avellanæ nucis cervicem denſeqve "adnatum, & in filamenta qvaſi exiens. Qvod deinde refertur, "qvaſi verno tempore eos *ludos Julenſes* celebratos velim, non "exputare poſſum unde id hauſtum, cum in apographo litera"rum ea de re mearum hæc inveniam: *qvi aut celebrantur poſt* "*completa Cerere horrea, aut qvod novus jam annus ac vernum* "*tempus inſtet, qvo Cereri denuo faciendum operandumqve.* Ubi "tantum abeſt ut ad vernum tempus eos ludos referam, ut ne ad "novum qvidem annum (qvamvis in duodecimum usqve Januar. "continuentur) traham, ſed ante eum, & anni illius novi ac "verni exinde temporis inſtantis ſpe inchoari eos clare innuam. "Qvodqve infertur poſtremo, qvaſi ego ex voculæ hujus Græ"canicæ cum Danica noſtrate convenientia, qvâ hi ludi expri"muntur, voluerim concluſum â Græcis ortos hos ludos, "nec menti meæ, nec verbis examuſſim reſpondet: qvi diſerte "ea ad te Epiſtola certum habere me ſcripſi, ad jubilationem & "lætitiam temporis exprimendam, id qvidqvid eſt vocis noſtratis

Jul

[for]matum; & proxime accedere *Juli* vocem Græcis Latiqve autthoribus freqventatam; & illos qvidem eſt lætitia [an]num ſeu cantum intellexiſſe, qvo Cererem præcipue celebrabant. Cantilenas autem & hymnos nec omninò abeſſe [c]enſibus illis noſtratium ludis etiam ipſe *Wormius* fateatur, [e]t maxima ex parte, ut habent ejus verba, ſine illis peragitur. Itaqve *Juli* vocem hilaritati dicatam olim apud Græ[cos] fuiſſe hinc ſatis oſtenſum exiſtimavi, & ut hoc etiam con[sta]ret, perplures è Græcis ad Danos defluxiſſe voces, adductis [ali]am aliqvot, iisdem in literis meis demonſtraram, qvibus [ad]di velim qvod in *Notis* noſtris *Macrobianis* ex *Cenſorino* ado[les]centuli olim notavimus, vocabulum ὥρος, *annum* Græcis [sig]nificans, uſurpari eodem hodieqve ſenſu Danis, cum non Germani Belgæqve *jaer*, ſed propius ad Græcum accedentes, *aar* ſive *oor* dicant. Jam ad ipſam rem ut veniam, haud [vereor] reprehenſionem elegantiſſimi alias Wormii magnopere [inc]urſurum me putem, ſi præter ea, qvæ allata ſunt, ad etymon & originem vocis propius enodandam, aliqvid attulerim, [non] alienum, ut exiſtimo, nec prius dictum. Non illud de [Ju]lio *Cæſare*, qvod hucusqve & communiter jactatum habe[tur], & à *Wormio* defenditur, qvomodo id per omnia rei [co]ngruum, nec longe nimis petitum perſvadere omnibus po[ss]it? Sane præter cæteros, illuſtris ille Heros & eruditæ no[b]ilitatis Danicæ ornamentum *Tycho Brahe* felicis memoriæ, [qu]od ex ipſo non ſemel audivi, ſemper eam improbabat ſen[ten]tiam, etiamſi recepta eſſet, & è ſuggeſto ſubinde in ſacris [con]cionibus, cum de Chriſti nativitate verba publicè fierent, [v]erbi divini miniſtris populariter depromeretur. *Sed*, inqvit [W]ormius, *eam opinionem confirmat præter communem littera[to]rum noſtrorum conſenſum citati ex antiqviſſimâ membranâ [Rh]ythmi, antiqvitates variæ, tempus qvo noſtri celebrantur ludi [cu]m Saturnaliorum feriis plane idem, ritus ipſi*, &c. Qvod [ad] communem Daniæ litteratorum conſenſum, de eo jam ali[qu]id dictum, & niſi invidioſum eſſet, præter inſignem illum [Ty]chonem adduci & alii poſſint. Rhythmi verò qvi intelliguntur [su]nt iſti:

"*Omnes cenſum Cæſari præter Gothi dabant:*
"*Mandatis imperii ſoli reclamabant:*
"*In honorem Julii Jul celebrabant.*

In

„ In qvibus qvid ſuſpiciendum tantopere, niſi inſignis „ contradictio, dum Gothos ſolos mandatis Cæſaris reclamaſſe „ ferunt, & eosdem tamen in honorem Cæſaris ejusdem Julii „ *Jul* celebrare? Eaqve contradictio, ut alia nunc mittam, „ nonne ejusmodi eſt, ut meritò eam membranam, unde ii „ verſus deprompti, ſuſpectam reddat? Nec magis eſt claſſi- „ cum, qvod præmittit iisdem rhythmis *Doctor Wormius lib.* I. „ *Faſt. Dan.* de *Julio* eodem Cæſare, eum, devictis Britannis, „ Danos qvoqve ſub iugum imperii Romani redigere tentaſſe, „ ſed fama gentis bellicoſæ deterritum eſſe, atqve ideo, miſſis „ legatis, fœdera iniiſſe, hac conditione, ut in hujus rei me- „ moriam annuatim, Sole Capricornum ingrediente, *ludos* ſo- „ lennes *Julios* celebrarent. Nam ſi hæc ita habeant, & con- „ ſtans apud noſtrates de eo, ut *Wormius* refert, fama ſit, un- „ de nata aut hauſta ea? Si ex famâ tantummodo, nonne evani- „ da, ut plurimum, illa, & qvæ ut fallit ita & fallitur? Nam „ libri & relatio Cæſaris, aut alii, qvi res Cæſaris ſcripſerunt, „ nihil ejusmodi commemorant. In literis tamen his, qvod „ ad hiſtoricorum indubitatam fidem jam provocet Wormius, „ qvodqve moneat cum *Tacito in Vita Agricola* conferendum „ eundem de *Moribus Germanorum*, ubi de *Cimbris* diſſerit, ac „ ingentes Cæſaris minas in ludibrium verſas ait, ſciendum eo „ loci non Cæſarem *Julium*, de qvo paulo antè dixerat, ſed *Ca-* „ *jum Cæſarem Caligulam* & ejus inanes minas, & falſum, ut „ loqvitur de eodem in *vita Agricolæ*, triumphum intelligi. „ Cajus etenim Caligula qvaſi perpetraturus bellum, ut eſt apud „ *Suetonium Cap.* 46. directa acie in littore Oceani circa Rhe- „ num, ac baliſtis machinisqve expoſitis, nemine gnaro ac opi- „ nante, qvid capturus eſſet, repentè ut conchas legerent, ga- „ leasqve & ſinus replerent, imperavit, *ſpolia oceani* vocans Ca- „ pitolio palatioqve ac triumpho debita. Hæ ſunt minæ, de „ qvibus ibi *Tacitus*; has in ludibrium verſas innuit, & expri- „ mit clare hiſtoriarum qvarto, ubi de patre Brinionis agens in- „ qvit, *eum Cajanarum expeditionum ludibrium impune ſprevi ſſe.* „ Et iterum de eodem Cajo in vita Agricolæ: *agitaſſe C. Cæſarem* „ *de intrandâ Britannia ſatis conſtat, ni velox ingenio, mobilis* „ *pænitentia, & ingentes adverſus Germaniam conatus fruſtra* „ *fuiſſent.* Saturnaliorum vero tempus qvod tempori, qvo ce- „ lebrantur apud noſtrates *ludi Julii*, reſpondeat, nihil id ju- „ vet, aut adſerat hos ludos Cæſari Julio aut ejus nomini ori-

ginem

…inem debere, cum conſtet Saturnaliorum initia advetuſtatem ipſo non modo Cæſare Julio ſed ipſa Româ eſſe antiqviorem, & hoc ſolenne, ut loqvitur noſter *Macrobius*, in Græcia primò cæpiſſe, teſtante *Accio* in *Annalibus*, cujus hi verſus ab eodem *Macrobio* adducuntur;

"*Maxima pars Grajum Saturno & maxima Athenæ*
"*Conficiunt ſacra, quæ Cronica eſſe iterantur ab illis,*
"*Eumque diem celebrant per agros urbesqve per omnes,*
"*Exercent epuli læti famulosqve procurant*
"*Quisqve ſuos, noſtrique itidem; & mos traditus illinc*
"*Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.*

"Interim rectè obſervatum concedo, tempus utriusqve ſolemnis convenire, & ante Januarium menſem inchoari. Sed & hoc obſervari velim, ab *Ope* Saturni conjuge *Opalia* tum ſimul celebrata, & utriqve tam Saturno qvam Opi hoc ſacrum factum, qvòd Saturnus ejusqve uxor tam frugum, qvam fructuum repertores eſſe credantur. Et hinc eſt qvod ait deinde *Macrobius* de utroqve loqvens: *Hanc Deam Opem Saturni conjugem crediderunt; & ideo hoc menſe Saturnalia itemqve Opalia celebrari, qvod Saturnus ejusqve uxor tam frugum, qvam fructuum repertores habeantur. Itaqve omni jam fetu agrorum coacto ab hominibus hos Deos cæli qvaſi vitæ cultioris authores: quos etiam nonnullis cælum & terram eſſe perſuaſum eſt: Saturnumqve à ſatu dictum cujus cauſa de cælo eſt, & terram Opem, cujus ope humanæ vitæ alimenta qværuntur, vel ab opere, per qvod fructus frugesqve naſcuntur.* Unde non abſone, ſed rei omnino convenienter in epiſtolâ ad te meá, ubi de *Juli* voce verba primitus feci, *Erathoſthenis* verſiculus Græcus adductus fuerit, Latineqve expreſſus in hunc modum:

"*Farqve parans ſalſum*, SCITOS CANTABAT IULOS.

"Nam ut dixi tum ſimul, & locum ex *Athenæo* & *Theocrito* adduxi, *Julus* propriè Cereri canebatur, notante id ipſoqve in *Animadverſionibus* ſuis *lib. 5. cap. 15.* eruditiſſimo illo *Hadriano Junio*, qvi & varias præterea ejus vocis ſignificationes ibidem adducit.

"Habes mi *Stephane* & mentem & reſponſum meum ad ea, qvæ ex viri clariſſimi ac præſtantiſſimi *D. Olai Wormi* epiſtola huc ſpectantia, tuæ inſeruiſti. Amo verò moderatio-

"nem viri optimi, qvi ingenuè ſuam ſententiam depromens "alios (qvomodo poſtrema ejus verba à te citata habent) ſuo ta"men abundare ſenſu concedit. Qvod & ego in re præſertim "tam obſcura & à memoria noſtra tam remota adeoqve docu"mentis propemodò omnibus, qvæ fidem adſtruant, deſtituta, "ſeqvutus, & hæc & his priora ita in medium affero, ut in me"dio etiam relicta velim, donec adducantur certiora. Et dum "hic ſumus, ne qvod domi nobis eſt, foris præpoſtere qvæſi"viſſe arguamur, ipſam, qvo hi ludi peraguntur, menſis no"menclationem vernaculam inſpiciamus nonnihil propius. Et "ecce Decembri, ut dictum, menſe cum inchoäntur ii ludi, & "in duodecimum Januarii continuentur, rectè, ut habet *Beda*, "antiqvitus non December modò (qvi Danis nobis *Julemaanedt*, "Svecis eſt *Jylamonat*) ſed & December & Januarius *Gvili* ſive "*Gvilemaaned* Anglis eſt appellatus, idqve, ut idem *Beda* re"ctiſſime addit, à Solis converſione. Eſt enim *Guili* ſive *Wiel* "hodieqve Theutonibus omnibus *rota* ſive *orbiculus verſatilis*, "& *Wielinge*, *vortex*: Dani literarum levi metatheſi, ſimiliter "rotam, & qvicqvid in orbem convertitur, Hiul dicunt: ut ita "Anglorum veterum *Guilmaaned* & Danorum *Julemaanedt* "ſive *Hiulemaanedt* unum idemqve ſit, utpote cum ejusdem "uterqve gentis Angli Daniqve, qvod alibi eſt demonſtratum, "ſit populus. Plebes verò ceteriqve paſſim, qvia hoc ferè "tempore à laboribus ad ferias ſe transferant, ſed tota prope"modum bruma luſionibus ac plauſibus ſe oblectent, aliorſum "vocem *Jule* traxerunt, & eâ lætitiæ exercitia omnia ac jubila"tiones feſtivitatemqve expreſſas voluerunt. En qvam ſimplex "oratio veritas! Et abſqve *Beda* fuiſſet, qvi hucusqve ſiniſtra "aliorum interpretatione intellectus hac parte non eſt, hoc "egregium antiqvitatis monumentum in obſcuro etiamnum "delituiſſet. Qvamvis haud diffitear non diſplicuiſſe alias no"bis ad Solis ſtationem ſeu qvietem eam vocem referre, qvod "& ſolſtitium hybernum eo tempore ſit, & Hvile qvieſcere etiam "Danis ſignificet: à qvo nec abhorruiſſe popularem noſtrum "eruditiſſimum *Wormium* comperior. Verum ab ea recedere "ſententia me *Beda* fecit, qvi diſerte à Solis non ſtatione, ſed "converſione deducit, ad eam ſcilicet Solis τροπὴν ac reflexio"nem, ut videtur, reſpiciens, qvæ in Tropico Capricorni ſit, "dum ibi ſe ſol ab imo ad ſuperiora convertit ac erigit: cum &

"tre-

opicus, & τροπὴ vox nihil qvoqve aliud qvam *converſionem* otet, ut pueri norunt. *Scaliger* præterea in *Beda* Anglo-Saone non *Giuli* legiſſe videtur, qvod nec aliter qvam ... vertit, Bedam ſeqvutus, ut eſt videre in libris ejus de *mend Temp. lib. 2. p. 163 &c.*

Huc uſqve *Pontanus*. Qvod *Literaturam* tuam *Runicam* inet, cujus mihi ideam miſiſti, nihil certe reliqvi feci ad nimam diligentiam, qvo anxiè conqvirerem, qvæ id arguenti ſpectarent; ſed fruſtra fui. Memini qvidem nuper in *yptographia Guſtavi Seleni* legiſſe me *Alphabetum* unum aut trum, qvæ à forma Runicarum non longe abeunt: verum a liber ille hoc tempore ad manum non fuit, nihil magis aperti de iis referre potero. Nova qvæ ex his oris nunciem, adeo multa occurrunt. Nam de *Buckingamio* Heroë, qvem è ſeculi noſtri Sejanum fuiſſe dixeris, ante menſem in Anglia erfecto, qvin inaudiveris nullus ambigo. De privatis meis ous qvid poſſum aliud, qvam qvod non mihi ſolum, ſed & vis bono lachrymas exprimat? Ita heic vivo jam totum ferè ennium longa promotionis aut melioris conditionis ſpe falſus, dulciſſime patriæ incredibili deſiderio tantum non enectus. nam utinam emergat tandem, qvi mei rationem aliqvam hare velit! ni mature fiat, de me meisqve ſtudiis actum propedum eſt atqve conclamatum. Te igitur unice qvæſo, Clariſſ. Doctor Wormi, ut me per occaſionem Magnifico Dn. Canlario Regio, qvi haud novit Muſarum conſecraneos ſuo ore deſtituere, ſerio ſeduloqve commendes, ſæpiusqve Illi tiam & amorem, qvo Parentem meum beatiſſimæ memoriæ ſeqvi ſolebat, in memoriam revoces; ut nempe idem in um unicum ſuperſtitem redundet, qvi veſtigia Parentis preſſo de ſeqvi eum Deo conatur. Et ſic bene ac feliciter Vale atqve lve, Vir ampliſſime, cum conjuge dilectiſſima, liberisqve lciſſimis, à me ſalutatus qvam officioſiſſime. Lugduni Batarum, die XVI. Septembr. CIƆ IƆCXXVIII.

CLVIII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

Salutem & proſperitatem, cum diuturna vitæ rerumqve omnium ſoſpitate!

AMpliſſime Vir, Domine & Amice faventiſſime, qvod plus juſto diutius à conſveto ſcribendi officio mihi temperaverim, cum aliæ cauſæ fuerunt, tum rumor hic ſparſus de obitu dulciſſimæ conjugis tuæ *Dorotheæ Finckiæ*; qvem licet fortiter nonnihil, & ut hominem Chriſtianum decet, te tolerare nullus dubitarem, teqve ipſum eas tibi conſolationes ſubjicere atqve apud animum tuum proponere exiſtimarem, qvas vel Θεόπνευστα illa ſcripta vel veterum ſapientum monumenta nobis ſuppeditant; tamen ne vulnus nimium recens nondum obductâ cicatrice refricarem, expectandum cenſui, donec longinqvitas temporis dolorem tuum paululum molliret atqve minueret. Sed heu nimis validam Naturæ legem, qvæ nulli neceſſitatis ſuæ gratiam facit! Proh miſeram mortalium ſortem, qvæ luctum luctui jungere non ceſſat, & qvotidie novam lachrymarum materiam ſuggerit! Amiſit etenim nuper Academia patria incomparabilem Theologum, tu verò Affinem & Collegam conjunctiſſimum, fama ſuper æthera notum virum, *D. D. Caſparum Bartholinum*: cujus in morte tota qvoqve Respubl. literaria ingentem profectò jacturam fecit. Inſuper allatum eſt nobis, luem peſtiferam tenui ſub initium noxa graſſantem nunc magis magisqve vires exerere, & indies apud vos juvenum ſenumqve denſari funera. In qva tam triſti rerum facie qvum vos omnes & ſingulos animo plane conſternato & perturbato eſſe probe intelligam, non poſſum qvin intempeſtivæ ſcriptioni, qvam neceſſitas extudit, veniam, qva par eſt modeſtia, à te expetam. Occurrebat namqve hoc tempore negotii qvidpiam, in qvo expediundo tua opera ſummopere indigebam: qvam idcirco, fretus ſingulari humanitate tua, te neqvaqvam mihi denegaturum confido. Nempe varios hosce de regnis & provinciis Aqvilonaribus tractatus uno faſce collectos rogatu *Elzeviriorum* edendos curavi, & Filio Magnifici Dn. Cancellarii in fidem obſervantiæ & cultus devotiſſimi dedicavi. Eorum exemplum

plus unum aut alterum, prout heic cernis compacta, peramanter rogo, ut Magnifico Domino Cancellario meo nomine verbis officioſiſſimis de manu in manum tradas, eiqve me meaqvè ſtudia ſedulo ſerioqve commendes. Qvod tuis literis adjunctum eſt, tibi dono transmitto, & boni ut conſulas, obſecro. Præterea hac æſtate nihil hoc loci typis mandatum ſcio, qvod lectu dignum ſit. Alioqvin Hollandis omnia ex voto ſuccedunt. Weſaliam munitiſſimam ad Rhenum civitatem, & commeatu inſtructiſſimam milites Ordinum feliciſſimo qvodam ſtratagemate, ac unico qvidem ſuorum amiſſo, ante octiduum occuparunt; potiti ibidem opima, & qvam verbis vix datur exprimere, præda. Buſcoducenſes obſidionem diuturniorem neqvaqvam ſuſtinere poſſe videntur; præcipue qvum ſumma inopia pulveris pyrii, ut transfugæ retulerunt, premantur, & jam Princeps Auriacus ſuis munitionibus ipſis mœnibus urbis immineat. Cameracenſe oppidum in finibus Galliæ a Regis fratre valida obſidione cinctum perhibent. Deo ſit gratia, qvi noſtram patriam à bellicis iſtis tumultibus reſpirare fecit, donata pace tam firma, ut nullis poſthac machinationibus facilè reſcindi poſſit. Cæterum ne detineam te alias ſatis occupatum, divinæ protectioni commendatum bene & feliciter valere ex animo precor & exopto. Lugduni Batavorum, a. d. XVIII. Auguſti cIↃ IↃcxxix.

CLIX.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

Leidam.

Alteras tuas, qvibus nondum à me reſponſum, 6. Septembris una cum faſciculo probe accepi. Sed prioribus qvod nondum reſponderim, cauſæ fuerunt, mihi heu nimis graves, tibi ſat notæ, qvas recenſere dolor vetat. Interim ut animum à tuo amore non mutatum agnoſcas, qvantum calamitates noſtræ patiuntur, utrisqve hiſce ſatisfaciam. Priores itaqve qvod attinet, ex iis abunde Clariſſ. *Pontani* in me colligo affectum, ac non poſſum non tantam exoſculari humanitatem, qva, ſepoſito aliqvantisper graviſſimo hiſtoriarum noſtrarum negotio, nugas noſtras tanti facit, ut iis etiam aliqvantum operæ tribuere haud dedignetur. Gratias igitur Viro Celeberrimo habeo ingentes &

tibi

ſibi inprimis utriusqve interpreti candido, ac, ſi & præſentia negotia qvotidiana Academica ferrent, brevibus tibi, qvid in ejus deſiderarem amœbæa, exponerem. Sed hæc, nulla contradicendi libidine, ſed ex amicæ collationis officio, grata mente indicaturus, te horum arbitrum conſtituo. (1) An Plinii liber 31. & cap. 7 à me citatum, annon potius *Theophraſti?* (2) An de collo avellanarum apud *Plinium*, an vero de *Julis* inter nos qvæſtio? Qvid ſit, vernum tempus inſtare poſt celebrationem *Juliorum?* *Julii* vocem lætitiam indicare, inter nos ratum, ſed qvæ ſit origo vocis *Jul* in Dania? qværitur. Gratum de voce *ὥρας* monitum, ſed qvâ aera Latinorum propius, tam quoad literas, qvàm rem eandem ad nos accedit. His in medio relictis, mearum rationum exceptiones fuſius expenderem, niſi ab inſtituto & ſtudiis meis planè eſſet alieniſſimum. *Tychonis* autoritatem in Aſtronomicis ut merito ſuſpicimus, ita illiberale judico tantam in hiſce ei tribuere majeſtatem, ut aliorum gravibus rationum fulcris innixas ſententias ſuo verbo evertat. Barbaris iſtis Rhythmis probationis loco qvod uſus fuerim, non mirabitur Vir eruditiſſimus, cui rerum noſtrarum ſtatus eſt cognitiſſimus. Primo namqve ſeculo nihil literis, ſed omnia relationibus propagarunt Scaldri noſtri; ſeqventi vix monumenta qvædam characteribus patriis exſtant; hoc qvod excepit, barbarum eſt & monachale (cui hos acceptos fero) a qvo, qvicqvid literæ noſtratium de antiqvitatibus ſuggerere poſſunt, hauriendum; qvod licet verbis incultum, rebus tamen non plane ſterile animadvertimus & ut, qvod ſentio, dicam, mihi omnes exteri, imò ipſi Græci & Romani literatiſſimi, dum de noſtris diſſerunt rebus, magis ſunt ſuſpecti, qvam barbariſſimus Monachus aut rudiſſimus agricola noſtras Hoſtes enim noſtri erant, alienæ gloriæ oppreſſores, ac non niſi inviti ac ignominioſe maxima ex parte de nobis ſunt locuti. Sed qvæ tanta hic contradictio, *Gothi non dabant cenſum Cæſari, ergo in ejus honorem nec Jul celebrare poterant?* Belgæ cenſum Hiſpanorum regi non ſolvunt, ergo nihil in ejus honorem aut faciunt aut fecerunt unqvàm. Tu judica. Valde metuo, ne infinitas Regum noſtrorum res geſtas, imo Reges ipſos eliminaturus ſit Hiſtoricus noſter, ſi famam, Scaldrorum relationes & indigenarum monumenta, a qvibus maximam partem ſuorum *Saxo* noſter Clariſſimus ſe mutuatum eſſe ingenue fatetur, tantopere culpare annitatur.

Qvod

Qvod nec Cæſar, nec alii, qvi res Cæſaris ſcripſerunt, aliqvid tale, non mirum. Etiam hodie Hiſtoricorum hic mos, ut nil ſcribant, niſi qvod ad Principum ſuorum ſpectat laudem. Fateor, claſſica non eſſe externa qværentibus, qvæ de origine *Juliorum* protuli, nec erunt forſan omnia in Hiſtoria noſtra Danica, ſi indigenis de ſuis differentibus rebus fides adhibenda major, qvam exteris, hoſtibus, invidis, rerum aqvilonarium imperitis. Infinita ejus generis â noſtratibus hauriret *Pontanus*, qvæ forſan noſtræ hiſtoriæ lumen adderent haud exiguam, ſi modo claſſica. Sit ita, per Cajum Cæſarem Caligulam intelligi. Qvid ad minas in ora Oceani lectæ conchæ, de qvibus nihil eo in loco *Svetonius* (circa Rhenum in meo codice non inveni) qvid ad bella Cimbrica, qvibus Cimbros terrere aggreſſus eſt? Qvid expeditio Britannica ad Cimbriam? De variis ludibriis apud Hiſtoricos extare documenta non dubito. Sed de eo qværitur ludibrio, qvod Cimbrica expeditio Cæſari minitanti peperit: de qvo locis adductis ne gry qvidem. Saturnaliorum tempus, qvod coincidit cum tempore noſtrorum *Juliorum*, plus facere arbitror ad receptam opinionem ſtabiliendam, qvam *Julorum* cantus ad contrarium evincendum. Qvæ de Saturnaliorum ut & aliorum origine differit, nihil ad rem faciunt, cum de iis inter nos nulla qvæſtio. Etymologiam vocis *Giuli* ſuperſtructam voci *Wiel*, qvam Teutonibus rotam ſeu orbiculum verſatilem denotare ait, non ſatis capio. Ego qvamdiu apud Teutones verſatus ſum, Rotam ein Rad eos vocare audivi, & etiamnum aliud nihil expiſcari potui. Qvocirca non animadverto ſimplicitatem, qvæ tanta indigebat exclamatione. Qvod ſi à converſione cum *Beda* deductum concedit, utiqve ab ea converſione, qvam ſolſtitialis vulgo putata qvies producit. In poſtrema editione, qvam non vidi, legat forſan *Scäliger Guili*, in prima *Giuli* inveniet. De voce tantillâ tantos non excitabo ſtrepitus nec criticam movebo camarinam, ſed rebus ipſis melius qvam in his collocabo & incolumitati humanæ inſervientibus bonas horas, qvas debeo. Et qvia improviſa hæc de vocula diſceptatio ad literas me detrudit, malo ex *D. Pontano*, utpote in hiſce a puero, ut videtur, exercitatiſſimo diſcere, qvænam fuerint veræ figuræ literarum, qvas Rex *Chilpericus* alphabeto vulgari ſuperaddidit. Illæ enim, qvæ á *Melchiore Goldaſto Tomo primo Collect. Imperial.* adducuntur, mihi valde ſunt ſuſpectæ ob cauſas, qvas ipſe, ubi textum diligentius inſpexerit, facile animadvertet. Vides, ut præter opinio-

neri ac præter mentem ad hæcce me demittam, ne Cla
Pontani eruditiſſimas ſpreviſſe videar animadverſiones.
Virum optimum ſaluta, & gratias age. Ad poſteriores
niam, pro transmiſſis elegantiſſimis de patria noſtra opuſc
præſtita inſigni opera, gratias non ago ſolus, ſed omnes no
meritò tibi debent ingentes; optandumqve foret, ut alii
reſtant, pari aut alio typorum genere exteris communicar
M hi certe ſunt qvidam hujus cenſus, partim MSS. nun
editi, qvos libens in hunc finem tibi ſuppeditarem, ſi ty
phus qvorundam exemplarium remuneratione meam æ.
operam, ūtqve, qvi ſint, ſcias, Catalogum mitto. Sed p
Chronologias & notas marginales qvorundam, *quarta*
octavam majorem reqvirere videntur formam. De his
& typographi reſcrivero mentem, faciam, qvod commodi
debitur. Tu codicem tuum nobis haud invide. Canc
tradenda, optima fide, curabo, ubi commodior ſe obtule
caſio; hinc enim ob luis peſtiferæ ſævitiam migravit, ne
Hafnienſes, contagii metu, admittit: aut igitur differam
ventum, aut per *D. Brochmannum*, qvi Roeskildiam mi
ipſiqve familiaris eſſe ſolet, curabo. Tui cæteroqvin,
occaſione commodà, haud immemor ero. Edidi non i
dem, qvorundam rogatu, *Monumentorum* noſtrorum ſpe
qvod mitto. Boni conſule, &, ſi lubet, cum *Pontano* co
nica, ejusqve, ut ſoles, de his mentem explora. Vale.

CLX.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Johannis.

Leidam.

Faſciculum tranſmiſſum probe accepit Magnificus Do
Cancellarius, utqve gratum fuiſſe agnoſceres, haſ
actutum ut darem, juſſit, qvibus vult, prima qvaqve co
ditate domum te ut conferas. Qvantum ex ipſo intellig
tui, noſtra tantum obtinuit commendatio, ut vacanti
Academia Sorana Profeſſioni Eloqventiæ operam tuam d
tam cupiat. Res tuas ut eò melius componere valeres
D. Plumio hac de re contuli, qvi tibi operam omnem p
ſpopondit. Veni igitur, qvam poteris celerrimè, ne

hunc alius præripiat; coram à Magnif. Dno. Cancellario pleniorem Summi Magiſtratus voluntatem hauries, & à me interim animum tuis ſtudiis & honoribus dicatum exſpectabis. Dabam celerrimè Hafniæ, m. Octobr. 1629.

Adami Bremenſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam, editionis Lindebrugianæ, mihi ut compares, exopto; cum veneris, pretium gratus ſolvam.

CLXI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Johannis.

Soranum.

HAſce ad te ut exararem, in mandatis dedit Magnificus Dominus Cancellarius, qvibus, prima qvaqve commoditate te huc ut conferas, expetit, de variis ad res noſtras Danicas ſpectantibus tecum, ni fallor, collaturus. Qvin igitur ipſius exſpectationi meisqve monitis ſis reſponſurus, minus ambigo. Vale. 1630. menſe Majo.

CLXII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio S.

Ampliſſime Vir, Domine & Amice reverenter colende.

EFfluxit poſt triduum tempus illud, qvo me ea diligenter expediturum, qvæ meæ fidei commiſerat Magnificus Dominus Cancellarius, ſeriò promiſi. Cujus mandatis, qvantum in me, eâ, qvâ par eſt, dignatione & obſeqvio obſecundare, hactenus, teſtor Deum, omni ope conatus ſum. Sed variæ interea occupationes, qvæ præter ſpem & exſpectationem inciderunt, ab inſtituto meo me transverſum abripuerunt. Ut qvotidianas Prælectiones, & alios labores, qvos ratione muneris Nobiliſſimæ juventuti unicè conſecrare neceſſe eſt, ſilentio inpræſens tranſmittam; non exiguum temporis itineri meo Arhuſienſi impendere coactus ſum, qvod & ipſum haud levis negotii cauſa à

 me

me ſuſceptum, vel me tacente, ipſemet facile conjicere p
Adde qvod ad imminentem ſeptimanam, ipſa honeſtate jul
nuptiis cognatæ cujusdam meæ in Lalandia intereſſe cogor
nullum mortalium arctiori, qvam me, ſibi neceſſitudini
culo conjunctum habet. Qvæ cum ita ſint, omnibus abs t
cibus contendo, ut, ſi qvando per te Hafniam arceſſere n
fuerit Magnificus Dominus Cancellarius, qvod propedie
turum nullus ambigo; velis tua benevola interceſſione, &
videtur, his qvoqve à me jam adductis excuſamentis, an
ejus binis jam vicibus ſpe ſua fruſtratum mulcere, ne ſ
qvippiam de mea diligentia ſuſpicetur, neve hæc mora,
ego culpam minime præſtare poſſum, ex gratia ipſius me
bet. Inſuper fac eum exores, ut porro menſtruum mil
tium penſo abſolvendo indulgeat. Eqvidem ſpondeo, D
vente, me operam daturum, ut hæc qvaliscunqve tardita
eris injuncti exoptata conſummatione compenſetur. Per
vero ſacra te obteſtor, ne reſciſcat Dominus Cancellarius,
tibi nonnihil de negotio hocce noſtro, & qvid elabora
mihi concredidit, nuper, cum ad vos inviſerem, indicav
Nam tantum non jurejurando me illius Generoſitati obſt
ne uſpiam mandata ipſius emanarent. Itaqve ſi occaſio t
ut de his mentio fiat, dic te intellexiſſe, Magnificent.
opera mea in Hiſtoricis qvibusdam colligendis documenti
poſterum uti decreviſſe. Fac, qvæſo, eum te heic exp
qvem ſemper te mihi præbuiſti, ſincerum amicum & a
commoda propenſiſſimum. Hafniæ jam hæret Cl. Vi
D. Laurenbergius, cui literas ad me tuas tradere poteris. I
meos in adventum meum reſerva. Bene & feliciter V
Salve, optime Amicorum, una cum dilectiſſima Conjuge
beris dulciſſimis, divinæ protectioni æternum commen
Soræ die VII. Octobris, CIƆ IƆCXXX.

Nomenclatorem his adjunctum velim exhibeas meo nomine Magnifico Domino Cancellario, qvem inter Schedas Parentis mei τοῦ μακαρίτου repperi. Spero non ingratum futurum.

CLXIII.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Johannis.

SCripſeram ad te cum eodem, qvi *Nomenclatorem* exhibuit, ſed qvia promiſſis non ſtetit de meis tibi reddendis, adhuc apud me latent. Hæc autem volebam, me *Nomenclatorem* Magnifico Cancellario exhibuiſſe, qvi Parentis operam & induſtriam laudabat. Moram, qvam tibi indulgeri volebas, ultro conceſſit. Qvin hodie cum tuas, per *Jacobum Matthiæ* mihi traditas, ei offerrem, ac ſi qvid tibi reſponſum cuperet, expeterem, intellexi, idem in iis tractari negotium, qvod mihi commiſiſti. Juſſit igitur, tibi ut ſignificarem, ſe adventum tuum certò præſtolari, abhinc tribus aut ad ſummum qvatuor ſeptimanis. Interim Epiſtolæ tuæ & ſtilum & picturam laudabat, unde ego occaſionem, tuos conatus dilaudandi, arripui, ſatis commodam; ut ſperem, te tandem experturum, me fidi amici probe defunctum eſſe munere. De *Saxone MSS.* cum ipſo locutus ſum, ſed nunqvam ſibi ejus factam copiam fatebatur. Inſtitutum interim tuum valde probabat, de qvibus forſan tecum coram. Libros tuos in adventum ſervabo; ac qvas tibi tradidi *Arngrimi* notas, ut una feras exopto; reddenda enim mihi ſunt Bibliothecæ Academicæ, è qva, ubi uſus reqvirit, ſine omni negotio obtinebis. Vale. 1630.

CLXIV.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

Πλεῖθυγίειαν!

CLariſſime Vir, Amice reverenter colende, ut fidem meam apud te liberem, en ad te mitto inpræſens *Chronicon* illud *Norvagicum*, qvod me propediem communicaturum, qvum proxime vobis adeſſem, coram promiſi. Videtur autem hoc idem Chronicon multa ſub initium continere, qvorum laborat

omni-

omnino fides, qvæqve inde ab ultima repetita antiqvitate Poëticis magis affinia ſunt fabulis, qvam incorruptis rerum geſtarum monumentis & documentis. Seriem tamen Regum Noricorum fortaſſe non inconcinniter explicat: qvo de tuum erit judicare. Des mihi veniam qvæſo, qvod faſciculo iſto literarum *Arngrimo Jonæ* ſcriptarum tibi negotium faceſſerim: qvem licet nullus ambigo per te rectè curatum eſſe, tamen vehementer ſcire diſcupio, num mercatores ad toto diviſos orbe Islandos abnavigaverint, vel nondum oram ſolverint. Benè & feliciter Vale ac Salve, optime Amicorum, una cum conjuge dilectiſſima liberisqve dulciſſimis divinæ protectioni æternum commendatus. Soræ, a. d. V. Maji cIɔ Iɔcxxxi.

CLXV.

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

D. Olao Wormio.

Salutem & proſperitatem à Deo ter Opt. Max. perpetuam!

EVolvi diligenter rogatu tuo, Affinis honorande, luculentum illud & perelegans Opus *Monumentorum Danicorum*: in qvo eqvidem nihil planè reperire contigit, qvod mea qvaſi ſymbola & illuſtramento indigeret. Abunde etenim à te dicta ſunt, qvæcunqve tandem id genus argumenti concernunt. Locum ſaltem *Saxonis* noſtri, cujus apud te mentionem nuperè feci, ad rupis Haraldianæ majorem lucem, in margine libri tui, adjungere placuit. In Monumenti verò inſcriptione, qvod *Gormo* Rex conjugi ſuæ *Thyræ* poſuit, ultima illa verba TANMARKER BUT, expono DANMARKIS BOTH ſive BOED. Optima namqve Reginarum *Thyra*, ob præclara in patriam merita, vulgari & inſigni cognomine DANEBOTH, vel DANEBOD, dicta eſt: qvomodo apud *Wellejum*, *Lyſchandrum*, & alios legere eſt. Facilis autem vocis BUT in BOTH aut BOED flexus eſt. Sed hæc tantum mera eſt conjectura mea, qvâ nihil tuæ derogatum ſententiæ volo. Pluria certè non occurrebant in tam terſo ac limato Commentario: qvem ne diu Reipubl. literariæ invideas, per amicitiæ te noſtræ genium rogo atqve obſecro. *Chronicon* illud antiqvum *Rhythmicum* de Regibus Daniæ, cujus etiam

etiam proximè memini, eo nomine ad te nunc tranſmittendum duxi, ut ſi aliqvo laboret defectu, Amanuenſi tuo, ex tuo exemplari, eum ſupplendum committeres. Benè ac feliciter Vale, mi optime Domine affinis, una cum uxore dilectiſſima, divinæ protectioni æternum commendatus, & a me pariter ac mea *Annula* ſalutatus verbis officioſiſſimis. Soræ, a. d. XXVI. Martii, cIↄ IↄcxxxII.

CLXVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio S. D.

Clariſſime Vir, Affinis ſumma mihi ſemper obſervantia colende.

LIbrum inpræſens ad te mitto, cujus nupere mentionem feci. Codex videtur eſſe *Legum Norvegicarum* lingva Islandica conſcriptarum: qvibus ſubjunctum extat, ni fallor, *Chronicon Regum Norvegiæ*. Tuum jam erit de Opere hoc judicare, & cujus ſit momenti, benevolè mihi indicare. Nam forſitan carbones pro theſauro inveniemus. Cæterum totus nunc ſum in deſcribendo Epicedio, qvod cantator funeris ipſe ſui *Regnerus Lodbrock* edidiſſe fertur. Certè auro mihi contra carum illud eſt: & ex animo exoptarem plures ejusmodi extare Cantilenas, qvæ Hiſtoriæ *Saxonis* noſtri lucem aliqvam afferre poſſent. Qvid multis? Inter legendum tam inſigne Antiqvitatis monumentum, tantum mihi lingvæ Islandicæ addiſcendæ obortum eſt deſiderium, ut continere me non potuerim, qvin Declarationem iſtam verborum, qvam Paraphraſi Danicæ adjungere ſolet *Magnus* iſte *Olavius* ſimul, (qvod te fiat volente) deſcriberem. Inprimis vero abs te contendo, ut ſi penes te ſit Nomenclator vel Lexicon Islandicum, (qvomodo nullus ambigo) ejus mihi copiam facias: aut ab Islandis petas, ſi qvi illic bonis dent operam literis. Rem profecto gratiſſimam mihi præſtiteris, qvam nullo non viciſſim officiorum genere demereri conabor. Benè & feliciter Vale atqve Salve, fugientis Antiqvitatis verè ſtator Jupiter, eximiumqve patriæ decus, una cum puerpera uxore, liberisqve dulciſſimis, divinæ protectioni ſerio commendatus; & me porro amare perge, qvi te æternum. Soræ, a. d. XXVI. Septembris, cIↄ IↄcxxxIII.

CLXVII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Johannis.

Soram.

QVem mittis codicem, inſpexi; *Leges* continet *Norvagicas*, & *Hiſtoriam S. Olai*, cujus mihi eſt copia, cujusqve ſummam invenies in *Hiſtoria* à me edita. Mitto tibi *Nomenclatorem Islandicum*, cujus ubi te ceperit ſacietas, remittere vales; ſed parum tibi in Lingva priſca diſcenda profuerit; hoc enim idioma, qvo vulgo utuntur, diverſiſſimum eſt à priſco & Poëtico, qvod ipſe experieris. Cuperem remiſſam *Cabeljavii* mihi inſcriptam epiſtolam, qvam *Meurſio* legendam dedi; data commoditate monebis. De *Cypro* fruſtra ſumus; figmentum Monachorum arbitror. Nec enim crediderim eos, ante obitum *Erici*, aut mortuos incolas combuſſiſſe, aut aqvis merſiſſe. Præſtabit hæc in gratiam Auctoris tacite præterire. Vale. Dabam feſtinus 28. Sept. 1633.

CLXVIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio. S. P.

Ampliſſime Vir, Affinis & Amice ſumma mihi obſervantia colende.

CUm opportuna adeo ad te ſcribendi occaſio emergeret, non potui qvin Epicedium illud, qvod Rex Daniæ victorioſiſſimus, *Regnerus Lodbrog*, ipſe funeris ſui cantator, olim ediſſe fertur, non ſine debita εὐχαριςίᾳ reſtituerem. Inſigne certe hoc eſt Antiqvitatum Danicarum monumentum, & qvod illuſtrandæ Hiſtoriæ Saxonis noſtri, ubi ſcilicet res geſtas *Regneri* iſtius attingit, apprime inſervit. Et ingenue olim, ſi Deus mihi ſuppeditaverit vitam, profitebor facilitatem juxta ac humanitatem tuam ſingularem, qva rarum adeo κειμήλιον mecum communicare dignatus es. Inprimis autem velim animum advertas

rtas ad Rhythmos illos *Fanicos*, ut vocat *Magnus Olavius*, qvi
bentur pagina circiter VII. & examuſſim reſpondent verſibus
nnullis *Saxonis*, qvi extant *Lib. II, pag.* 29. Editionis Franco-
rtenſis. Nam vide:

Vake æ og vacke - - Vina hoffudt
Ullr enn ædſtu - - ædil Sueinar
Vek jeg ydur at vine - - ne ad Viſſ runu
Helldur vek jeg ydur - - ad hordum hilldar leike.

s ita reddit *Saxo*, loco dicto:

Ocyus evigilet, qvisqvis ſe Regis amicum
Aut meritis probat, aut ſola pietate fatetur:
Diſcutiant ſomnum proceres ———

mox:

Non ego virgineos jubeo cognoſcere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oſcula conferre, & tenues aſtringere mammas:
Non liqvidum captare merum, tenerumve fricare
Fœmen, & in niveos oculum jactare lacertos:
Evoco vos ad amara magis certamina Martis.

Hos, inqvam, Rhythmos fragmentum eſſe puto integri
ius Colloqvii inter *Hialtonem* & *Biarconem* inſtituti, qvod in
xone ſeqvitur, usqve ad finem *pag.* 34. Et nullus dubito,
in, ſi totos haberemus, faciſſimo negotio eliceremus mentem
xonis de *Chelis* iſtis, qvæ tantopere nobis crucem figunt. Nam
rum ſit mentio qvoqve in iſto Dialogo. Imo *Magnus Olavius*
rki (qvi *Saxoni* Biarco eſt) *Sermones* ibidem appellat. Qvam-
rem enixè abs te contendo, ut in literis ad *Olavium* tuis, data
caſione, de reliqva parte Rhythmorum iſtorum diligenter
qviras; & ſi haberi poſſet, ad te transmitti defectum iſtum petas.
rrò ſi Mercatores, qvos ex Islandia rediiſſe intellexi, Anti-
itates qvasdam melioris notæ attulerint, fac, qvæſo, earun-
n me participem reddas. *Nomenclatorem Latino-Islandicum*,
us mihi uſum conceſſiſti, nunc ſimul remitto. Bene & feli-
er Vale atqve Salve, magnum patriæ ornamentum, & me,
cœpiſti, ama, qvi te æternum. Soræ, a. d. XII. Novembr.
no Chriſti cIↃ IↃcxxxIII.

CLXIX.

CLXIX.

OLAUS WORMIUS,

Stephano Stephanio.

L*Odbrogianum Epicedium*, ut & *Onomaſticon Islandicum* mihi probè ſunt reddita; nec eſt, qvod tantopere pro ii gratias agas; noſtine, ſi qvid pener me fuerit, qvod præclari tuis conatibus inſervire poſſit, me nunqvam negaturum. Jucundiſſima mihi fuit tua de *Fanicis* rhythmis obſervatio; exactiſſime in ea, qvæ habemus, qvadrare *Saxonis* verſionem, nemo negaverit, & hoc ipſum innuere videtur *Saxo*, dum rationes reddit, cum ligata hæc recites oratione. Nec dubito, qvin, ſi integra illa extaret cantilena, præclare ad rem faceret. A *Magno Olavi* hoc anno nihil niſi nudas literas habui, qvibus ſe variè excuſa & in ſeqventem annum pollicetur centuriam *Cantionum*, qva collegit ex *relationibus Jarlorum Orcadum*. Inſtante vere, non deſinam, etiam de hoc *Biarcbamal* monere. Qvod verò ſtropham hanc inter reliqva explicatam tranſmiſerit, cauſa eſt, qvod eam inveniamus in *Hiſtoria Norvagica* tantopere commendatam, (vide *pag. 299.*) nec qvisqvam fuit, qvi interpretem ageret ad eum igitur tranſmiſſa, hoc, ut vides, modo illuſtrata rediit Omnem interim movebo lapidem, ut integrum hoc habeamu Poëma, ſive ab illo, ſive ab aliis. Interim vive, & vale, Affini Optime. 17. Novembris, 1633.

Lodbrogi Epicedium, ubi toga donaveris Latina, mitte qvæſo

CLXX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Clariſſime Vir, Affinis & Amice ſumma obſervantia colende.

EXcuſſi diligenter omnes forulos Bibliothecæ meæ, & omni feci qvo petitioni tuæ ſatisfacerem. Verum paucas omnino inſcriptiones ea nobis ſuppeditavit, præſertim qvæ Runici literi

literis, aut characteribus aliis peregrinis, exaratæ eſſent. In magno tamen Opere *Inſcriptionum*, qvod *Gruterus* edidit, *Folio CXLII.* & ſeqventibus, una aut altera extat, qvas Eugubii in Umbria repertas tradit. Eas manu mea utcunqve deſcriptas ad te transmittere conſtitueram: ſed per varias occupationes non licuit. Qvod ſi ipſum Codicem expetis, prima qvaqve occaſione ejus tibi poteſtatem me facturum polliceor. Operæ ſanè pretium erit vidiſſe: ut, ſi placeant, libro tuo inſerantur. In *Hieronymo Rubeo*, qvi *Hiſtoriam Ravennatum* conſcripſit, inſcriptiones aliqvot reperiuntur; at omnes Latinis literis conſignatæ. De cætero ſolicitus ero, ne ullæ diligentiam meam effugiant, modo uſpiam ſeſe mihi poſthac offerant. Vale, præſtantiſſime Vir, una cum conjuge dilectiſſima, liberiſqve dulciſſimis, Deo æternum commendatus. Soræ, Poſtridie Cal. Martii, cIↄ Iↄc XXXIV.

CLXXI.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Salutem à Deo Opt. Max. perpetuam.

Mitto in præſens, Affinis plurimum honorande, ingens illud Opus Gruterianum; in qvo extare dixi inſcriptionem illam antiqvis & peregrinis literis exaratam. Ut facilius invenires, nec qværendo te fatigares, chartam inſerui, qvam vides à *pag.* CXLII. ad CXLVIII. Adjunxi *Cambdeni Britanniam*; qva ubi ex voto uſus fueris, velim D. *D. Plumio* meo nomine reſtituas. Literas *Cabeljavii Meurſius* nunc una remittit, teqve officioſe ſalutat. Si qvæ his in tua Pinacotheca extant ἀξιόθεατα, peramanter rogo ea mecum communicare digneris. Nam & varia ejusmodi colligendi cupido mihi inceſſit, præcipue qvæ raritas aliqva commendat. Ignoſce exangvi fronti: & unà cum uxore ac liberis Deo commendatus Vale atqve Salve æternum. Soræ, Pridie Calend. April. cIↄ Iↄc XXXIV.

CLXXII.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

QVum nuper in manus ſumerem *VENANTIUM FORTUNATUM*, eximium ſui ſeculi Poëtam, incidi fortè in *Epigramma XVIII. Libri VII.* qvod inter alia hunc verſum habet;

Barbara fraxineis pingatur Runa tabellis,
Qvodqve papyrus agit, virgula plana valet.

Ad qvem locum *Chriſtophorus Brovverus*, qvi poſtremam nobis *Venantii* editionem dedit. ita commentatus eſt: *RUNA qvid in univerſum eſſet, primum: inde, qvid hoc ſibi loco vellet, ægre ſum aſſecutus. Memorat in Batavia ſua Adrianus Junius ALIRUNAM priſcis fuiſſe mulierem fatidicam. ALI enim, ſive HALI, Jornande teſte, Gothis idem fuiſſe, qvod ſacrum, ut hodiè Germanis* Hailig; *RUNAM verò dictam à muſſando, &, ceu in ἀποῤῥήτοις, effando: id namqve Germanis eſſe* Rhunen. *Runa itaqve hoc loco cenſeri poſſet epiſtola arcano argumento ſcripta, & qvam, qvi mittit, enunciari non vellet. Re tamen mecum penſiculatius æſtimata, pro nota tanqvam HIEROGLYPHICA RUNAM accipi commode poſſe demum conſtitui. Certè Paulus Diaconus, is qvi Feſti Pompei Opera revocaſſe ad Epitomen putatur, RUNAM accipit teli genus. Unde Ennius, RUNATA RECIDIT. Qvare RUNAM fraxineis inciſam tabulis pinxiſſe dixerit barbaros qvando pro Epiſtola illis RUNA erat futura belli nuncia. RUNA vero cum aſpiratione legebatur in antiqvis libris.* Hactenus *Brovverus* Antiqvitatum noſtrarum plane imperitus. Qvæ ego nunc omnia tuam in gratiam deſcribenda duxi, ut ſi à te antea non ſint obſervata, locum fortaſſe inveniant in eruditiſſimo Tractatu tuo de *Litteratura Runica*: qvem utinam matûre dias in luminis oras emitteres! Bene ac feliciter Vale, Alpha amicorum, una cum conjuge liberisqve à me juxta ac mea ſalutatus verbis officioſiſſimis. Soræ, Poſtridie Calend. Mart. cIↄ Iↄcxxxv.

CLXXIII.

CLXXIII.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

FOrtunatum me judicavero, tuum ubi videro *Fortunatum Venantium*. Auctor enim eſt mihi nunqvam viſus, ſed tuæ ejus mihi ingeſſere videndi cupiditatem, ut ſine eo meas de *Runis* Meditationes mancas ac mutilas plane eſſe arbitrer. Locus, qvem mihi ſuggeſſiſti, elegans eſt, & meis cogitationibus in multis favens; utinam ejus generis invenires pluſcula. Gratias igitur ago ingentes, ut & pro conceſſa hactenus *Hvitfeldiana concione funebri*, qvam hac commoditate remitto. Ne verò grates rerum ſteriles me referre conqverare, ecce ad *Chelas* tuas mei *Magni Olavii* transmitto notas, minus tamen ad meum palatum. *Saxonem* ſi ad manum habuiſſet, longè aliter de hoc loco judicaſſet, qvamvis rara & non inepta dicat. Periêre naufragio, ab *Arngrimo* qvas hoc anno exſpectaveram. *Cantilenarum* accepi à *M. Clavio* decadas aliqvot, ſed ex relationibus Orcadicis maxima ex parte petitas. Ex *Lodbrogi Hiſtoria* unam atqve alteram, qvas cecinit, dum procum ageret, ſumpſit, non prorſus nullius momenti. Harum autem particeps eris præſens, aut ubi mittendi melior ſe obtulerit occaſio. Mecum hic aliqvoties fuit *Joh. Elichmannus*, Gothicæ lingvæ ſtudioſiſſimus, qvi impenſe meis delectabatur nugis; extorſit, & ferme deſcripſit univerſam meam *Literaturam*, qvod non invitus ei conceſſi, ſiqvidem valde dubito, an unqvam lucem ſit viſura. Per me non ſtabit, qvominus alii meis fruantur laboribus, modo in publicum Reipublicæ literariæ cedant commodum. Video enim, qvo me fata trahant. Interim, dum licet, mutuis operibus Patriæ inſervire non deſinamus. Vale & ſalve, mi affinis. d. 6. iduum Martii, 1635.

CLXXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

CLariſſime Vir, Affinis dilectiſſime, ignoſcas mihi qvæſo, qvod communicatas mecum Antiqvitates Islandicas in præſens

non reſtituam. Qvo etenim altius in earum penetro lectione eò ardentiore eas deſcribendi cupiditate inflammor. Id qv bona cum venia tua qvin fiat, nullus ambigo. Iſto verò labo profligato, Codicem me tuum integrum ac incolumem remiſſ rum polliceor. Nec ſpero hanc moram ægre laturum *D. Elic mannum*, cujus deſiderium bonis interim promiſſis demulce poteris. Cæterum peramanter te rogo digneris mihi locum iſtu luculentius exponere, qvi de Aqvila in dorſo alicujus oli figurata agit. Nam plane non capio, qvid ſit hand ſtack Sve dit a Hol vid Ryggen; item: och riſtide Reſſuen fra langs nede Tu itaqve hic mihi ſis Oedipus, & vel Danice, vel Latine me tem auctoris interpreteris. Inſignis profecto locus eſt, & appr me faciet illuſtrando *Saxoni*. De ſomnio, vel ſpectro, à ſag *Aliruna Marcomiro* Cimmeriorum Regi objecto, qvod habu tria capita, *Aqvilæ* videlicet, *Leonis* & *Bufonis*, adeundos eſ *Gagvinum* & *Munſterum* monet *Hieronymus Henninges* *Tomo*, qvi *familias* continet *regni Germaniæ & Galliæ, pag.* Si qvid inpoſterum obſervavero, qvod tuo inſervire qveat i ſtituto, lubens volensqve ſuppeditabo. Bene ac feliciter vale, Vi Bono patriæ nate, & me ama. Soræ, pridie Calend. Ma clↄ Iↄcxxxv.

CLXXV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

ANtiqvos iſtos Rhythmos, qvos mihi nuper utendos dediſ non ſine debita gratiarum actione remitto. Deſcriber qvidem animus erat, ſed propoſito meo anguſtia temporis, i qvam me aliæ occupationes coëgerunt, obſtitit. Qvod ſi ot abundantior aliqvando fuero, repetenti mihi te non denegatu rum confido. Multa profecto in iis mera mihi videntur ænigm ta, & qvæ me, præſertim veteris lingvæ Islandicæ planè imp ritum, ſuſpenſum habent. Sed utinam *EDDA* iſta, ſive Mytho logia iſtius gentis, benignior me fortuna bearet! Fortaſſe me e multorum locorum labyrinthis educeret, & in Cimmeriis tan abſtruſarum rerum tenebris illuſtre lumen præluceret! Inſcri ptionis Runicæ, qvæ in ſaxis Jellingenſibus extat, interpret tionem

onem ut hac occaſione transmittas, peramanter rogo. *Siſtrum* monis Irlandorum *Harpam* eſſe juxta tecum ſentio. Vale, Vir miciſſime, & me ama. Soræ, IV. Majl, cIↃ Iↄcxxxv.

CLXXVI.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

bram.

Binis tuis hactenus qvod non reſponderim, gravitas effecit morbi, qvo, jam trium ſeptimanarum ſpatio, conflictatus um. Jam aliqvo modo divino favore eluctatus, non potui intius reſponſum ſuſpendere, ne ſiniſtri qvid ſuſpiceris, aut ab fficio amici alienum qvid committere me, conqveri valeas. *Tenantium* per Affinem *Drachardum* remiſi, qvem te accepiſſe on dubito. Gratias igitur ago maximas, paria relaturus, ubi ccaſio oblata fuerit. Qvod locum iſtum attinet de *Aqvila in orſo proſtrati figurata*, res ita ſe habet: Victor ignominia umma debellatum adverſarium affecturus, gladium circa ſcaulas ad ſpinam dorſi adigebat, coſtasqve, ampliſſimo facto vulere, utrinqve à ſpina ſeparabat; qvæ, ad latera deductæ, alas epræſentabant aqvilinas. Atqve hoc vocabant, *aqvilam in orſo alicujus delineare.* Hand ſtal Sverdet â hol ved Ryggen, .e. med Sverdet ſtal hand et Hull i Ryggen, og riſtede Reſſuen a neder, h. e. og ſaa ſkar Rygbeenene langs neder fra Ryggen, trykte dennem til begge Sider, at de ſad ſom twende Ørnevinger. Vel forſan aqvilina delineatio propterea dicta, qvod, cto tam amplo vulnere, viſcera interiora aqvilis & rapacibus liqvis volucribus devoranda & dilanianda exhiberentur. Los de *Alirumna Marcomiro* objecta dudum mihi viſus & annotas ex *Munſtero & Lazio*. Monumenti Jellingenſis major lapis ec continet:

Haraltr Kunugr bad Kaurva Kubl dauſt eft Gurm fadur aug eft Thiurni madur ſinaſa. Haraltr Keſſor van Tanurk, alla aug Nurvieg aug tini folk Kriſtno.

h. e. *Haraldus rex juſſit ædificari hunc tumulum in memoriam Gorminis Patris ſui & Thyræ matris ſuæ. Haraldus perator vicit Daniam, totam & Norvegiam, & earum incoad fidem Chriſtianam deduxit.*

Minus ſaxum hæc exhibet:

Gurmr Kunugr gerdi Kubl duſa eft Tarni Kunu ſina, Tanmurkur but.

h. e *Gormo Rex tumulum hunc Conjugi ſuæ Thyræ poſuit, qvæ Daniam ſtructuris exornavit.*

Edda non facile habetur, difficilius intelligitur. Vetuſtiſſimum in membranis exaratum exemplar, qvod apud me vidiſti, ab *Arngrimo* habeo; ſed ab ipſis Islandis, hic degentibus, non intelligitur. In lingva ipſa exercitato ad Poëmatum emendationem multum confert, ſed ad lingvam ipſam plane nihil. Hiſce, qvantum per valetudinem licuit, tuis reſpondere viſum. Vale. Hafniæ 25. Maji, 1635

Lodbrogi Epicedium, à te latina donatum toga, videre geſtio.

CLXXVII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum forte nudius tertius Catalogum iſtum Librorum, qvi proximis Nundinis Autumnalibus in Germania prodierunt, inſpicerem; non ſine ſingulari animi voluptate *LITERATURAM* tam *DANICAM* Wittebergæ excuſam tandem lucem aſpexiſſe deprehendi. Mirerne an indigner Typographorum noſtrorum ignaviam, qvi tam luculentum opus ſuis committere prælis detrectaverint? Vereor ne idem *Saxonem* meum maneat fatum; qvem & ego fortaſſe ad tuum exemplum exteris divulgandum tradere neceſſe habeam. O tempora! ô mores! Adeonè penes iſtos homunciones jam eſt laborum noſtrorum arbitrium, ut omnino ſupprimantur, niſi eos faventes habeamus? Verum gratulor patriæ noſtræ, cui non minus, qvam *FASTI* antehac tui, recens hoc ſcriptum decus conciliabit. Ejus ego Exemplar non dubito qvin mecum haud gravate communices: qvod & ipſum jure amicitiæ noſtræ & neceſſitudinis poſtulare videor. *Notas in Saxonem* meas affini noſtro *M. Jacobo* perlegendas ac cenſendas dedi; qvod ubi ex voto expeditum dederit, velim tu qvoqve in iis emendandis juſtas veri Ariſtarchi partes expleas. Vale, optime Amicorum, una cum conjuge dilectiſſima & tota familia

Deo

eo æternum commendatus, & à me juxta ac mea ſalutatus ver-
s officioſiſſimis. Soræ, a. d. XVIII. Novembr. cIↃ IↃcxxxv.

CLXXVIII.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

dem ferme mihi, qvod Tibi, accidit, Affinis ſvaviſſime. Ut primum *Literaturam* meam *Catalogo Lipſienſi* inſertam di, qvaſi Witebergæ excuſam, obſtupui, cum certus eſſem, huc apud me detinere Manuſcriptum, nec cuiqvam, qvi illud ſcribere potuit, tradidiſſe meminerim, præterqvam D. *Elichmano*, qvi per menſem unum aut alterum apud ſe detinuit; in imo Witebergenſes aut alios, præterqvam Svecos, Runirum literarum, qvibus excudi poſſet, non habere typos, certo ebam. Re igitur penſiculatius examinata, ex noſtratibus bliopolis qvendam adii, qvi id muneris in ſe ſuſcepturum dum promiſit, illiqve Catalogum monſtravi; qvi ſubridens, ait titulum Witebergam miſiſſe, ut catalogo insereretur, exploturus, an emptores habiturus eſſet liber. Interim ille ſpe me lat inani, ob chartæ penuriam, ſe nondum promiſſum præſtare ſſe prætendens. Vix credo, lucem viſuram; ni alia affulſerit benevolorum ſydera. Oportet, ut hanc cum reliqvis æqvo imo feramus jacturam. Mihi leve eſt, prævidere, mecum lucubratas noctes perituras. Egregiis tuis conatibus & laboris melius fatum exopto. Interim gaudeo, & gratulor, qvod isqve perductos videam, gratias ſimul agens, qvod eos vidi copiam mihi facias. Abſit, Ariſtarchi mihi in tam præro opere ſumam partes; Interim ubi ad meas pervenerit ma-s, ſiqvid exornando occurrat, monere non deſinam. Hiſce bus *Eddam* pervolvens, in *fabulam Ugartilochi* incidi, qvam de perlegi, ut, qvid cum *Saxone* noſtro haberet commune, erem; cumqve omnia non planè caperem, Islando cuidam, o diſcipulo, tradidi, ut in Lingvam transferret Latinam. l video plane aliam eſſe, nihil ad Hiſtorici noſtri inſtitutum ientem; qvod ſi videre geſtias, data commoditate, transmit-i. Ex Islandia hactenus nihil; indies tamen exſpecto, ni ifragio perierint; tres enim naves ſubmerſas ferunt. Vale, nos meos officioſe ſaluta. Hafniæ, 20. Novembris. 1635.

CLXXIX.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

Pellegi eruditiſſimas tuas in *Saxonem* notas, qvibus non ſolum Auctori tanto lucem tuliſti ſplendidam, ſed & patriæ omnibusqve, qvos rerum noſtratium tangit cura, rem præſtitiſti gratiſſimam, Tibiqve æternam nominis famam parituram. Qvid dicam? Multum debet Patria *Saxoni*, qvi ſopitas res geſtas majorum in lucem protraxit; plus tibi, qvi amanuenſium & typographorum incuria male habitum Auctorem ſuo nitori reſtituis, qvæ à paucis intellecta, in clara luce ponis, nævos abſtergis, & politum nobis reſtituis. Qvid enim prodeſt legere, & non intelligere? Perge, mi *Stephane*, elimati tui ingenii acumine Patriæ prodeſſe, neglectasqve literarias noſtræ gentis opes eruere; immortale poſt fata te manebit nomen, nullaqve unqvam meritorum tantorum faſtigium delebit oblivio. Cæterum, qvia ita jubes, qvæ inter percurrendum occurrebant, levioris licet momenti, candide aperiam. Tu boni conſule, & animum æſtima. Si talem nobis in rebus ipſis, ritibus nempe priſcis enucleandis, aliorum Hiſtoricorum, qvi in qvibusdam à *Saxone* diſſentiunt, exerrationibus corrigendis, Auctore noſtro cum aliis Gallis, Anglis, Norvegis conciliando, operam navaſſes, qvalem in dictione ipſa, in hoc genere vix ſimile qvid literatus unqvam aſpexiſſet orbis. Noſti, qvid deſideret *Arngrimus?* qvid ambo *Lyſcandri?* qvid Scriptores exteri? Priſcæ, ex qvibus ſua deprompſit, cantilenæ multum fidei narrationibus conciliare potuiſſent. Huc faceret aliqva terræ noſtræ Chorographia & Chronologia, qvam *Hvitfeldius, Lyſcander, Gaſſarus, Pontanus,* ſuppeditabunt; & qvidni inter eos diſſenſus ubi animadvertitur, eundem indicare & potiora, qvæ cum re & exteris congruunt, præferre liceret? Scis, de qvibus coram locuti ſumus. Hoc modo & poſteriorum librorum notæ mole reſpondere poſſent prioribus. Sed hæc tu melius pro tuo judicio; ego ſaltem, qvæ mihi ſapiunt, indico. Ad particularia tranſeo *pag.* 13. inter Inſulas *Alocias*, potiſſimam video omiſſam, *Alſam* nempe, cujus nominis convenientia me in hanc pertraxit ſententiam, qvid enim propius *Als, Alos?* flexus reliqvus Romano idiomati adſcribendus. Sic *Ars, Arbuſia, Als, Alocia.* Conſule

qvæſo,

ſio, *Marcianum Heracleotam* de Germania, ubi manifeſte lingvit inter *Inſulas Scandicas* & *Alocias*; ad eas è Cherſo-o Cimbrica Navigationem ponit 550 ſtadiorum, hasqve ſupra erſoneſum eſſe ſtatuit; Scandicæ vero ad ortum ſitæ, ad qvan mediam ſtadia 2000. cum igitur *Alociæ* viciniores ſint *andicis* qvadruplo, qvas tu *Notias*, ego *Scandicas* puto, etiam jus Auctoris ſententia. *Alociis* forſan *Fionia* annumeranda. inſulæ locum in *Germania Bertii*. Mihi otium non fuit, ſinla fuſius deducere; alioqvin vel ex hoc Auctore ad oculum enderem, meas *Alocias* ad veterum deſcriptiones qvam xime accedere. Certè inter Alocias poni neqvit Scandia, in Scandicas ab Alociis manifeſte ſeparet, ad qvas forſan *Ze-dia* ſpectabit. *Marcianus* autem hic ex *Artemidoro*, *Ptoleo* & *Protagora* ſe ſua mutuatum eſſe, fatetur.

Pag. 17. *Scrikfinnos* Svecis tantum parere putas; at ego jorem partem eorum Regi Daniæ, qvatenus Norvegis impe-, ſubjectam eſſe, & vivis teſtibus & ipſis Svecorum ſcriptis obavero. Lege *Andreæ Burei Rempublicam Sveciæ*, nuper itam, ibi de Finnis hæc habebis: *Scrikfinnia, qvam Saxo landicus aliiqve veteres hic uspiam poſuerunt, nulla eſt. Skidhfinnorum appellatio omnibus Finnonibus Lapponibusqve mpetit, qvi ſoleis illis ligneis, qvas noſtri Sveci Skidh, Finnoro vero Sukſi vocant, ſolent uti, celerrimeqve ſuper altiſſimas nes currendo, feras inſectari, hoſtemqve inſeqvi, inſtitutumve iter peragere poſſunt.* Hos certe Danorum Regi, cui Norgia hæreditaria etiam, ſubjectos, qvis dubitet? De etymolo-appellationis ſemper in eadem ferme cum *Buræo* fui ſenten-. Strickfinnar enim dictos putavi, qvaſi Strickfinnr, qvod erupta montium pandis trabibus, ut *Saxo* ait, vel *Nartis*, ab *xandro Guagnino* dictis, celerrimo impetu prætervolent iſi. Hinc, at ſtrie paa Ski, puerulis noſtris uſitata loqvendi mula.

Pag. 19. Pro *Anteriore*, legendum puto *Antenore*.

Pag. 25. De *Mathematicis* notandum duco, qvod in jure vili extet titulus *de Maleficis & Mathematicis*, qvem forſan endet Clariſſimus *Meurſius*.

Pag. 43. Citatur locus, omiſſo Auctoris nomine, qvem to *Strabonem* eſſe.

Pag. 44. Præclara de *Siſtro* habes; ſed vide, an non *Sa-i* hic en Mundharpe ita vocetur: figuram certe ſiſtri habet, niſi

qvod minor ſit, & loco tranſverſarum virgularum, ligulam unam habeat juxta longitudinem mobilem.

Pag. 53. Jucunda de *brutorum vocibus* proponis; ſed ad uberiorem hujus declarationem conſule *Aqvapendentem de loqvela brutorum*. De *Apollonio Tyaneo* refert *Porphyrius*, qvod brutorum ſermones intellexerit, qvod & de *Melampo*, *Tireſia* & *Thalete*, ferunt. De *Salomone* hoc certo affirmant Doctores Hebræi. Sed *Porphyrius* cenſuit, inter ſe bruta ſermocinari. Canes & eqvi intelligunt humanas voces, ſiſtunt, accedunt, vadunt, pro ut juſſeris. Cervus educatus à *Ptolemæo Philadelpho* loqventes Græce intelligebat. Hiſtoria Norvagica meminit Ruſtici, cornicum ſermones exponentis.

Pag. 79. Ad *Scoringam Pauli*. Ita conciliari poſſe videntur *Paulus* & *Saxo*, qvod *Vinili* Wendelboer, *Vanſilia* egreſſi, conſederint aliqvamdiu in Scoringia, Scone, Scandia, ibiqve collecta manu cum Sconingis digreſſi in Boringiam, qvod Antiqvitatibus Gotlandicis conſonum.

Ad *Pagin.* 83. exſpectaſſem Lodbrogi cygneam cantionem, qvæ multa illuſtrare poterat.

Pag. 87. Monumentum, qvod adhuc viſitur in cœmeterio Aſumenſi huc commode transferri poterat. In hoc libro multa refert *Saxo*, qvæ longe aliter apud Anglos, Gallos & Norvegos extant, qvorum meminiſſe forſan non abs re erit.

Hoc pæne omiſeram, Sælandiam à veteribus *Sælundur* dictam, qvaſi *maris lucum* diceres; ita enim *Sigwaldus*, *Scalder*, *Olai Sancti*. De barbaris locus extat 1. *Corinth*. 14. v. 11. qvi ad inſtitutum tuum facere videtur. Sed levia hæc monere placuit, ut videres, me *Notas* legiſſe. Interim gratias ago maximas tum pro earum communicatione, tum qvod mei toties, tamqve honorificam, præter meritum, facias mentionem. Tuo honori & famæ me addictiſſimum viciſſim habebis. Vale, & *Saxonem* tuum fac brevi habeamus. 1635.

CLXXX.

STHEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

ECcum tibi ſpecimen cælaturæ, qvod me transmiſſurum promiſi. Videtur eqvidem non adeò rudi Minerva delineatum; & cu-

ujusmodi Saxo meus non reſpuet, ſi modo glyptes omnes ſu-
ii nervos intenderit, & majus artificium ad partes vocaverit,
t ſit, cogor certe in ſumma rei nummariæ anguſtia manum
aini injicere, & jamjam domuitionem paranti montes polli-
; nè olim me neglectæ occaſionis ſero pœniteat. Conſtitui
iim totum me patriæ dulciſſimæ honori atqve commodis im-
dere, etiam cum maximo meo incommodo. Cujus rei
ctum nullus dubito qvin vel poſt fata percepturus ſim. Ad-
ti heic unà *Ephemerides itineris Grönlandici* ab Anglo qvo-
ı juſſu Sereniſſ. Regis *Friderici II.* τῦ μακαρίτυ, ſuſceptis
is mentionem nuper Herloviæ injeci. Meminit qvidem, ut
10, in *Chronico* ſuo *Lyſchander*: ſed non ita diarii in modum
eſſit. Ubi pagellis iſtis, aut verius Sibillæ foliis, te non-
il oblectaveris, velim remittas. Imprimis oro te atqve ob-
o, ut delenifica tua Svada *Moltckenium* veſtrum ad *Saxonem*
ndum allicias, & qvid ſperare habeam, diligenter perſcribas.
præda tua Indica cum *D. Burſero* ſerio egi, qvi ſe ſeptem aut
o qvaſi pondo Cariophyllorum redimere velle condixit, in-
o verò ſacco ſibi non eſſe opus. De *Ugartilochi* fabula qvæ
Mythologia iſta *Eddica* in Latinum traducenda curaſti, com-
nices qvæſo. Vale mihi ſumme dilecte unà cum ſvaviſſima
(cui felix puerperium precor!) à me juxta ac mea ſalutatus
ioſiſſime. Soræ, Dominica Palmarum, Anni cIↃ IↃcxxxvI.

CLXXXI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

um.

Erplacet ſpecimen, qvod miſiſti, cælaturæ, at non ſatis poli-
tum videtur æs, cui imagines inſculptæ; hinc nigro colore
s juſto infecta tota charta. Spero ipſum diligentiam adhibi-
um, cuncta nitide ut exprimantur, qvo *Saxo* tuus hoc orna-
ıto prodeat comptior. Cum *Moltkenio* agendi nondum mihi
moda oblata eſt occaſio; interim ut primo qvoqve tempore
, dabo operam. Niſi caute & opportune hoc fiat, ex com-
to nos agere olfaciet, & difficiliorem ſe præbebit; interim,
d mentis ipſi ſit, brevi intelliges. Pro *Ephemeridibus Grön-*

lan-

landicis gratias ago; hodie accurate eas perlegendi mihi non fuit otium, reddam tamen proxima opportunitate. Meas, ab hiſce diverſiſſimas, nondum reddiderunt ſocietatis Grönlandicæ Curatores, qvibus legendas dedi. *Ugurtilochi* fabulam, ex *Edda* translatam, mitto, qvam remittes, ubi pro lubitu uſus fueris. Vix me contineo, qvin iraſcar, qvod ſortem meam ex Indicis mercibus prædam voces, qvaſi tam nobilis ſocietas, cui Rex intereſt, ut & Præſes veſter non e minimis, ex prædonibus conſtet; ſed ignoſco, cum ſciam, Vos Sorenſes nobis tantam non invidere felicitatem. Cum D. *Burſero*, ubi ad nos venerit, præſens agam. Tibi præmium laboris deſtinavi ſacerum meum vacuum, in memoriam noſtræ felicitatis, tholo tuæ pinacothecæ ſuſpendendum. Vale, Hafniæ 14. Aprilis, 1636.

CLXXXII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

IN cælanda planitie *Haborina* totus jam eſt ſculptor noſter: qvæ ubi ultimam receperit manum, mox tecum exemplar communicabo. Is Hafniam ſub initium ſeqventis Hebdomadæ ſe una cum *D. Laurenbergio* profecturum affirmavit: qvæ tibi optima dabitur ipſum compellandi occaſio. Nullus dubito, qvin operam tibi ſuam promptiſſime ſit conducturus, ſi ita res ipſius tulerint. Etenim humanum eum & ad omnia vota mea facilem hucusqve expertus ſum. Nec ſordidi eſt lucri cupidus; cujus rei ipſe periculum facere poteris. De *Saxone* meo qvid dicam? Neſcio qvo id fiat fato, qvod tanti ſcriptoris editionem animis tam obfirmatis detrectent Typographi veſtri, qvi ad alias minutias vix luce dignas excudendas obvios ſe atqve paratos exhibent. Credideram eqvidem tua Svadela adductum *Moltkenium* voti nos compotes facturum: ſed fruſtra te fuiſſe, diuturna nimis indicat mora. Nihilominus pervelim omnem etiamnum moveas lapidem, & qvid ſperare habeam, diligenter ad me perſcribas. Bene ac feliciter Vale, amiciſſime Vir, una cum uxore dilectiſſima liberisqve ſvaviſſimis divinæ protectioni ſerio commendatus & à me juxta ac mea ſalutatus verbis officioſiſſimis. Soræ, a. d. XIII. Julii, Anni ꟾↃ IↄcxxxvI.

CLXXXIII.

CLXXXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

TUas mihi obtulit ſculptor veſter, cum qvo etiam de meis contuli; mens vero non fuit ipſum conducere ad monumenta noſtra exprimenda, ſed *Simon de Pas* ejus indigebat opera; qvocirca ut explorarem, qvid ipſi eſſet animi, petiit; ſed video alieniorem ipſum eſſe ab ejus conſortio. De *Saxone* tuo cum *Moltkenio* diligentiſſime egi, ſed, rebus ſic ſtantibus, impoſſibile ſibi eſſe ait, jam tantum chartæ ex univerſa Germania corradere, qvantum ad eum edendum deſideratur. Niſi igitur in alium ſtatum res redigantur, hoc muneris in ſe ſuſcipere recuſat. Ego ipſe hanc difficultatem experior; decrevi namqve, meis ſumptibus, *Literaturam Runicam* typis mandare, in qvem finem tantum, qvantum habere potui, collegi chartæ, pretio intolerabili; duplo enim carius ferme venit, qvam ante annos haud ita multos, & tamen tantum habere non licuit, qvantum poſtulat typographus, ut parum abſit, qvin ab inſtituto retrahar. Interim multorum precibus defatigatus, etiam meo damno, ſi Deus valetudinem largitus fuerit, faciam, ut brevi, utinam auſpicato, lucem videat. Vale. Hafn. 28. Jul. 1636.

CLXXXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DE tranſmiſſo nuper aureolo illo Libro tuo maximas tibi gratias ago: patriæqve noſtræ ſimul ex animo hanc felicitatem gratulor, qvod te vindicem nacta ſit & veluti Jovem qvendam Statorem, qvi fugientes ejus Antiqvitates Cimmeriis è tenebris eruat, & ab injuria temporis, qvod omnia conſumit, ſtrenuè aſſerere atqve tueri ſatagat. Deus Opt. Max. qvi tibi bonam hanc mentem injecit, ac præclaras animi dotes ad tantos conatus indulſit, porro te in terris diurnare faciat, viresqve largiatur corporis juxta ac ingenii, ut qvæ etiamnum in ſcriniis tuis

affecta

affecta habes, ad umbilicum perducas, & quæ deinceps ſeculorum uſibus conſecrare decreveris, feliciſſimo exitu perficias. Hæc ſumma votorum meorum eſt, hoc omnes Boni optabunt ſcio, qvibus interiores literæ & ſtudiorum amœnitates curæ ſunt atqve cordi. Si judicium meum de nupero illo ſcripto poſtules, unico verbo dicam, nihil hic Sol eo in genero vidit eruditius. Nec obſervavi qvicqvam, qvod veniam mereatur, præter pauculas Typothetarum exerrationes, qvæ tanti non ſunt, ut de iis docti Comitia celebrent. *Arbæonomiæ Gvilhelmi Lambardi*, qvam ſemel iterumqve ad teſtimonium citas, copiam mihi facias peramanter rogo, ſi modo tua in Bibliotheca exſtet. Vehementer etenim, qvid libri ſit, cognoſcere diſcupio. Non eſt qvod dubites, qvin integrum tibi ac incolumem brevi reſtituam. Effigies Regum Daniæ ære incidendas in manus ſumpſiſſe ſculptorem Regium *Simonem de Pas*, nuper ſando comperi. Qvod ſi ita eſt, magnum inde *Saxoni* meo accedet ornamentum. Sed vereor ne minori forma eas exprimat *Simon*, qvam ut Editioni meæ, qvæ in Folio erit, exacte reſpondere qveant. Qva de re per occaſionem cum ipſo agas qvæſo, & qvid ſperare habeam, diligenter ad me perſcribas. De *Saxone* meo fixa ſtat animo ſententia compellare Magnificum Dn. Cancellarium, ut ejus editioni maturandæ auxiliatrices porrigat manus, & nonnihil pecuniæ ſuppeditet ad excitandam alacritatem typographorum, qvorum ut ſine Cerere & Baccho, ita & ſine Plutone friget opera. Bene Vale, illuſtre patriæ decus, mihiqve ſumme amicorum, & me, ut ſoles, ama. Soræ, d. XII. Decembris Anni ClƆ IƆCXXXVI.

CLXXXV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

PRo amico tuo de *Literatura* mea ſuffragio, qvas poſſum, gratias ago. Verum vereor, ne pluſculum affectui tribuas & magis ex voto meo, qvam tua mente judices. Ut ut ſit, conatum non diſplicuiſſe gaudeo, nihilqve mihi antiqvius futurum, qvam ut ita *Saxone* tuo brevi etiam frui valeam. Deus conatibus tuis adſit, ut ex animi ſententia cuncta ſuccedant. Ipſemet experiere, Lynceum neminem adeo eſſe poſſe in ſuis, qvin qvamplurima

plurima diſtractum aliis negotiis effugiant, multa etiam irrepant ſupina typothetarum negligentia. *Lambardum* non habeo, ſed ex Bibliotheca Regia ante aliqvot annos uſus ſum; liber rarus eſt Londini excuſus, priſcas leges Anglorum, à Danis etiam latas, ſaxonico & Latino idiomate continens. Sæpius eum mihi exoptavi, ſed in Anglia haberi amplius neqvit. Qvæſivi, tuo nomine, in Bibliotheca; ſed qvia confuſa etiamnum ob translationem inopinam pleraqve, invenire non potui. De *Paſſio* noſtro qvæ refers, non ita ſe habent; Sed Regia Majeſtas conſtituit ultra ſeptuaginta hiſtorias ex *Saxone* & *Hvitfeldio*, in qvibus & Regum qvorundam effigies, & res geſtas majoris momenti, magna induſtria ei cælandas tradere, qvarum qvævis æqvabit folium grandius, ſed nondum cum ipſo transactum; aliqvot enim millibus conſtabit. Qvocirca, an res ſucceſſum habitura ſit felicem, nondum liqvet, qvamvis ipſe *Paſſius* ſibi multa de hoc negotio polliceatur; ſed res eſt futura non unius anni. Si qvando contigerit huc excurrere, ex ipſo particularia hauries. Optarem, cuncta & votis ſuccedere, & tibi & *Meurſio* & *Pontano* & mihi inſervire hæc poſſent. Vale. 1636.

CLXXXVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

ORator ad te venio, ſine exorator diſcedam. Eſſe illic mercatorem qvendam Hafnienſem, cujus nomen nunc non ſuppetit memoriæ, aliqvoties ex ſermonibus tuis intellexi, qvi qvotannis in Angliam mercaturæ faciendæ cauſa trajicere ſolet. Cum eo velim diligenter agas, ut, ſi nondum itineri ſe commiſerit, tuam in gratiam laborem hunc in ſe ſuſcipiat coëmendi libri iſtius, qvem in adjuncta ſchedula notatum vides. * Rarus eqvidem inventu eſt, & piſcis paucorum hominum; verum ſi otium ipſi eſſet & facultas perluſtrandi & excutiendi Bibliopolia Londinenſia, qvæ omnis generis libris rarioribus inſtructiſſima eſſe inaudivi, forte in caſſes noſtros præda hæc incideret. Fuit *Lelandus* ille inſignis Antiqvarius, excellens Poëta, Orator diſertiſſimus, multaqve ab ipſo in omni diſciplinarum genere Græce & Latine edita ſunt opera, qvorum prolixum ſatis catalogum

contexit

contexit *Joh. Balaus Scriptorum Britanniæ Centuria octava*, *pag.* 671. Ex omnibus illis ſaltem hoc unicum mihi opuſculum ſelegi, qvod uſui ſtudiis meis id eſſe putarem, qvæ ratione demandati mihi muneris tractare ſoleo, imo cogor. Fac itaqve perſvadeas mercatori, ut hujus ſcripti inqvirendi moleſtiam, ubi in Angliam pervenerit, tuo nomine haud invitus ſubeat; nec dubitet, qvicqvid hanc in rem de ſuo expenderit, qvin id omne domum reverſus ſtatim recepturus ſit. Vale illuſtre decus patriæ, & me ama. Soræ, a. d. XXVIII. Aprilis, cIↄ IↄcxxxvII.

* *Schedula hæc verba habebat: Joannis Lelandi* in Declamationes Qvintiliani Liber I. & ſi qvæ alia ejusdem auctoris opuſcula haberi poſſunt.

CLXXXVII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

VIvit Lubecæ Præſtantiſſ. Vir, *Johannes Kirchmannus*, Gymnaſii Rector, qvi ob præclara ingenii monumenta hactenus in lucem edita, & præſertim aureolum iſtud Opus de *Funeribus Romanorum*, ignotus tibi eſſe non poteſt. Is animum induxit propediem publici juris facere *Chronicon Norvagicum*, & libellum *Anonymi de Expeditione Danorum in terram Sanctam*. In his conqveritur occurrere ſubinde voces qvasdam & loqvendi formas rariores, qvas ſibi ob imperitiam antiqvæ Lingvæ Norvagicæ, plane inſtar ænigmatum eſſe, & velut indiſſolubiles nodos fatetur. Earum explicationem & ſolutionem à me tanqvam Oedipo qvodam petit, qvi tamen juxta cum illo iſtius lingvæ ſum ignariſſimus. Idcirco ad tuum tripodem recurrendum duxi, enixe abs te contendens, digneris, qvæ heic notata vides, diligentius expendere & interpretari. Qvicqvid tu reſponderis, Delphis mihi reſponſum putabo. Hæc autem ex Scriptore illo Anonymo proponit *Kirchmannus*:

I. Cap. XI. *Ibi* (puta in civitate Bergenſi) *Sancta Sunnif toto corpore in Eccleſia Cathedrali exaltata qvieſcit.* Qvid nominis *Sunnif? Saxo* qvidem noſter pag. 217. Edit. Francof. Lib. XIII. *Sunnivæ* cujusdam meminit, neſcio an illa ſit.

II. Eod. Cap. *Ibi ſiccorum piſcium, qvi vocantur Schreitz, tanta multitudo, ut menſuram excedat & numerum.* Qvos intelligat piſces intelligo, ſed recte ita vocantur, uti hic ſcriptum eſt?

III. Cap.

III. Cap. 17. *Illud utiqve uſitatum proverbium noſtrum non fallit, qvo dicitur: Bibande byr eigoſ enbrader and'rod'r.* Qvid hæc verba ſignificent, & utrum recte ſcripta ſint, percupio ſcire.

IV. Cap. 19. *O qvam ſecurum, qvamqve jucundum in ſolo! Faſtr er ſoldo foer.* Hæc etiam verba qvid notent, neſcio.

Qvæſo te, Ampliſſ. Vir, hæc me docere ne graveris (idqve prima qvaqve occaſione. Nam reſponſum *Kirchmannus* avide exſpectat. Vale, & me, ut amas, ama. Soræ, d. XXIII. Aug. cIↄ IↄcxxxvII.

CLXXXVIII.

OLAUS WORMIUS,

Stephano Stephanio.

NUnqvam triſtiori ac magis lamentabili tempore literas, qvam hac vice, accepi. Roſchildia ab exſeqviis redux, anxius & lachrymis madidus ob immaturum ſvaviſſimæ Conjugis obitum, tuas offendi, qvibus reſponſo excipiendis præ mœrore vix jam ſufficio. Tu, qvi & hæc olim expertus, qvo animo jam ſim facile colliges. Verum, ut, qvantum amicitiæ noſtræ tribuam, agnoſcas, qvantum in hiſce anguſtiis licet, ad dubia tua reſpondebo. Qværis:

(1) *Qvænam ſit ſancta Sanif, cujus corpus in Eccleſia Cathedrali Bergenſi qvieſcit?* Non eſt illa, cujus mentionem injicit *Saxo*, loco à te allegato, ſed alia ex Hibernia oriunda, cujus hiſtoriam, ex meis Archivis petitam, mitto, ut, ſi viſum *Kirchmanno* communices. Vocatur, ut vides, *Suniva.*

(2) Piſces ſicci, qvos Anonymus *Skreig* vocat, etiamnum Norvagis *Skrei* vocantur. Sunt verò aſelli viliores, vernali tempore capti, qvi non tam apti ſunt, ut ſale condiantur, qvam vento & frigore exſiccentur. Dicuntur *Schrej* à verbo, *at ſtrie,* qvod repudiare vel rejicere notat, eò qvod ob vilitatem à reliqvis melioribus & pingvioribus exterminentur, & ad ventos ac frigore amandentur.

(3) *Bybande byr eigo enbrader and'rodr.* Interpretandum cenſeo: *Exſpectantes ventum ſecundum, eum tandem acqvirunt, ſed feſtinantes manuum remigio uti coguntur. Bidande* exſpectantes, *byr* ventum ſecundum, *eiga* poſſident, *enn* verum, *brader* feſtinantes

nantes; (hinc noſtrum *brat*, ſnart) *bendaródur*, manuum remigatione. Senſus eſt:

Cui mora non gravis eſt, ventum experiere faventem,
Impatiens contra remige verret aqvas.

(4) *Faſtr er a folde faer*. i. e. *Pauci in hac terra firmi ſunt*; vel ſi *foer* legas, ſenſus eſſe poteſt: *Vectura firmior eſt in terra qvam mari*, ſc. *Faſtr* firmior, *eru* ſunt, *a* in, *folde* terra, *foer* vectura. Uter ſenſus magis qvadret, ex antecedentibus & conſeqventibus textus melius colligere licuiſſet, ſi ad manum fuiſſet. Interim, cum verſus ſint proverbiales, ſingulari arte conſtructi, conſonantium & vocalium harmoniam obſervare decet, juxta regulas, a nobis in *Literatura* traditas, potiſſimum *pag*. 179. Mirabere artificium, ſi rite enucleaveris. Qvam vellem plura, niſi mœror & angor & animum & mentem diſtraherent, & vix tremulam manum ſuo officio defungi permitterent. Interim Deus te tuosqve clementer ſervet: & iræ ſuæ pœnas mitiget!

Mitto exemplum literarum, nuper Hamburgo ad me delatarum, ut inde, qvid de præclaro tuo ſperandum ſit *Saxone* colligas, cum nugæ meæ tanti ab exteris fiant, 1637.

CLXXXIX.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

ETſi luctuoſus ille rerum tuarum ſtatus aliam ſcribendi materiam non admittat, qvam qvæ in te conſolando tota eſſet occupata: qvum tamen nullus dubitem, qvin animum tuum iis ſubinde erigas ſolatiis, qvæ vel humanæ ſortis & communis conditionis recordatio, vel Sacræ Scripturæ fontes ſuppeditant: ἄνευ προοιμίων, ad ea mox orationem convertam, qvæ hujus mihi Epiſtolæ argumentum inſpirarunt. Inprimis tibi gratas immemini gratias, qvod tam benevolo & prompto animo, qvæ tua eſſe humanitas ſolet, non ita pridem mecum communicaveris Hiſtoriam *Sunivæ* iſtius *Hybernicæ*, qvæ mihi juxta ac *Kirchmanno* non leve faceſſebat negotium: & qvod inſuper perplexos illos nodos, qvos nemo præter te Danicarum Antiqvitatum peritiſſimum

mum diſſolvere poterat, tam accurate atqve perſpicue noſtram, in gratiam explicaveris. Sed qvam vellem Archiva illa tua, ex qvibus iſta deprompta ſignificabas, ſaltem per tranſennam inſpicere liceret! ô qvam me felicem dicerem! Non te difficilem in vota mea fore ſpero, ubi nos ventura dies conjunxerit. Porro qvum ex literis communis noſtri Affinis, *M. Jacobi Matthiæ*, nunc nuper intellexerim, te Cancellario labores meos ſerio commendaſſe, cum anni elapſi mente Auguſto Lindholmii apud eum ſubſiſteres; peramanter rogo, ut qvid reſponſi tuleris, benigne aperias. Tanti enim Herois favore, aut, qvod abominor, odio, omnes ſtudiorum meorum conatus ſtant atqve cadunt. Præterea indicavit *M. Jacobus* noſter, penes te eſſe *Apologiam Arngrimi Islandi*, qvam contra *Pontani Hiſtoriæ Danicæ* nonnulla capita inſtituit? qvam ut perlegendam ad me tranſmittas, omnibus abs te precibus contendo. Et ſi qvas alias Antiqvitates reduces ex Islandia naves præterito tibi autumno aſportaverint, velim in iis communicandis aviditati meæ abunde ſatisfacias. Vale dulciſſime Affinis, & patriæ bono caneſce. Soræ, Poſtridie Calendar. Februarii, cIↃ IↃcxxxvIII.

CXC.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Johannis.

Soram.

CLariſſime Vir. Archiva mea qvod ſpectat, per ea nil aliud intelligo, qvam charta & rhapſodias, hinc inde collectas, qvæ nec viſu nec luſtratione dignæ. Interim, ſi Deus nos junxerit, nihil erit, cujus te non velim participem. Qvæ inter Magnificum Dn. Cancellarium & me de te tuisqve conatibus intercesſit diſſertatio, literis mandari neqvit, ſuo tempore omnia aperiam. Interim tibi ſingulari affectu devotum certo ſtatuas. *Arngrimi Apologiam* MS. tibi mitto, qvam eo fine huc tranſmiſit, ut typis publicaretur, ſed neminem invenio, qvi ſe facilem præbere velit. Rogo, diligenter aſſerves, &, ubi remiſeris, per fidelem & notæ fidei hominem ut fiat. Nullum enim Auctor ipſe, præter unicum hoc, habet apographum. Ejus ad me literas addo, ut videas, qvæ ei mens, qvamqve ſerio editionem urgeat, qvam doleo me procurare non poſſe. Si viſum, *D. Meurſio*, à

 me

me officioſe ſalutato oſtende, & , ſi detur occaſio ad *Janſonium* qvi ejus opera, ut audio, excudit, ſcribendi, haud gravetu expiſcari, an ipſe editionem procurare velit. Vale. 7. Febr. 1638.

CXCI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DEt tranſmiſſa & mecum promptiſſime communicata Apologi illa *Arngrimiana* uberrimas ago gratias: majores acturu ubi nos Deus & dies conjunxerit. Eam acqvieſcere non pot qvin continuo totam evolverem, ac vetera cognoſcendi deſide rium atqve ſitim abunde explerem. Multa certe tractatus ill continet lectu digniſſima, & qvæ mirandum eſt proficiſci poſ à viro tam provectæ ætatis & depontano ſene. *Pontanus* eqvide calamum viciſſim ſtringet; ſed vereor ne inanem ſumat operam & nodum Gordium fruſtra diſſolvere conetur. Utilis tame Reipubl. literariæ erit tantorum virorum commiſſio & qva conflictus: dum utrinqvè multa nobis antiqva, vetuſta, ſepul dias in luminis oras protracturi ſint. Domino *Meurſio* noſtr qvi te officioſe reſalutat, qvum oſtenderem, auctor tibi & ſvaſ eſſe coepit, ut aliud exemplum ad *Arngrimi* autographum d ſcribendum curares, qvod poſtea offerres *Janſonii* Miniſtr cujus in propinqvo ad nos adventus eſt. Is etenim hero ſuo for perſvadebit, ut typis ſuis procudat qvicqvid hoc eſt operis. Na ſi in Belgium hoc ipſum Arngrimi autographum mitteretur, p riculum eſſet, ne in via periret: qvæ jactura forte haud ta facile reſarciri poſſet. De Magnifico Dn. Cancellario qvo nuper ſcripſiſti, gratum ex parte fuit; licet dubiam in me gr tiam & favorem ejus perſentiſcere incipiam. Utut ſit, meli eſt confidere Deo, qvam hominibus. Et væ illi, qvi pon carnem brachium ſuum! Sed me reprimo, & præſtat mot componere fluctus. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. T menti Deum nihil deerit. Bene Vale, Affinis dulciſſime & u ſolito amore proſeqvere. Soræ, d. XXVII. Febr. 1638.

CXCI.

CXCII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

GEnealogiam iſtam *Regum Daniæ* juxta ac Antiqvitatas Islandicas, qvas mecum nuper, cum una eſſemus, ea, qva ſoles, humanitate ac benevolentia, communicaſti, non ſine debita εὐχαριστίᾳ, jam per Affinem noſtrum *Drachardum*, remitto. Illa qvidem exiguo plane uſui mihi eſſe potuit; qvum longe pleniorem & accuratiorem Chronologiæ calculum & alia, qvæ in Archivis meis aſſervantur, monumenta ſuppeditabunt, & tu ipſe olim, ubi id à te poſtulavero, haudgravate, uti ſpero, me edocebis. Hæ vero luculenta face unum aut alterum *Saxonis* mei locum illuſtrare poterunt: qvo nomine mihi perqvam fuerunt gratiſſimæ. Inprimis de origine *SKIOLDUNGORUM* præclare diſſerit *Arngrimus*: licet diſſentiat nonnihil a *Saxone*, qvi mox ſub initium *Lib I. Hiſtoriæ* ſuæ à *SKIOLDO SKIOLDUNGOS* dictos eſſe pronunciat. Addam tamen ego in *Notis* meis etiam hanc *Arngrimianam* vocabuli notationem: qvemadmodum eas pluribus Antiqvitatibus, multo magis adaugere conſtitui, qvam a me hactenus factum eſſe video. Sed qvid ſiniſtri ominis nobis tot funera magnorum virorum apportant? Vereor ne graviora mala & flagrantiorem cœleſtis numinis iram portendant! Heu luctuoſum fatum *BROCHMANNORUM!* Heu triſtem faciem Academiæ veſtræ, cujus duo nunc lumina, poſt exiguum temporis interjectum, proh dolor! extincta eſſe vidimus! o miſeram ſortem viduarum, qvibus nocte dieqve cum lacrymis & ſqvalore conflictandum eſt! Deus fons omnis conſolationis illas pariter ac nos ipſos, qvos etiam dirum hoc fulmen aduſſit, veris ac firmis ſolatiis erigat! In qvo voto deſino, & te, optime Amicorum, plurimum valere atqve ſalvere jubeo. Soræ, ægra mente & manu tremula, a. d. XV. Octobris cIↃ IↃcxxxvIII.

P. S. Clariſſ. *Pontani* ad me literas eum in finem nunc tibi communico, ut qvæ de Hiſtoria Danica juxta ac Gelrica, item de *Arngrimo* habent, legas & expendas. Pervelim autem eas prima qvaqve occaſione remittas. Vale & me ama.

CXCIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

MItto *Literaturæ* meæ exemplum, *Dn. Ogerio* deſtinatum qvod, ut ſpero, *Matraſius* veſter haud gravatim, pe *Dn. de Meules* ad ipſum procurabit, ut certo tradatur. Cæte rum miror, *Dn. de Meules* ſe Secretarium Legati Gallici nomi nare, cum & hunc titulum ſibi tribuat *Johannes Tercejus*, cuju literas ad me vidiſti, niſi plures eo munere fungantur. Qvæſo *Matraſium* roga, *Dno. de Meules*, ut ſcribat, velit *Tercejum* promiſſi de mittendo *Monumento Lochenſi* admonere; eju enim videndi deſiderio magnopere teneor, cum illuſtre ſit, u audio, & à nemine hactenus deſcriptum. Remitto *Ponta* epiſtolam, pro qva gratias ago magnas. *Arngrimum*, ut vide æſtimat, qvi ipſum in *Apologia* humaniter ſatis excepit; ſed ip *Pontanus* mordax qvandoqve, & minus lenis in bonos. Mem niſſe debuiſſet triti illius: *quod tibi non vis fieri, alteri ne fe ris.* Exſpectemus interim alteram hiſtoriæ partem, qvam ut nam ante *Gelrica* edidiſſet; periculum enim eſt, ne valetud minus proſpera & ætas ingraveſcens conatus intercipiat. T feliciter vale, & vige. 1638.

CXCIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπράττειν.

CLariſſime & Excellentiſſime Domine Doctor, Affinis & Ami ſumma mihi ſemper obſervantia colende, vehementer mi placuit *Gloſſarium* iſtud priſcæ lingvæ Danicæ, à te non ita p dem (qvæ tua ſolet eſſe humanitas) mecum benigne commu catum. Et ut inſignes ejus dotes ſtrictim commendem, var mihi ſuppeditavit Antiqvitates, qvæ locis nonnullis SAXON mei luculentam facem allucere poſſunt. Sic edocuit me ſcen

Ma

gici cujusdam apparatus, cujus mentionem facit Saxo Lib. V.
d nempe haſtam ſeu contum oblongum, cui cranium eqvi
fixum erat, adverſus hoſtiles impetus olim erigere conſve-
nt, qvod illi dicebant, At reiſe Nidſtong imod een. Vide
oce Nid. Eodem libro Greppus Ericum probroſo nomine
llat *cœnum & ſterqvilinium*: cujusmodi compellationes in
fuiſſe apud veteres intelligo ex voce Eudeme & Ohræſe.
erbium etiam antiqvum in voce Fall extat: Falls er von ad
a trie; *Ligno natanti caſus*, ſive cædes, *ſperanda*. Qvod
ritur *Lib. VIII.* à Starchatero prolatum. Didici ex voce
nhog, obſcæna & fœda fuiſſe vulnera, qvæ qvis dorſo ſeu
ius exciperet: qvali plaga affectum fuiſſe Haraldum qven-
, & aurifabrum à Starchatero, *Saxo* alicubi commemorat.
ce Hein, Haraldum VI. de qvo *Saxo Lib. XI.* Harald Hein
ominatum fuiſſe itidem comperi, ob inertiam ſcilicet, ani-
iqve mollem & effœminatum. Ne de vocibus Blodreſill,
ur, Berſerkur, aliisqve innumeris plura nunc dicam, qvæ
, σὺν θεῷ, ſuo loco opportune notata animadvertes, non ſine
rifica tui mentione. Qvum vero reliqva non pauca etiam-
ſint, qvæ per alias occupationes excerpere ac deſcribere in
temporis anguſtia non licuit, per amicitiam te noſtram
ve mutuum illum in patriæ antiqvitatibus indagandis con-
m ac concentum, rogo atqve obſecro, ut integrum illud
arium, à capite ad calcem, ab Islando qvodam, vel meis
tibus, deſcribendum cures. Inprimis velim id ſedulo des
m, ut Hiſtoriam iſtam antiqvam, ſive compendium potius
riæ Regum Daniæ, cujus crebra in hoc *Gloſſario* ſub titulo
inga Sogu, præcipue in vocibus Hein & Sælur, ſit men-
b amico qvodam, qvi ſolet tibi ejusmodi antiqvitates ſub-
ſtrare impetrare poſſis. Nullus etenim dubito, qvin plu-
ſeſe offerrent, qvibus illuſtrare Livium noſtrum Danicum
inde poſſem. Sed hæc de *Gloſſario*.

Jam avide exſpecto judicium tuum de *EDDA* mea. Et
m enixe abs te contendo, ut diligenter perſcribas, in qvibus
ntiat, aut diſcedat à tuo meus Codex, in qvibus etiam exce-
ſuperet, & qvanto in pretio ſit ponendus, ut nunc ſe habet
utilus & corroſus. Certe, qvi donavit, *M. Brynulphus*
i fecit. Communis amicus noſter *D. Burſerus* in eo ad me
rendo operam promiſit ſuam, ſi te id fieri poſſit volente.

De cætero, mi optime Domine Affinis, te juxta ac nov lam & tenellam uxorculam, & familiam univerſam, æterni ſalvere atqve valere jubeo & ex animo exopto. Soræ, d. X Maji cIↄ Iↄcxxxix.

CXCV.
OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

GLoſſarium meum tibi profuiſſe, ex animo gaudeo, ſi q præterea penes me ſint, qvibus tui conatus juvari qvea tibi æqve atqve mihi inſervient. Ex Islandis nulli ferme ap nos ſunt, mihi noti, præter unicum, in antiqvitatibus hoſpite poculis magis qvam Muſis vacantem, cui hæc concredere ha poſſum aut audeo, alioqvin petitioni tuæ abunde ſatisfactur *Eddam* remitto, vix a me à tuo abitu tactam, tantum enim m non fuit otii, illam ut inſpicerem, nedum luſtrarem; ſed ta ne diutius fruſtreris κειμηλίῳ, remittere lubuit. Vix enim m tantum temporis polliceri valeo, talibus evolvendis ut ſuffic adeo praxi qvotidiana fatigor Poſthac hæc & alia ejus gene mihi ſeponenda eſſe video, cum impenſos labores ſperatus n ſeqvatur fructus. Pauculas haſce lineas occupatiſſimus reſcri cum pro voto reſpondere jam non liceat, feſtinante amiciſſi noſtro *Burſero*, qvem videre nondum contigit. Va 18. Maji, 1639.

CXCVI.
OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

QVam nuper tibi promiſi *Chronologiam Danicam Petrei* mi cum auctario *Aslaci* & meo, in qvo ultimis hiſce an negligentior fui. Si ex tuis adverſariis defectum ſuppleveris, teqvam ad me redeat, rem feceris gratiſſimam. Addo *Catalo Regum Daniæ* ex Runico meo MS. notis meis illuſtratos, qv diligenter ut relegas, cupio, atqve ſiqvid ſit, qvod adhuc n

n

neri aut notari poſſe putes, admoneas. In ſecundo qvæ lunulis & parentheſi ſignavi, perpende qvæſo; licet in notis de iis meam protulerim ſententiam, præſtaret forſan nihilominus ea præterire & omittere, ſi publicandus eſſet. Qvid ſentias, ingenue profer. *Limitum inter Daniam & Sveciam conſtitutorum* fuſiorem ex meo codice addo diductionem, qvam ad calcem *Legum Selandicarum* reperitur, ſed ſcriptoris negligentia manifeſte depravatam. Cui volupe eſſet, hic cum *Johanne Magno* fuſiſſime diſſerere poſſet, qvod mei, ut vides, non fuit inſtituti. Tractatus, qvem ex Islandia accepi, is ipſe eſt *Knitlingſaga*, ut ex variis *Lexici* mei locis collegi; elegans eſt, & multa habet, qvæ ad *Saxonis* tui facere poſſent illuſtrationem; res enim geſtas Regum Danorum a Svenone Eſthritio ad obitum Canuti Waldemari fil. perſeqvitur. Spero, me eundem ſeqventi anno habiturum Latino idiomate. Accepi & aliud manuſcriptum, *Raudulfs þattur* dictum, qvædam ad Hiſtoriam *S. Olai* ſpectantia continens. Supplementum *Lexici* mei non reſpondet principio; jejunum enim valde, nec ea diligentia collectum, qva priora. Hæc omnia, Deo volente, videbis, ubi otium fuerit ad nos excurrendi. Interea novum hunc annum proſperum ac felicem Tibi tuisqve ex animo voveo. Hafn. 6. Id. jan. 1640.

CXCVII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

Χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπράττειν.

EXcellentiſſime & Clariſſime Vir, Affinis & Amice ſumma mihi ſemper obſervantia colende, Gratiſſima certe fuit *Chronologia* iſta *Petrei*, qvam nuper mecum communicaſti. Dabo operam, ubi per graviores licuerit occupationes, ut propediem auctior ad te redeat. Binos vero *Catalogos* iſtos *Regum Daniæ* Notis tuis eruditiſſimis illuſtratos diligenter perlegi: & omnino dignos judico, qvi publicam lucem aſpiciant. Ego unam aut alteram obſervationem adjungendam duxi; qvo petitioni tuæ utcunqve ſatisfacerem. Et principio qvidem juxta tecum cenſeo, prioris Catalogi autorem ex iſtis unum eſſe, qvi res geſtas

Regum Daniæ ſuccincta tantum & compendioſa narratione plecti, forte memoriæ juvandæ cauſa, antiqvitus conſveve Cujus etiam notæ & monetæ eſt præſens hocce *Chronicon* qvod nunc tibi exhibeo, autoris qvidem incerti, ſed qvod rare auſim, juſſu *Erici Menvedi* à Monacho qvodam conſcrip Multa profecto habet ſcitu digna pariter & jucunda, & no vis obvia; inqve multis cum tuis Catalogis conſentit, & i *Erico Menvedo* deſinit. Nam qvos ad calcem adjunctos Rhythmos, deſcripti ſunt ex Chronico iſto Rhythmico, paſſim extat, omniumqve teritur manibus. Codex iſte me hac, jam Nobiliſſ. *Georgium Seefeldium*, Judicem Provinci poſſeſſorem agnoſcit, qvi ad exiguum temporis ſpatium utendum conceſſit, ut nonnulla, qvæ inſervire poſſe viden augendis in *Saxonem* Notis meis, inde excerperem atqve d berem. Qvocirca velim prima qvaqve occaſione reſti Mitto inſuper *Catalogum Regum Daniæ* ex alio veteri MS dice, qvem itidem *Seefeldius* à me redemit: ubi & pauca o runt, qvæ merentur animadverſionem. Jam tranſitum fa ad Catalogum tuum. Qvod cognomen *Rolvonis Krage* at aliam rationem ejus reddit *Edda*, *Mythologia* LXIII. vide qvod Wiggo (Eddæ *Wöggur*) exiſtimans Hrolfum R Hledræ, maximum eſſe virorum, qvi in Aqvilonaribus co cerentur terris, ſed contra, eum exiguum eſſe puſionem e tus, in hæc verba proruperit: Nu ſitur hier in haſæti Krake *In Solio regali nunc ſedet hic exiguus puſio* (nam *Krake*, i prete eo, qvi in gratiam τοῦ μακαρίτου Domini Cancellarii *Eddam* Latina donavit civitate, eſt *Puſio*, vel *adoleſcent* Cui reſpondiſſe fertur Rex Hrolfus: *Tu adoleſcens cogn mihi dediſti, ut Hrolfus Krake appeller*, &c. Vide ſis ip cum, & expende.

II. Cognomen *Rörici Slyngebaand* varie ſcribitur. qvem mitto, Catalogo, dicitur *Slanggenbógbi:* in Chronico itidem nunc transmiſſo, *Slængeborræ:*. Meurſio *Slingebon*

III. *Horvendillum*, *Fengonem*, & *Amlethum* Cat Regum Daniæ neqvaqvam accenſendos eſſe, cum *Hvitfeldio* qve, omninò ſtatuo. Non etenim Reges Daniæ, ſed ta Præfecti, ſeu Vicarii Regii in Jutia fuere. Et ipſe *Saxo* W tum Rorico defuncto in Regno proximè ſucceſſive expreſſe memorat *Lib: IV. pag. XXXII.* Edit. Paris. Alias rati qvibus aſſertio hæc mea nititur, adducam in notis meis ad S *nem*, σὺν θεῷ.

IV

IV. De etymo cognominis *Dagſulle*, Regi *Dano* aſcripti, nihil plane comperti habeo. Ita eum & *Chronicon MS.* nominat. Catalogus vero noſter, *Dan bin Storlatni*, qvod excelſioris ſtaturæ fuerit.

V. Uxorem Fridlevi *Faltam* vocat *Chronicon MS.* cujus veluti compendium videtur eſſe Catalogus tuus prior. Ita convenit ubiqve fere in cognominibus, uxoribus ac Reginis, & ſerie Regum.

VI. De origine *Haraldi Hyldetand* ipſi ſibi non conſentit *Saxo*. Nam *Libr. VII.* Haraldum hunc, Borcarum & Gro, Alvildæ comitem, parentes habuiſſe oſtendit; ſed mox infra expertis verbis pronunciat; eum ex Haldano & Guritha prognatum eſſe. De qvibus uberius in *Notis* meis.

VII. Pro *GAMPI* legendum arbitror *GAMLI*, i. e. *Senior* ſeu *Grandævus*; P. pro L. ſubſtituto.

VIII. Fictam eſſe, vanamqve, & forte à Svecis excogitatum in gentis Danicæ ignominiam, Narrationem de Cane qvodam Danis præfecto à Sveciæ Rege, omnino opus eſt, ut in Notis diffuſius oſtendas.

Hæc paucula ſunt, qvæ in maximis & graviſſimis occupationibus obſervare & annotare potui. Vix etenim præterea obtulit ſe mihi qvicqvam, qvo præclarum inſtitutum tuum juvare qveam. Et qvod mihi poſt te Spicilegium relictum erit? Tu omnia, alicujus momenti, in medium attuliſti. Perge modo qvamprimum publici juris facere eximia hæc Antiqvitatum Danicarum monumenta, qvæ ſumma cum legentium utilitate lucem videbunt. Inprimis tibi immortales ago gratias, qvod tam honorificam mei mentionem non ſemel in divinis ſcriptis tuis facias, nullo meo merito. Ego viciſſim omni officiorum genere benevolum huncce in me affectum tuum demereri conabor. Sed ô qvam læto me nuncio beaſti; qvum Tractatum iſtum *Knitlingſagu* accepiſſe te indicares! Fac qvæſo te, ut cum *Saxone* noſtro conferas, & qvæ ad ejusdem illuſtrationem facere poſſe videantur, lubenti animo, ut ſoles, mecum communices. Bene & feliciter Vale, optime Amicorum, una cum ſvaviſſima uxore Deo commendatus, & à me meaqve ſalutatus officioſiſſime. Soræ, XI. Calend. Febr. Anno Meſſiæ cIↄ Iↄcxxxx.

CXCVIII.

CXCVIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

PRo communicata *Hiſtoria Regum Daniæ*, qvam jam remi maximas ago gratias. Titulum dum attendo, parum al qvin ſtatuam eſſe *Congeſta Menvedi;* vocat enim *Geſta Da rum* paa Danſke. Ejusdem hujus tractatus fragmentum in n ſchedis inveni, qvod à Biornone Jernſide in Ericum usqve currebat. Contuli cum tuo codice, & in pauciſſimis diſcre bant. Supplevi igitur ex transmiſſo, alioqvin prius remiſiſſ Qvæ de *Rolvone* ex *Edda* adfers, invenire in meo exemp non licuit; *Mythologia* enim *LXIII.* in meo codice de Troj agit. Locus à me adductus cum tuo ferme convenit. Inte non deſinam ab Islandis diligentius exqvirere, qvid *Krak* denotat. Pro *Gampi* non legendum eſſe *Gamli*, contextus e cit. Poſt Gormonem Anglicum ponitur *Gampi* Rex, qvi G monis fuit filius; & pater Gormonis Grandævi; alius ig *Gampi* à *Gormone Grandævo.* Sed nodum egregie diſſo codex tuus, cum inqvit: Tha var Harald hans Søn Konni og ſommæ ſiqæ, at hand hæt Ganup Konning, forthy han uthrynen. Ganup igitur vel *Gampi* Synonima videntur, Ha dum inertem indicantia. Qvam varié ludant in fabula de ca vel ex tuo codice diſces; narrat enim in ſeptimi Regis Hiſto poſt obitum Helgonis, Haconem qvendam Sveciæ Regem Da canem præfeciſſe, cujus geſta & obitum fuſe perſeqvitur. N vacat totum locum adducere; inſpice, ſi placet. Qvot v ſeculis qvinqve Viri, Daniam gubernantes, poſt qvos meus logus ponit *Raccam* Regem, inſecuti ſint imperium Helgo qvis non videt? Narrationis igitur inconſtantia abunde totum luit figmentum. Mihi jam nec otium, nec commoditas *Saxonem* cum *Knitlingſagu* conferendi; alias, oblata meli opportunitate, faciam, qvod potero. Interim vale, & me, facis, amare perge. Vale. Hafniæ, 3. Febr. 1640.

CXCI

CXCIX.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

NYcopiam hiſce diebus vocatus fui, Sereniſſimi Principis aliorumqve in arce valetudini infirmiori ut mederer. Inter reliqva mihi tum exhibita honoris & benevolentiæ officia, aureum ante annum in Cimbria inventum cornu, mero repletum, ut exhaurirem, nomine Principis mihi oblatum. Mirabar ſtructuram, mirabar materiæ nobilitatem, ſed maximè Emblematum & Hieroglyphicorum, qvibus inſigniebatur, miram diſpoſitionem & ſtructuram. Omnia ſummam redolent antiqvitatem. Nullum in eo ullius Literaturæ, nullum Chriſtianæ Religionis officium, ex qvo vel ætatem vel poſſeſſorem colligere detur. Sæpius exinde de eo cogitavi, & qvædam in chartam conjeci. Tu ſiqvid, aut apud *Saxonem* aut alios noſtrates, de ejusmodi legeris cornubus, communica qvæſo. Valde diſputatur, cui uſui fuerit dicatum. Qvidam poculi, qvidam tubæ vices ſuſtinuiſſe putant; qvidam in ſacris ejus uſum olim fuiſſe augurantur. Sed ego in ſacrificiis noſtratium tale qvid adhibitum me non legiſſe memini. Qvæſo qvæ tua ſit de eo mens, qvidqve de talibus obſervaveris, prima commoditate expone. Subjectum certè eſt dignum, cui aliqvid impendatur operæ. Puriſſimi auri conſtat unciis nonaginta novem, liqvoris capit ſextarios duos cum ſemiſſe, æſtimatur Daleris imperialibus 1200. Singula accuratius alias expendam. Vale. 27. Sept. 1640.

CC.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

GRatulor tibi pretioſum hauſtum, qvem te nuper in Aula Sereniſſimi Principis ex aureo illo poculo libaſſe ſignificaſti. Ego ſane in maxima felicitatis parte ponerem, vel oculis ſaltem luſtraſſè tantæ raritatis *καμήλιον*, nedum bibendi gratia ori admoviſſe, ejusqve contactu labra conſecraſſe; & qvidem tanto Heroë jubente, cujus gratia omni pretioſior auro eſt. Qvod

vero

vero à me petis, ut communicem tecum, ſi qvæ tam in S
qvam patriæ noſtræ monumentis de vetuſtiſſimo *Cornuu*
modi apud noſtrates uſu obſervaverim: id lubens nunc
tiſſem, niſi omnis me copia exemplorum deſtitueret, qvib
negotio lucem aliqvam affundere liceret. Nam unum a
rum *Saxo* nobis ſuppeditat; qvibus tamen diverſos Co
uſus exprimit. Sic *Lib. VII. Hiſtor. Danicæ*, Sigari
Hagbartho, patibuli candidato, & jamjam morituro, p
ſcyphum corneum, ut loqvitur *Saxo*, hoc eſt, cornu l
plenum, atqve ita compellat:

Nunc inſolens Habarthe,
Qvem morte dignum concio
Adjudicavit omnis,
Sitis fugandæ gratia,
Ori dabis bibendum
Scypho liqvorem corneo.
Ob hoc metum refutans,
Vitæ ſupremo tempore,
Audacibus labellis
Lethale liba poculum: &c.

Lib. V. Britannorum Regis aulam cultu magnificen
galis inſtructam deſcribens, hæc addit: *Nec bubalinoru*
nuum, qvibus potio promeretur, uſus aberat. At ex loco S
Lib. VIII. colligi utcunqve poſſe videtur, inter theſauros r
fuiſſe cornua, ubi recenſet divitias Ugartilochi: *Huic adj*
ingens bubali cornu, exqviſito gemmarum fulgore operoſ
tum, nec cælaturæ artificio vacuum Cæterum ad potandi uſ
hibita olim fuiſſe cornua, docet etiam vetus Cantilena, qv
eſt *Lib. I.* inter eas, qvas *Wellejus* divulgavit: *v.* 30.
baade træt og mødig, af gandſke Hierte min: Giffue det
Himmerig, jeg haffde it Horn med Wiin! Inter varia
Nobilium inſignia in templo Sorano depicta, hodieqve
eſt bina cornua, colore flavo, qvi aurum repræſentaret
bris ornata, qvæ *Nicolai Drucchin* fuiſſe Inſcriptio teſtatu
ra certè exempla, ex noſtris Antiqvitatibus, de tali co
uſu, qvod nempe in magnatum menſis poculorum vices
verint, in præſentia mihi neqvaqvam ſuppetunt. Sec
alium uſum Cornuum fuiſſe indicant Rhythmi *Cantilen*
Lib. II. v. 5. Jeg vil laane dig Her Offe Dyre, met
gyldte Horn: Hand hugger ned for fod i Strid, ſom

Korn: Item v. 24. Det var unge Her Engelbret, Blæſer
ldene Horn: Saa vog hand de Veſter Gyllands Mend,
ionder de meje Korn. Scilicet, qvemadmodum Romani
in prœliis ad accendendos militum animos uſurpabant;
vondam noſtrates, ac præcipue Principes atqve Magnates,
cum animalium, tum ex argento, vel auro ſolido, fa-
ta, in bellis & expeditionibus geſtare & ad manum habere
nt, qvorum truci cantu & perterricrepo ſonitu inclinantem
erigerent, militumqve audaciam & fortitudinem inflam-
t... Id genus cornua antiqviſſimi Danorum à ſono Lyd vo-
: qvæ vox ſæpe occurrit in vetuſtis Rhythmis & Carmini-
Huic uſui deſtinatum fuiſſe illud in Cimbria inventum,
nunc poculi vicem exhibet, omnino judico. Id etenim hæ
es evincere videntur: 1. Qvod aureum hoc cornu illa
qva inflari ſolebat, vaſto pateret foramine, priusqvam
ſſimus Princeps, aureo indito qvaſi epiſtomio, obturan-
uraret. 2. Cornua ferè omnia, in menſis adhibita, pe-
qvibusdam ſeu fulcris nitebantur; qvorum nulla prorſus
c cornu, ut inaudivi, veſtigia apparent. 3. Ipſe inven-
locus meæ ſententiæ patrocinatur. Nam in via profunda
uſta inventum fuiſſe perhibent: per qvam Princeps aliqvis,
eros, in fugam conjectus, qvum penetrare conaretur,
llud amiſit: qvod poſtea ungulis eqvorum altius terræ in-
, multorum annorum decurſu ſepultum delituit, donec
are fatum dias in luminis oras revocaret. Ad ultimum, per
a olim, bona abalienata, & feuda collata, ipſe in *Faſtis*
ſervaſti. Hæc itaqve paucula ſunt, qvæ de variis cor-
uſibus tuam in gratiam literis conſignare potui: nullus du-
, qvin ex Antiqvitatibus Islandicis, qvarum tu peritiſſi-
plura eruere & publici juris facere allaboraturus ſis. Juxta
n tecum ſentio, nobile & dignum eſſe ſubjectum, cui ali-
mpendatur operæ. Et ſi qvid moliaris, non abs re fore
mo inſeruiſſe operi tuo Hiſtoriam de cornu qvodam à Vir-
ubterranea Comiti Oldenburgico, in venatione, ſitis extin-
læ cauſa, oblato; cujus delineatio exſtat *pag. 20. 1. partis*
rici Oldenburgici, qvod eum in finem transmittendum duxi.
& jucunda eſt Hiſtoria, qvæ exſtat pagina præcedente.
Vir amiciſſime, & me omni ſtudio atqve officio tibi addi-
num eſſe, certò tibi perſvade. Soræ, Pridie Calendar.
bris Anno Chriſti CIↃ IↃCXL.

CCI.

CCI.

STEPH. JO. STEPHANII

D. Olao Wormio.

QVa potui fide ac diligentia conſilium atqve pr
Doctoris Henrici Ernſtii de Cornu iſto Nycopienſ
tus ſum. Is autem ignarus, qvo tenderet iſta mea curi
qvidnam tam ſollicita inqviſitione molirer; mentem m
confidentius apperuit, ac ingenue faſſus eſt, ſe in deſ
aureolo iſto poculo, & inprimis Notis ac Sigillis Hiero
exponendis, operam ſuam Sereniſſimo Principi co
atqve illum viciſſim Effigiem cornu iſtius in plumbo
expreſſam ſe qvamprimum transmiſſurum promiſiſſe.
a me rogatus, an manum admoviſſet operi? ſe hac de r
rulam qvidam in chartam conjeciſſe firmavit. Proind
qvod præclaro conatui tuo, cujus ſpecimen luculen
mihi nuper exhibere dignatus es, ullam obiici remoram
Qvin potius tu Clariſſime Vir, qvi natura factus es ad
Antiqvitates eruendas & illuſtrandas, palmam hanc in n
ſitam prior occupa, & qvod jam de pretioſo iſto Καμη
mentari cœpiſti, da operam ut prima qvaqve occaſion
juris facias. Ita ſane & Sereniſſ. Principis gratiam & fav
conciliabis, & de patria noſtra juxta ac tota poſteritate
mereberis. Adde qvod pulchrum ac decorum ſit ab homi
Danicas Antiqvitates, potius qvam ab externæ nationis
dias luminis oras produci. Nec facile crediderim *Ernſ*
ſtrum ea eſſe rerum abſtruſarum peritia, aut tanto ing
mine, ut in enodandis tam reconditæ eruditionis myſte
laude & dexteritate verſari poſſit. Cæterum Locum iſt
attinet, qvem ex *Chronico Holſatiæ Ernſtium* de uſu *corn*
ſervaſſe inaudiviſti; haud eqvidem inficias ivit, tale qv
qvum in contubernio Nobiliſſimi *Oligeri Roſæcrantii* a
Chronico qvodam *MS.* de ſingulari *cornuum* in ſacrifici
noſtrates gentiles, uſu, à ſe obſervatum & excerptum
verum tam Chronicon ipſum, qvam Excerpta illa ſua
dis periiſſe. Hæc habui, qvæ in præſentia te edocere
qvorum mentionem apud me injicere voluiſti, qvum

lem una eſſemus. Qvod ſi erit unqvam, in qvo tibi alioqvin tificari qveam, in vota tua me paratiſſimum experieris. Vale ariſſime Dn. Affinis, & me ama. Soræ, d. XIV. Novembris IↃcxL.

Speculum meum *Regale*, aut qvicqvid illud libri, qvod iſthic reliqvi, qvæſo te, diligen- evolvas, & ſedulo obſerves, ſi qvæ notatu na, vel alicujus momenti, occurrant. rum Vale.

CCII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

ram.

Ro navata mihi opera in negotio tibi noto gratias ago qvàm maximas. Tuo igitur inſtinctu & hortatu operam dabo, actutum *Cornu* noſtrum explicetur. Hactenus totum me ha- uit Promotio Doctoralis, cujus mitto *Diſputationem*. Ex Islan- a nihil, momenti qvod eſſet alicujus, accepi. *Speculum* tuum adidi Islando cuidam, meo diſcipulo, ut exciperet, & in La- nam Lingvam transfunderet. Qvæ Hiſtoriam Naturalem aut oliticam attingunt, ubi habuero, tecum erunt communia, odo ſint qvantivis pretii. Vale, affinis cariſſime, & fave. afn. 10. Decembris, 1640.

Chronologia mea tibi curæ ſit, rogo.

CCIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

Χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπράττειν.

EXcellentiſſime & Clariſſime Domine Doctor Wormi, Affinis & Amice perpetuo amoris & honoris cultu proſeqvende. yas mecum nuper communicaſti Antiqvitates Islandicas, non e debita gratiarum actione nunc tibi reſtituo. De *Chronologia*

tua male me habet, qvod voto tuo atqve exſpectationi obſecundare neqveam. Multa etenim ex iis, qvæ deſiderari videntur, me peregre abſente contigerunt: tibiqve notiora ſunt, qvam ut aliorum indigeant commemoratione. Accedit qvod admodum paucos exſtare ſciam exterorum Scriptorum, qvi res Danicas tam accurate perſeqvantur, ut vel ad minutiſſima qvæqve deſcendant. Proinde per amicitiam te noſtram rogo atqve obſecro, ne ſiniſtri aliqvid de mea voluntate ſuſpiceris; ſed hanc qvaſi parendi dedignationem Auctorum inopiæ, unde defectus iſte ſuppleri deberet, unice imputes & aſcribas. Qvod ſi alioqvin erit, in qvo tibi gratificari qveam, in vota tua facilem me promptumqve experieris. Vale, Vir amiciſſime, & me ama. Soræ, ad d. XV. Decembris, Anno Meſſiæ, Regis æterni cIɔ Iɔcxl.

CCIV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

TUo potiſſimum inſtinctu, Affinis cariſſime, *Cornu* Principis evulgavi, cujus jam mitto exemplum, qvod ut boni conſulas atqve in meliorem partem interpreteris, rogo. Irrepſere ob feſtinationem varia ſphalmata, qvibus æqvum Lectorem condonaturum confido. Tu ſi qvæ animadverteris, de iis, qvæſo, me moneas data opportunitate; animus eſt enim, inter *Monumenta* reliqva ei locum dare, ut, ſiqvid jam peccatum, tum emendetur. Qvæ ſint Veſtratium, qvos noſti, de eo judicia, candide, qvæſo, edoce. Qvod Affini *Drachardo* mitto, ei tradere haud graveris. Vos officioſe ſimul ſaluto, & valere jubeo. Hafn. 10. Febr. 1641.

CCV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVem antehac mihi ſumma cum benevolentia legendum exhibuiſti Tractatum tuum vere aureolum de *aureo cornu Electi Principis*: eum publici nunc juris factum non ſine incredibili animi voluptate denuo legi, relegi, perlegi. Certe immenſo & immor-

mortali beneficio tibi devinxiſti univerſam patriam noſtram, ınemqve adeo, ad ſeros usqve nepotes, poſteritatem; de a ſicut hactenus eruditiſſimis lucubrationibus tuis præclare ritus es! ita &, egregio hoc Antiqvitatis monumento à te per in lucem edito, novum tantis meritis cumulum addere luiſti. Inprimis ex animo mihi gratulor ac impenſe gaudeo, od meum ſeqvutus conſilium aliorum hac in parte conatus tua igentia præverteris. Noſti etenim, qvam ſatagei & præſtere curioſi ſint nonnulli exterorum, qvi apud nos verſantur: ∶o ut ſi ipſorum in poteſtate ſitum eſſet, omnem ferè ſcribendi teriam nobis præriperent, nihilqve intentatum relinqverent, am ex iis, de qvibus haud magis judicare poſſunt, qvam cæcus coloribus. Videant igitur invidi peregrini, noſtræ qvoqve luſtriæ aliqvid commune relictum, &, uti ille ait:

Magnos poſſe viros & magna exempla daturos,
Vervecum in patria, craſſoqve ſub aëre naſci!

Videant, inqvam, & ringantur, & rumpantur ilia Momo. qve non eſt qvod nimium ſollicitus ſis eorum de judicio ac ıſura; qvam vel de rebus extra omnem reprehenſionem po- is peragere ſolent longe iniqviſſimam. Acqvieſcas modo in cero omnium φιλοπατρίδων καὶ φιλοισόφων erga te & ſcripta ı affectu, apud qvos omne tuliſti punctum, *qviqve jamdu- m nomini tuo, ad Aram Æternitatis, Lauream reconditæ uditionis, Gloria & Fama conſpirantibus, ſuſpenderunt.* ıi omnes Boni acclamant; *Euge, καλῶς, merito, feliciter!* Inſu- r ſedeat illud Terentianum animis noſtris fixum trabali clavo: *'i mordere clanculum, ego flocci facere.* Audivi eqvidem apud ›s, qvi dicerent, cuivis in expedito eſſe ſenſum aliqvem ſigillo- ım & Notarum ejusmodi eruere, qvum ſola conjectura nitatur lis aſſertio: imo ſolenne hoc eſſe aurifabris & ſculptoribus, ut ɛpe Emblemata, nihil qvæ ſignificent, operibus ſuis imprimant elo, ingenii duntaxat oſtentandi cauſa. Qvos ego firmiſſimis ra- onibus ſolide refutavi. *Doctor Ernſtius* noſter tanqvam pro aris ı focis pugnat ac contendit in defendendo uſu cornuum in ſacri- ciis apud veteres noſtrates: ſed nihil admodum ſententiæ ſuæ rmandæ loco adducit, qvod alicujus ſit momenti. Unicum ıbſidium ſibi qværit in *Chronico* iſto *Holſatico*, qvod ſe ha- uiſſe jactat. Illo amiſſo, vult nos fidem adhibere iis, qvæ forte ı eo Codice nunqvam extiterunt. Verum hæc inter nos pe-

 reant!

reant! *Doctor Laurenbergius* putabat Emblema illud terti
culi, ubi homo apparet hominem mactans & crebris vulne
conficiens, innuere ritum humanas immolandi victimas, ge
bus uſitatiſſimum. Qvæ conjectura licet ſpeciem qvandan
ſe ferat, tamen juxta tecum ego ſentio, & omnino referer
eſſe exiſtimo, ad crudelem illum noſtratium morem, qvi
vos hoſtes hunc in modum cultris ac gladiis ſciſſim lancin
ulciſci injurias ſuas volebant. Qvod me attinet, nihil pr
animadverti dignum Critica nota. Unum ſaltem aut alt
addam, monitionis, non correctionis, ergo. Principio n
qvid cauſæ ſubſit, qvod pag. 34. uſum illum cornuum apu
teres Anglos prætermiſeris, qvo nempe bona & latifundia
pinando alienare ſolebant; qvum in *Faſtis Danicis Lib. I.
XVIII.* diſertis verbis indicaveris Cornu ſignum eſſe *Liber
tis*. Nam ita ibidem loqveris, pag. 44. *Qvinimo antiqvitus pr
& alia bona exhibitione & propinatione cornuum abalien
tur.* Qvæ verba in hoc tractatu tuo denuo allata fuiſſe op
Nunc indicas duntaxat boum cornua Britannis pocula ſup
taſſe. Non tamen inficias eo, qvin poſſit diligens & attentu
ctor ex citatis locis talem ſenſum eruere. Deinde cornu illu
landi, *Olivant* dictum, cujus *pag.* 29. mentionem injicis, a
Burdigalæ aſſervari docet nos *Paul. Merula Coſmographi
Partis II. Libro III. pag.* 429. ubi de oppido *Blavia* diſ
*Incolæ volunt Rolandum Palatinum, Præfectum ſub K
Magno littoris Britannici, apud ſe natum, ſuum fuiſſe C
tem, apud ſe deniqve tumulatum, in Eccleſia D. Rom
Enſe adpoſito, qvem Durandal vocitant, Cornuqve ipſi
pedes tumuli; qvod tamen poſtea in Eccleſiam D. Severini
digalam perbibetur tranſlatum.* Ad ultimum & illud mo
dum duxi, è re videri & commodo Lectoris, ſi vocabul
nica, item Rhythmi, verſus, & id genus alia ex Iſlan
Antiqvitatibus deprompta, ſtatim vulgari charactere e
merentur, qvomodo à te factum in Faſtis Danicis ubiqv
e. g. pag. 38. ᚦᚱᛁᚦᛁᚢ᛫ ᛒᚢᚱᛁᚢᚾ᛫ &c. *Dridiu B
à neſta Midvigu tabi eptir Kryſſmeſſu i Septembri.* Et ta
Latine exponerentur, uti hoc in loco: *Tertius incipit p
die Mercurii poſt feſtum Crucis in Septembri.* Eo etenim fa
& lingva & literatura Runica ab imperitis addiſceretur. V
id tuo relinqvimus arbitrio. Atqve hæc de *Avreo* illo *Corn*

Cæterum non potui, qvin & tecum in præſens comn

c

m *GRETLAM*, ſive *Hiſtoriam Gretteri Aſmundii*, qvam
o mihi nuper tranſmiſit *M. Brynolfus*. Peramanter rogo, ut
rpretem adhibeas Islandum qvempiam, qvi in his ſumma
qve capita exponat; & inprimis ritus & mores antiqvos inde
rpat, qvi facere poſſunt ad illuſtrandum *Saxonem*. Ubi
lverit, remittas qvæſo, & per bonæ fidei internuncium.
re etenim ferrem jacturam tanti theſauri. Sed noſtine mo-
n, qvo elui poſſint & mundari ejusmodi tenebroſa volumina?
d ſatis demirari neqveo, qvod omnes & ſinguli Codices etiam
annos trecentos, qvadringentos, & ultra, ſcripti, non lite-
Runicis, ſed charactere veteri Islandico exarati reperiantur,
tqvot huc transmittuntur. *Speculum* meum *Regale*, ſi
s ex voto es, velim prima qvaqve occaſione reſtituas; &
ul una communices, qvæ inde per interpretem deſcripta ha-
. Hac in parte rem mihi præſtiteris longe gratiſſimam. Et
precibus te fatigare ceſſem, enixe abs te contendo, ut ad exi-
m temporis ſpatium, *Lexicon* tuum *Islandicum* utendum
i concedas; ut inde excerpam, qvæ inſervire poterunt au-
dis in *Saxonem* Notis. Huic adjungas veteres *Cantilenas*
Rhythmos à Magno Olavio tibi transmiſſos, qvi *res geſtas*
tinent veterum Danorum & Norvagorum, tam Principum,
m aliorum Magnatum, & celebrium Skaldorum. Sic enim
et inſcriptio. Si qvid erit unqvam, in qvo viciſſim tibi gra-
cari qveam, experieris me in vota tua facilem, promptum, at-
paratum. Vale feliciter, Vir Bono publico nate, patriæ
us, ſeculi lumen, caput mihi chariſſimum, & me ama ac fo-
favore complectere. Salutem plurimam aſcribo conjugi
e ſvaviſſimæ, juxta ac Genero filio tuo *M. Erico Tormio*;
em meo nomine ſalutatum compelles, rogo, ut exemplar Re-
m æri inciſorum cum adjuncta Deſcriptione ſua impertiat,
do lucem aſpexerint. Saxonis mei editionem reſervo au-
ciis novi Typographi noſtri. Soræ, a. d. X. Martii,
DcxLI.

CCVI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio,

ram.

Audeo tibi non diſplicuiſſe *Cornu* noſtrum; Momos non mo-
ror modo bonis patriæ addictis, tumultuaria hæc opera arri-

deat. Illi, qvi putant, tam facile, tam expeditum eſſe, ſenſ
ejusmodi ſigillorum eruere, tentent, qvæſo, & alium no
dent meliorem; etſi glaciem fregerim, laudem hanc iis non
videbo, modo rationi & auctorum probæ notæ decretis conſ
produxerint. Nec meris nitimur conjecturis, ut fingunt,
optimorum & claſſicorum auctoritatibus. Iis, qvi Aurifabr
ingenii oſtentandi cauſa, hæcce ſigilla cornu impreſſiſſe rent
in ipſa Diſſertatione reſpondimus; prævidimus enim h
omnia. Et qvæſo dicant nobis boni iſti, an nunqvam in cant
ris, poculis & ſcyphis etiam hodiernis viderint ab aurifab
inſculpta Emblemata, fabulas Ovidianas, hiſtorias ſacras, ve
tiones, inſignia & ſymbola poſſeſſorum, aliaqve ejus gene
qvæ an propterea nihil ſignificabunt, qvia ab aurifabris ſculp
qvi qvandoqve ſolent pro lubitu cerebri figmenta addere? Bar
ſit & blennus, qvi inter hæc diſtingvere non norit. Qvia ſa
phantaſias ſuas ſculpunt, ergo ſemper, ergo hic deliria. *Ern*
credam, ubi videro. Sit ita, fuerit qvidam, qvi talia ſcrip
qværitur, cujus auctoritatis & fidei? contrarium cum aſſer
omnes, qvos habemus ſuperſtites, optima fide de rebus noſ
tractantes. *Laurenbergii* conjectura de tertio circulo locum
beret, ſi qvidpiam præterea in eodem extaret, qvod ſacrifica
ritus indicaret; ſed cum omnes reliqvæ figuræ bellorum ex
beant effecta, & hanc imaginem excipere neqveo: ſi aræ, ſi inſt
menta, ad ſacrificia ſpectantia, hic viſerentur, probabilit
aliqvid ſortiretur hæc opinio. Cæterum amicas tuas monitio
gratus amplector, & gratias ago maximas. Qvia *Liberalita*
illa ſpecies, qva Latifundia propinando abalienabant Angli,
tando perficiebatur, ſufficere mihi videbatur, ſi ſub hoc gene
uſu particularem, qvi in modo non diſcrepabat, comprehen
rem. Valde mihi placet locus, qvem ex *Marula* ſuppedita
addam, ſi qvando contigerit iterato Tractatum noſtrum pra
ſubjici. Runica vulgari charactere exprimere non viſum, t
ut occaſionem ſuppeditarem aliis, majori diligentia in *Litera*
ram noſtram inqvirendi, tum ut qvæ nos de iis commentati
mus, ſibi familiaria redderent; non enim placuit illis, qvi h
tam facilia præſtitu rentur, præmanſum cibum in os ingere
ſint qvædam, in qvibus dentes frangant naſutuli Momi. N
nobis adhuc animus eſt, in iis, qvæ poſthac literis Runicis ed
tur, vulgaribus exprimere, cum videam, eos, qvi Hebr
qvi Arabica, qvi Æthiopica edunt, id non facere. *Gretl*

grat

ratum remitto, cum neminem hic habeam, qvi cum fructu aliqvid in eo enucleando præſtare poſſit. In priſca hac Lingva & Literatura plane idiotæ ſunt, qvi hic reperiuntur, Islandi, nobis nulli uſui. *Speculum* tuum cuipiam tradidi, qvi ſibi præ reliqvis ſapere videbatur, qviqve ejus interpretationem pollicebatur, cum vulgari litera Islandica ſcriptum eſſet; ſed qvid præſtiterit, vides. Ferunt, *Sverronem*, Norvegiæ Regem, ejus eſſe Auctorem. De *Grettero* qvædam leges in *Crymogæâ Arngrimi*. Erat hic ante paucos annos *Sveno Jonæ filius*, diſcipulus meus, de qvo tibi ſcribit *Brynolphus*; ejus opera multum adjutus ſum; præterqvam enim qvod erat Antiqvitatum callentiſſimus, facilem & promptum ſe mihi ſemper præbebat; is *Eddam* meum à tenebris purgavit; dixit vero ſe ad hanc rem uti urina humana, qva abluenda erat membrana, cœlo frigoribus maxime horrido; plura non addidit: ego nondum expertus ſum. Mitto *Lexicon* meum & *Cantilenas*, qvas petit; verum Lexico ægre carere valeo, qvod in eo ſim, ut in meliorem redigam formam, & prælo ſubjiciam, ut ſit appendix ad *Literaturam*. Tu qvam citeri poteſt ocyſſime reſtitues. Chartam *Cantilenis* annexam, qvæ partem continet eorum, qvæ in libro continentur, tibi dono mitto. Gener *Tormius* promiſit, ſe Reges miſſurum, ubi prælo fuerint commiſſi; aliis occupatus eſt, ut hiſce manum admovere nondum ipſi licuerit. Gaudeo rem eo deductam, ut *Saxo* tuus itidem excudi poſſit. Deus conatus fortunet! m. Mart. 1641.

CCVII.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

Gnoſcas mihi velim, qvod *Gloſſarium* tuum plus juſto diutius penes me detinuerim. A capite etenim ad calcem, qvod dicitur, perlegendum mihi ſuſceperam, ut obſervata nonnulla inde excerperem, qvæ *Saxoni* illuſtrando inſervirent. Et me non pauca ſeſe obtulerunt, qvæ propediem in *Notis* meis une inde inſerta videbis, ubi ipſe lucem viderit *Saxo*, σὺν θεῷ. Nunc ſumma votorum meorum eſt, ut inſcriptionibus tuis Runicis ad tempus frui liceat, qvarum uſu vehementer indigeo. Multa enim antehac in eis animadverti ſcitu & notatu digna, qvæ

chartæ per alias occupationes tuam committere non licuit, qvum mihi utendum concederes. Si itaqve ſine tuo fieri poſſit incommodo, ut prima qvaqve occaſione huc transmittas, peramanter rogo. *Doctori Ernſtio* hodie ſignificavi, me Epiſtolam ſuam tecum communicaſſe; qvod ipſo non nolente factum multis ex indiciis colligere potui. Verum obnixe rogavit, ut literas, qveis judicium ad me tuum eodem de Epiſtolio perſcriberes, ipſi oſtenderem. Qvod cum, licet invitus, promittere coactus eſſem, in anteceſſum hac de re admonendum te duxi, ut circumſpecte ageres, & qvæ calamo tuto concredere non liceret, ea in meum ad vos adventum reſervares, qvem poſt Ferias imminentes, Deo volente, ſum adornaturus. Sin autem in mentem tibi veniat ἀμοιβαίας Epiſtola, qvæ refutatione digna videntur, ad cenſuram vocare, & contrariis rationibus refellere; qvæſo te, ea altiſſimo ſilentio transmittas, qvæ nuper ad te perſcripſi, qvæ ſcilicet ego deſiderarem & correctione indigere putarem. Vale & me ama. Ad d. XIV. Martii cIↄ IↄcXLI.

CCVIII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum nuper in *Saxone* meo pervolvendo totus eſſem, incidi forte in locum iſtum de Idolo Rugianorum *Svantoviti*; qvem in dextra *Cornu vario metalli genere excultum* geſtaſſe refert *Libr. XIV.* Eum tibi antea non indicaſſe me, ſane graviter tuli. Videbam enim haud exiguam lucem tuæ Diſſertationi de vario cornuum apud veteres uſu affundere poſſe. Veruntamen putabam probe me officio meo defunctum, ſi vel nunc, licet ſero nimis de eo te edocerem. Sed qvid fit? Vix triduum interceſſit, ex qvo hæc animum meum ſubierat ſollicitudo, qvum *Henr. Ernſtius* noſter Epiſtolam, qvam vides, ſuam de eodem loco, & *Cornu Svantoviti*, meeum communicaret. Legi avide, fateor: ſed carbones pro theſauro inveni. Ne dicam, qvod nihil adducat ſolidi pro ſua firmanda ſententia; præterqvam qvod cornuum ejusmodi aliqvalem in ſacris uſum apud *gentiles qvosdam*, ut ipſe loqvitur, fuiſſe utcunqve demonſtret. At apud Danos noſtros talem fuiſſe, in æternum non probabit. Deinde *Saxo* ſcribit

cornu

iſtud *Svantoviti* vario metalli genere excultum; qvod de Electi Principis intelligi vix poterit; qvum unico, & non videlicet auro, metalli genere conſtet, licet variet illud aurum, & una lamina melioris notæ præ alia metallum eat. Nec eſt, qvod evincat, cornu *Svantoviti* Epiſto- habuiſſe, qvod facile amitti potuerit. Nam *Saxo* mox *poculum* nominat. Cui uſui deſtinata cornua, ab una omnino occluſa erant, ſed ab altera, qvæ ori bibendi admovebatur, vaſto hiatu aperta. Ridiculum autem ſe t, qvum hæc verba Saxonis: *Læva arcum, reflexo in latus io, figurabat*, referenda exiſtimet ad hominem arcum te- m. *Saxo* etenim iſtis verbis duntaxat effigiem Idoli deſcri- vod lævam in latus reflexam habuerit inſtar arcus incurva- qvod *Plautus*, ni fallor, dixit *anſatum incedere*. Qvin- *legem Valdemarum* cornu hoc in Daniam ſecum attuliſſe eqvidem: ſilentio vero tranſmittit, qva occaſione illud ſe, vel poſteri ejus, amiſerint, & qva ratione ad iſtum lo- ubi inventum eſt, pervenerit. Speciem ſaltem habere ır, qvod puncta illa ſexti Circuli ad inceſſum Eqvi fatidici ngat. Sed malo tecum ſentire. Tuum erit rationes ipſius ulate examinare, & qvodnam ſit tuum de hac *Epiſtola* ipſius um, candide me edocere. Velim autem tibi perſvadeas, nos periturum, qvicqvid hac de re meæ fidei commiſeris. nullum eſt dubium, qvin urat & male habeat *Ernſtium*, exqviſito illo Tractatu tuo ipſius induſtriam præveneris, qve præripueris apud Sereniſſ. Principem ſe inſinuandi &c. nsmiſſo nuper *Lexico* juxta ac *Cantilenis* Islandicis amo te tiam habeo. Has per præſentem internuncium reſtituo: intra paucos dies ſeqvetur. Excerpo enim, qvæ faciant ad *tem* meum illuſtrandum: qvod te volvente fiat. Bene ptime Amicorum. Soræ, d. VIII. Aprilis, clↄ Iↄcxli.

CCIX.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

s.

binas tuas ſimul reſpondebo, una fidelia duos ut dealbem parietes. Gratiſſimum mihi fuit, qvod locum illum in

Saxone communicare volueris, alias ejus mihi erit uſus. Gratius, qvod *Epiſtolæ de Cornu aureo* me participem reddideris; qvid de ea ſtatuam, ex adjunctis videbis. Miror, hominem tam pueriliter ineptire; nunqvam credidiſſem. Exſpectabam ex *MS. Chronico Holſatico* loca, ad rem noſtram facientia, ſed de eo altum, ut video, ſilentium. Nollem, eum famam & exiſtimationem ſuam apud doctos ita proſtituere; Qvocirca, qvantum potui, ab ipſo removi has nugas, ut mihi res eſſe videretur cum alio, qvi ejus nomine abuteretur. Mitto, ut ei oſtendas, qvam ineptiat, & ſi aliis ſuam communicaverit, ut & hanc communices. Si ipſi viſum, prælo ſubmittat; mea mox ſeqvetur. Non ſubterfugio diſputationis aleam, modo ea adferat, qvæ momenti ſunt alicujus. Puerilia pueriliter ſunt tractanda. Incidit mihi hæc tractanti, te, *Svantoviti* imaginem olim æri incidi curaſſe, qvam delineationi à *Saxone* allatæ minus competere animadverto, qvod non potui non monere. Vide ipſe, an reſpondeat deſcriptioni *Saxonianæ*. Qvantum mihi videtur, membra proportione grandiora eſſe debebant. Brachium lævum oportebat arcum figurare, non vero arcum tenere. Tunica tibias non tangit. Baſis, cui inſiſtit, ſupra terram eminere non debebat. Cornu ſat probe; vario enim metalli genere exornatum utcunqve demonſtrat. Nollem enim, te qvicqvam *Saxoni* minus conſonum producere. Nuper Regiomonto literas accepi; monet amicus ibidem eſſe Chymicum Paracelſiſtam, qvi magni faciat meum cornu, & dejerat Runas noſtras & Skaldros Chymicos fuiſſe, atqve in hoc Cornu contineri verum modum lapidem Philoſophorum conficiendi. Vides, ut pomum projecerim Eridis. Diutius adhuc tecum detinere potuiſſes Lexicon meum, ſi ex uſu fuiſſet. Monumenta mea qvod ſpectat, ea nemini niſi noto committere audeo, cum eorum mihi non ſit apographum; cum veneris, tibi ipſi tradam. Sed vellem, te adventum tuum paululum differre; tertia enim feria Paſchatos, juſſu Regiæ Majeſtatis in Falſtriam ad Sereniſſimum Principem conferre me cogor, forſan per octiduum aut amplius ibidem commoraturus. Te præſentem conventum cuperem, cum ſit, de qvo coram agamus. *Burſero* veſtro Taxam pharmacopolii noſtri utendam dedi, qvam ſe mox redditurum ſpopondit; moneas, qvæſo; nam ægre carere valeo, cum tempus immineat, pharmacopoliorum viſitationi deputatum: Vale, & ut ſoles, ama. Hafniæ 17 Aprilis 1641.

CCX.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum fando nuper inaudiverim, te animo nonnihil commotiori *Epiſtolam* illam *Doctoris Ernſtii* tibi non ita pridem tranſmiſſam, excepiſſe, totumqve in eo nunc te eſſe, ut publico ſcripto ejusdem Refutationem adornes: non potui, qvin hac de re inpræſens te compellarem, & inſtitutum tuum, qvantum in me eſſet, impedirem & averruncarem. Id qvod ut facerem, graviſſimæ me cauſæ rationesqve impulerunt. Haud etenim eo conſilio mecum iſtam communicavit Auctor, ut ejus tibi copiam facerem priusqvam Nobiliſſ. *Gerſtorffius*, cui inſcripta erat, deſtinato Exemplari potitus eſſet; verum ut per otium tantum recognoſcerem, & ſententiam deinde meam ac judicium de hoc Epiſtolio ingenue & candide impertirem. Ubi verò certior factus de Tractatu iſto ſuo tam mature divulgato; non eqvidem ægrè id tulit, ſed tamen ipſo non pure volente id factum, animadvertere potui. Qvod ſi jam intellexerit te, præter omnem exſpectationem, Refutationem moliri, de mea fide & candore actum eſt. Adde qvod in flagrantiſſima ſit gratia Generoſi Dn. Præſidis noſtri, qvi mihi imputabit, ſi res ad ulteriorem controverſiam devenerit. Habebis etenim certe in *Ernſtio* perpetuum & pertinacem Antagoniſtam, qvi licet victus non dabit tamen victas manus. Qvocirca per amicitiam te noſtram rogo atqve obſecro, ut privatim cum ipſo agas, & Epiſtola vel ad me, vel ad *Ernſtium* exarata, ſed ſine felle & aceto, totum negotium placidè conficias. Sunt & aliæ rationes, qvæ & te & me movere debeant, qvas in adventum ad vos meum, *σὺν θεῷ* reſervabo. Vale, Vir ampliſſime, & me ama. Soræ, ad d. XVIII. Aprilis cIɔ Iɔcxli.

CCXI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Extorſit à me nuper *Ernſtius* noſter exemplar *Reſponſionis* tuæ, eâ lege, ut mox reſtitueret. Verum poſteà reddere noluit. Hine

Hinc ego te denuo compellandum duxi, ut novum exemplar deſcribendum curares, ſed paulo elegantiore & nitidiore manu, qvam prius illud conſignatum fuit. Nonnulla etenim inibi corrupta obſervavi. Inprimis te rogo, ut exemplar iſtud, qvod nunc expecto, in expedito ſit meum in adventum, qvi jam ad diem Lunæ ineuntis ſeptimanæ, σὺν θεῷ, imminet. Tum de variis, qvæ hoc negotium concernunt, tecum accuratius agam. Interea velim literas ad te meas, qvas vel ante, vel poſt editionem Tractatus tui de Aureo iſto cornu, ſcripſi, nemini mortalium oſtendas. Qvid cauſæ ſit, intra paucos te dies edocebo. Aderit una *Ernſtius*, plenus irarum. Vale & me ama. Roeſchildiæ; ubi nunc juſta funebria Novercæ *Ceciliæ* celebraturus hæreo. d. VII. Maji, cIↄ IↄcxLI.

CCXII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

De qvibus tecum nuper præſenti mihi plenius agere ob temporis brevitatem, amicorumqve interpellationem, haudqvaqvam licuit: ea nunc denuo tibi in memoriam revocare his literulis, qvas tamen & occupatiſſimus ſcripſi, placuit. Inprimis non poteris dememiniſſe, qvam ſollicitis ambivi votis Inſcriptiones tuas Runicas, qvas te Magnifico Dn. Cancellario utendas dediſſe ſignificaſti. Earum adhuc incredibile me tenet deſiderium: præſertim qvum vehementer inſervire mihi poſſint in illuſtrando Commentario, qvem in *Saxonem* noſtrum indies adorno. At, inqvies, ut primum bonæ fidei internuncium mihi exhibueris, voti te tui compotem reddam. Ecce nunc adeſt *Ernſtius* ille noſter; qvi operam mihi ſuam in iſtis deferendis minimè denegabit. Sed ut omnia hæc ipſo fiant inſcio, qvicqvid ad me deſtinaveris, audacter committas Affini meo *Eiſenbergio*, qvi à me taliter edoctus, faſciculo à te tradita tam diligenter involvet, ut nihil inde tranſmiſſum ſubolfaciat. Vereor etenim ne detrectet accipere, ſi tua id intereſſe reſciverit. Velim etiam eadem occaſione communices mecum exactam & accuratam rupis Blekinganæ, *Runemo* dictæ, Deſcriptionem & formam æri vel ſtanno impreſſam: ſine qva in *Notis* ad *Præfationem* progredi vix poſſum.

Ad

ultimum noli, qvæſo te, fruſtrari me novo exemplo *Epi-*
æ tuæ Apologeticæ, qva me privare voluit *Ernſtius*, neſcio
a de cauſa, niſi qvod vereretur, ne communem pluribus
erem. Is graviter offenſus vocabulo *injuriæ*, qvod toties
ultima *Epiſtola* tua inculcaveras, actionem injuriarum tecum
ituere parat. Vide ſis ad ipſum excipiendum promptus
ve paratus. De cætero te, mi optime Amicorum, una cum
ore dilectiſſima divinæ protectioni æternum commendatum
lere atqve Salvere ex animo jubeo atqve exopto. Soræ,
. XVI. Maji, CIↃ IↃCXLI.

CCXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

am.

Iſcriptiones meas nondum reddidit Magnificus Dominus Can-
cellarius. Nuper, cum in cœna ei adeſſem, earum qvidem
it mentionem, at, qvia nondum pellegiſſet, dixit, ſi earum
hi non eſſet uſus, adhuc ſecum detinere ulterius conſtituiſſe.
petere igitur non auſus ſum, anteqvam ſponte ſua offerat.
vero putes, me hoc obtendere, qvod commune tecum eſſe
im, ecce prima mea mitto conjectanea, in qvibus tamen
lta deſiderantur, qvæ in deſcripto extant; horum tibi ſi uſus
poterit, usqve dum, qvæ habet, reſtituat Cancellarius,
ens indulgeo. Nollem vero, te cuiqvam monſtrare, cum
almata feſtinatione nimia ſubinde obrepſerint, qvæ ſublata
t in altero. Rupis Blekingianæ addo ectypum; qvæ de ea
ſignavi, inter inſcriptiones habes. Apologiam iterato ad te
ego, ſed manu amanuenſis mei minus nitida, minus ex voto
urata; interim qvalis qvalis ſit, boni conſulas, cum mihi non
facultas eorum, qvi bene pingunt. Qvid facturus ſit veſter
tceeſſor, exſpectabo; ejus magnopere non reformido congreſ-
, bonæ cauſæ fretus propugnaculo. Siqvid tentaverit, faxo,
eſciſcas. Vale. d. Maji 1641.

CCXIV.

CCXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum ante qvinqvennium, in literis ad me tuis, qvibus judicium tuum de *Notis in Saxonem* meis aperire dignatus es, inter alia monueris etiam, te diverſiſſimam ab aliis vulgatis *Salundiæ* noſtræ etymologiam inveniſſe in carminibus *Sigvaldi*, Scaldri Olai Sancti, qvi ait Selandiam veteribus dictam fuiſſe *Sælundur*, qvaſi *maris lucum:* peramanter te rogo, ut ipſa verba *Sigvaldi* tam Islandica, qvam Latina lingva deſcripta mecum qvamprimum communices. Et qvia memini me eandem vocis originem obſervaſſe in *Edda* Latino, qvem mihi perlegendum conceſſerat Illuſtris Heros, ὁ μακαρίτης, *Chriſtianus Friſius*, *Mythologia* nempe 1. ubi agit de Gylfi illuſione & Hari mendacio: qvæſo te, diligenter locum iſtum evolvas, & ſi uſpiam occurrat vocabulum *Sælundur*, edoceas, ſed ipſis verbis *Eddæ*, & qvidem in lingvam Latinam translatis. Idem officium mihi præſtes rogo in explicanda *Mythologia* 21. ubi agitur de *Niordo & Skade*, qvibus ibidem tribuitur carmen illud, qvod apud *Saxonem* exſtat Pag. Edit. Francofurt. 16. cujus initium eſt: *Qvid moror in latebris opacis?* Nam hæc verba Niordo adſcribit *Edda: Mihi ingrata ſunt montana; Longæ fuerunt noctes novem; Ululatum ego luporum cenſui malum, præ cygnorum cantu:* Skadæ verò ſeqventia aſſignat: *In neqve ſtratis ego qvivi maris obdormire, Avis balatus ſomnum excuſſit à ſalo Mane qvolibet mergus veniens.* Tu expende, mi amice, & Rhythmos ipſa ſua lingva loqventes exhibe. Nam conſtitui eos inſerere Notis meis in hunc locum. *Mythologiæ* qvoqve 63. verba, vernaculo ſermone deſidero, ubi de cognomine *Krake* Rolvonis Regis fit mentio. Ego nullus dubito, qvin operam mihi tuam hac in parte ſis perbenigne collocaturus. Nihil enim jam aliud tracto, nihil ſollicitius jam ago, qvam ut *Saxonem* meum tandem publici juris faciam. Deus fortunet! cui te, Amice unice dilecte, ex animo commendo. Soræ, a. d. XX. Maji cIↄ Iↄcxl.I.

Inſcriptiones tuas Runicas ſi *Ernſtio* non putes committendas, *Dn. Eraſmio Paulino*, Scholæ noſtræ Rectori, perferendas dare poteris.

CCXV.

CCXV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

LOcus primus, qvem expeditum cupis, ſpectat ad hiſtoriam Canuti Magni & ea, qvæ reperiuntur in *Chronico Norvagico*, *pag.* 271. *& ſeqv. Sigvaldus* namqve *Scald* dictus, de Rege Canuto poëma compoſuit, qvod *Hernadar drapu*, ɔ: en Kri[illegible]viſe vocavit, non generis *Drotqvæt*, ſed *Toglag* vocati, in hunc modum: (integrum apponam, ut, ſi viſum, in Canuti Hiſtoria locum inveniat;)

1. Knutr var ad himnum
2. Hyggek æt at frett
3. Haralldsi her
4. Hug vel duga
5. Let Lygotu
6. Lid ſudan or Nid
7. Olafur Joſur
8. Arſæl fara.

Canutus ſub aperto cœlo | *ſtrenuum ſe præbebat.*
Haraldi progenies id experta eſt. | *Olaus Rex optimus*
Claſſe mare ſulcabat | *Auſtrinum Nidæ linqvens amnem.*

Senſum, non verba exprimo; hoc enim nimis difficile.

Mox ſeqvitur: *Thurdu nordan* &c.

(NB. *hæc omittimus exſcribere h. l. legenda ad verbum in Stephanii notis in Saxon. Gramm. p. 20. a.*)

Hic notat paraphraſtes meus. *Silunnr* eſſe genitivi caſus, a *Sælundur* ɔ: Sæland, qvod *maris lucum* notat; addit, in veteribus manuſcriptis Sælandiam Danorum paſſim *Sælundur* vocari. In *Eddæ fabula* II. bis occurrit vocabulum *Selund*, & ſimul hujus Inſulæ origo in hunc ferme modum deſcribitur: *In Svecia Rex qvidam imperium tenebat, nomine Gylfi; hic fœminæ peregrinæ adventanti & ſvaviter canenti tantum dono dedit terræ, qvantum qvatuor boves unius diei & noctis ſpatio aratro verſare poſſent. Iſta autem è familia & progenie erat Aſianorum, vocata Geſion. Qvatuor ex Jutia Septentrionali accepti boves (qvi filii erant, qvos e gigante qvodam genuerat, & in boum formam mutaverat) iiqve aratro juncti, adeo profunde & late terræ tractum ſulcabant, ut non ſolum à continente magnam ejus ſepararent partem, ſed occidentem verſus per mare traherent, donec in fretis qvibusdam conſiſte-*

rent,

rent, ubi quieſcere eos juſſit Geſion: nomen vero ei impoſuit Selund. Eo vero in loco ubi extractum erat ſolum, ſucceſſit aqva, quæ jam mare vocatur in Svecia, cujus tales ſunt ſinus, qvalia promontoria in Selandia. &c. ut canit Bragi ſenior:

Geſion dro fra Gylfa, glöd diuprödul Ödla So ad affremmè rauknum, rauk Danmerkur auka Bæru Oxn ok Atta, enni tungl thar ed geingu Fyrer Wyneyra vidre Valröf fiogur höfud.

h. e. *Geſion profecta eſt à Gilva montibus, ſecum trahens prædia, qvæ à ſedibus imis eruerat, ut ex fumo, qvem præteriens excitavit, aucta ſit Dania. Boves macri in fronte notati, inter cœlum & terram iter fecerunt, præda dotati qvatuor capitum.*

Mihi non idem eſt numerus fabularum, qvi tibi, qvocirca qvæ citas, difficile mihi erat invenire in meo *Edda.* Qvam tu vocas *Mytologiam* 21. mihi eſt 26. *de Aſathore*, in qva extant, qvæ petis *de Niordo & Sckadi.* Qvia fabula tibi ſat nota, verſus mitto.

(NB. *hi verſus legi poſſunt in veteri Island. Lingva, cum interpretatione Latina, Eddæ à Reſenio edit. Fabula XXI.*)

De Rolfone Krake ita *Edda* meus:

(NB. *etiam totum hunc locum omittendum duximus, legendum in Edda à Reſenio edit. Mythologia LXIII. rectiùs, qvam dedit Stephanius nott. in Saxon. p. 73. b.*)

Præter enumerata à te carminum genera & hæc obſervavi: *Bragar bott*, *Taglag*, *Runhenda Drapa*, *Biarkamal*, *Ferſkeit wyſa* ɔ: qvatuor cornibus prædita, *Stutbola* ɔ: brevis toni, *Tov bragur* ɔ: ſonus vulpeculæ, *Liuflingslag* ɔ: Terræ accolarum tonus, *Liliulag*, liliorum tonus, *Haka bragur* ɔ: barbara cantilena, *ſextanmelt viſa*, *Skothendt*, interruptum genus carminis. Cal. Jun. 1641.

CCXVI.

STHEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVod tam benevolo affectu ſubinde mihi ſuppeditas, qvæ ad illuſtrandum commentarium in *Saxonem* meum faciant, non ſolum me tibi vehementer devincis, ſed & totam demereris patriam

triam noſtram. Monumentis tuis, te volente, etiamnum in-
:s utor, & fideliter excerpo, qvæ meo inſtituto qveant inſer-
re. Gratiſſimæ etiam fuere nuper communicatæ Antiqvitates;
as ſuo propediem loco ſingulas inſertas videbis Notis meis. In
i etenim jam tandem prælo committendis totus ſum, & omni-
s animi viribus in id unicè incumbo, ut diu exſpectatum Opus
:em qvam primum videat. Deus Opt. Max. det conatibus meis
odo ſucceſſum, vitamqve concedat ac valetudinem tanto labori
ceſſariam! Eam ſanè hiſce diebus ardentiſſima febris non pa-
m concuſſit; qvæ tamen per Dei gratiam ſenſim deflagrare in-
it. Nunc ſumma votorum meorum eſt, ut ex *Edda*, *Scalda*,
vetuſtiſſimis Rhythmis, qvotqvot noſti, corradas exempla,
ibus illuſtrare hunc locum *Saxonis* potero, qvi exſtat ſub ini-
m Libri I. de Gramo: *Tantumqve magnitudini ejus à poſteris*
butum eſt, ut in vetuſtimis Danorum carminibus ipſius voca-
lo Regia nobilitus cenſeatur. Cupio etenim dari mihi exempla
nnulla, in qvibus *Gramur* pro *Rege*, ſynecdochicè uſurpetur.
io tibi millena in promptu & expedito eſſe Antiqvitatum no-
arum peritiſſimo. Proinde fac & hac in parte te mihi facilem
hibeas, & qvantum fieri poterit, ocyſſime. Interea etenim
ferre cogor operas meas qvotidianas. Vale & ignoſce impor-
iitati meæ. Soræ, d. III. Junii Anni cIↃ IↃcxLI. mente &
inu febricitante.

CCXVII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

ram.

GRatum mihi cognitu fuit, te ab inſultibus febrilibus libera-
tum, *Saxoni* tuo denuo reſtitutum eſſe. Faxit Deus, ſal-
s & incolumis diu & huic & qvamplurimis aliis in Patriæ
mmodum ſuperſis laboribus, ut omnibus conſtet, in Patria eſſe,
i noſtras qvi intelligant, nec neceſſe operam mendicari exte-
rum, ſuas potius qvi curent, qvam noſtras. Qvæ de *Gramo*
petis, nunc mitto, qvamvis mihi non adeo ſint in numerato,
putas, qvippe qvi aliis curis ſtudia deſtinaverim, ac ejusmodi
i rariſſimè me dedam. Habes in *Edda*, ubi de Regum agit
ionymis, trium præſtantiſſimorum Poëtarum authoritates,

in qvibus pro *Rege* ponitur *Gram*. Primus eſt *Arnerus*; qvi de Barone Thorſin ita cecinit:

Obſervet cohors quæ ſpectatum eſt egreſſa
Nemi Drott hue ſia ſotti
Generoſum Regem Baronem
Snarlindur Kongur Jarla
Non defeciſſe ad Littus
Ei þraut ved ægi
Acerrimo Regi reſiſtere.
Of vægian Gram bregia.

Ex *Ottaro Nigro* hæc citantur: Godmennis &c.

(NB. *Reliqva exſcribere ſupervacuum cenſemus: legi* ƒ *omnia in Stephanii notis in Saxon. Lib. I. p.* 33.)

Ubi nota, Aulicos vocari *Kongs Runi*, qvod ant animadverti. In *Epinicio Egilli Scallagrimi*, à me ad c *Literaturæ* edito, duo habes exempla, qvæ ex libro peter Primum eſt in Stropha qvinta, totam, ſi libet, citare Alterum in ſecunda Stropha concluſionis. Hæc ſufficere arl Siqvid præterea occurrat, libere mone. Nihil erit, mod rum ſit virium, in qvo non operam meam tibi addicam. ut valeas. Hafn. 7. Jun. 1641.

Legi hiſce diebus Diſputationem qvandam *M. Jonæ ſini* olim in Academia hac Eloqventiæ Profeſſoris, qvam deris, neſcio. Hic *Saxonis*, qvem *Longum* vocat, auct tem prorſus elevat, ac fabuloſa eſſe ferme omnia, qvæ de j ſcribit Regibus, perſvadere conatur. Antiqvitates Isla deſpicit, ut omnino tua indigere videatur cenſura, Hiſ noſtro ſua ut conſtet auctoritas. Qvod non potui non mon nihil in tuis deſit notis, qvod ad tam celebris Viri digni tuendam ſpectare poſſit.

CCXVIII.

STEPH. JOH. STEPHANIU

D. Olao Wormio

Χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπράττειν.

Excellentiſſime Domine D. Wormi, Affinis & Amice mum honorande. Qvantum tibi debeat *Saxo* noſter

uno in loco *Notæ* meæ loqvuntur. Sed ut de utroqve noſtrum porrò benè mereri pergas, hæc ſumma votorum, ſumma curarum mearum eſſe ſolet. Certè qvotiescunqve mihi ex recónditæ ac diffuſæ Eruditionis tuæ penu depromis & ſuppeditas, qvæ ad illuſtrandum florentiſſimum huncce Scriptorem faciant; toties non ſolum patriam noſtram dulciſſimam, verum etiam omnem ad ſeros usqve nepotes poſteritatem ingenti & æterno tibi beneficio devincis atqve obſtringis. Eò nunc confidentius iterum te compello, operamqve ac conſilium tuum anxiè atqve ſollicitè depoſco; nullus dubitans, qvin vel amicitiæ noſtræ reſpectu ignoſcas mihi, qvòd toties apud te frontem deponam, tantamqve tibi moleſtiam, alioqvin ſatis occupato, ſubindè exhibeam. Qvod itaqve antehac tibi, ſi probe memini, ſignificavi, Notas & Obſervationes meas in Livium noſtrum Danicum ſub incudem nuper revocare cœpi, id unicè agens, ut augeam, mutem, corrigam, reformem, & velut recoqvam fœtum hunc noſtrum, & tam diuturnæ exſpectationis opus. Jam vero ad *Librum III.* perveni; in qvo multa com...eri video de *Othino*, *Baldero*, *Boö*, *Nannâ*, *Mimringo*, *Nymphis*, aliisqve antiqvitatibus, qvarum maximam partem in *Edda* extare, niſi vehementer fallor, perſvaſiſſimum habeo. Qvocirca peramanter rogo, ut communices mecum, ſi qvæ de ejusmodi monſtris in veteri iſta Mythologia reperiantur, qvæ facem aliqvam huic Libro prælucere poſſint. Inprimis velim Monumentum *Gunderupenſe* alterum, qvod *Balderum* qvendam Snioni Regi poſuiſſe teſtatur inſcriptio, mihi ſubminiſtres, ſi modo ſtanno vel æri inciſum penes te fiet. Conſtitui etenim illud *Notis* meis inſerere, ad illa verba: *Cujus corpus exercitus, regio funere elatum facto colle, condendum curavit.* Huic qvæſo adjungas *Haborinam pluvitiem*, *Monumentum Aſumenſe*, *Jellingenſia qvatuor*; qvibus etiam debitum aſſignavi locum, modò ſculptas eorum effigies ad manum, ut dixi, habeas. Licet enim ex his unum aut alterum ære cælatum in Archivis meis extet; magis tamen placent ſtanneis formis expreſſæ monumentorum imagines; qvod craſſioribus linearum ductibus ac ſulcis, & vacuis chartæ ſpatiis lucidius intermicantibus, facilius in oculos incurrere, eosqve demulcere & oblectare videantur; qvum contrà ærea ſimulachra ſubtilibus ſigillis tenebras qvaſi luminibus offundant, & buxeo papyri colore, qvem ex calore inter excudendum trahunt, viſum, qvi ſemper pulchris gaudet, haud parum offendant. Et nè de-

 ſinam

ſinam tibi moleſtus eſſe, mitto in præſentia *Hieronymi Meri*
lis de arte Gymnaſtica Tractatum; cujus *Liber II. pag.* 11
& 14. complectitur varias & pugilum ceſtibus certantiu
ipſorum ceſtuum picturas; qvos Anaglyptæ veſtro mei
ptibus ſcite & affabre ſculpendas ut ſtatim committas, eni
te contendo. Qvicqvid impenſarum hanc in rem meo n
erogaveris, grata manu menteqve refundam. Qvæ autem
ra Pugiles certantes exhibet, velim exprimatur, non, qvo
nunc habet, erectâ, ſed inverſa & oblongâ formâ, ad exem
earum, qvæ proximè ſeqvuntur, ut aptius Codici meo
qveant. Eas etiam non uno folio, ſed geminato, compre
diſcuperem; nè dum chartæ agglutinantur, illa, qvam
habet pagina, prorſus occultetur figura, atqve ita *Ceſtus* di
tantum ſui parte conſpiciendos ſe præbeant. Hæc eum in
tantopere urgeo, ut rectius intelligatur locus iſte ſub in
Libri III. Saxonis: *Qvippe natationis, arcus, ceſtuumq*
ritiâ, nec non, qvantamcunqve ea ætas capere poterat, ag
pollebat. Haud etenim adeò in vulgus notum eſt, qvis C
fuerit uſus, multò minus qvid fuerint *Ceſtus*. Jam pæn
exciderat, circumſpectè hic ſculptori agendum; nè vi
eâdem magnitudine, qvâ *Mercurialis* repræſentavit, C
ectypam delineationem effingat; verum arctius in ſpati
contrahat, prorſus ad exemplar petræ *Runemo* vel *Topog*
Letricæ arcis. Cæterum memini me aliqvando vidiſſe in l
theca communis Amici & Affinis noſtri, *D. Jacobi M*
Concionatoris Aulici, Commentarium *Pitſchii* cujusdam i
logiam Apuleji: in qvo inter alia reperitur *Siſtri Ægyptia*
ra ad vivum delineata. Eam qvoqve ex eodem libro deſun
(qvem facilè, ut ſpero, à *D. Jacobo* tantiſper obtinel
ſculptori veſtro in ſtanno cælandam maturè tradas, etian
etiam rogo atqve obſecro. Vides ut abutar humanitate tu
nondum finis. Qvum non ita pridem commentarer a
Lib. I. locum: *Eâ tempeſtate cum Othinus qvidam Euro*
falſo divinitatis titulo cenſeretur: & in recenti memori
rem, *Saxonem Lib. VI.* de induſtria agere de diis Borealium
num, ibi: *Olim enim qvidam magicæ artis imbuti, Thor vi*
& Othinus, aliiqve complures, &c. eò remiſi Lectorem, pro
me ad iſta verba plenius accuratiusqve de *Othino* hocce
ac aliis Danicæ vetuſtatis numinibus, dicturum. Id ide
qvod animadverterem, mihi Antiqvitatibus Islandicis ei

modi abſtruſa haurire licebit, deſtituto, te omnino opus
conſulto, qvi juxta Ennii illud, *molta tenes anteiqva ſepolta*
uſta. Proindè majorem in modum abs te peto, ut omnia,
e vel in *Edda* vel *Scaldra*, vel *Knitlingeſaga*, vel vetuſtis
ythmis, aut aliis deniqve monumentis notatu ac ſcitu digna de
idolis occurrant, ea mecum, qva ſoles facilitate, communi-
Fateor eqvidem ſufficere utcunqve poſſe, qvæ *Lib. I. Mo-*
nentor. Cap. IV. in medium adfers, de Diis & idolis veterum
iorum: ſed magis particularia deſidero; ut qvæ pertineant
Othini & *Aſarum* primum in has oras adventum, ad ejusdem
reliqvorum cultum & ſacrificia, ad varias appellationes, at-
nuta, & ipſam Genealogiam Aſarum, & id genus alia. Si-
l pervelim ſollicitus ſis de imaginibus eorundem Deaſtro-
n; qvas non ſemel indicaſti te ſculptas habere in Autore qvo-
n Anglo. Et qvoniam hominis Angli mentio incidit, ſæpius
teſtimonium te citare legi *Archæonomiam Gvilielmi Lam-*
di, in literatura tua Runica. Ejus libri uſum ut ad exiguum
nporis ſpatium mihi concedas oro. Et hæc qvidem hactenus.
ro nè & hoc neſcias, ante qvatriduum hinc ad vos abiit Diſci-
us tuus, mihiqve à manibus, *Franciſcus Nicolai Grenovius*,
n in finem, ut *Dimiſſionem*, qvam vocant, ambiret. Qvum
o nihil aut parum ſe hac in re proficere poſſe putaret absqve
Præceptoris ſui Teſtimonio; à me petiit, ut ipſius nomine
xenetam ac pararium apud te agerem, & pro eo obtinendo
rcederem. Id qvod nunc facio, omnibus abs te precibus
tendens, ut *Franciſci* noſtri honeſtos conatus & molimina
ſuffragio juves atqve promoveas, & ad reditum acceleran-
n horteris. Ipſius etenim opera in deſcribendis *Notis* meis
ementer indigeo. Ex Islandia rediiſſe puto Mercatores, qvi
no vere eò navigarunt. Si novi aliqvid attulere, fac qvæſo
ertias. Vale Vir Excellentiſſime, & me, ut ſoles, ama.
æ d. V. Auguſti, Anno Meſſiæ cIↃ IↃcxLI.

CCXIX.

OLAUS WORMIUS
M. Stephano Stephanio.

ım.

Reviorem in reſpondendo adverſa me facit valetudo, igno-
ſces igitur. Mitto monumentorum, qvæ petis, ectypa,

excepta planitie Haborina, qvam ſculpi non curavi, qv
uti conſtitueram æri eleganter mandata. Cum anaglypta
de ſculptura cæſtorum egi juxta præſcriptum *Mercurialis*;
in ſtanno, ut meæ ſunt icones, expreſſos cupis, ſex poſtul
periales, ſin in ligno, duodecim; an tantum ei dare velis,
commoditate indica, nec enim prius operi manum admo
D. Jacobus Matthiæ Fridericsburgi degit; huc ubi appu
de Siſtro cum eo again. Nimis grande poſtulatum eſt, o
qvæ vel in *Edda*, vel in *Scalda*, vel *Knitlingſaga*, vel v
Rhythmis aut aliis monumentis notata & ſcitu digna de
occurrunt, perſcribere; non mihi iis evolvendis annus ſu
ret. Totus *Edda* hiſce ſcatet, nec ea mihi eſt priſcæ li
facultas, ut hæc legere aut in lingvam latinam transfunde
leam, ſine ope Interpretis, qvo jam deſtituor. Puto, t
num *Eddam* Magnifici Domini Cancellarii piæ memoriæ
re, qvi voto tuo ſatisfaciet. *Knitlingſagu* dignus eſt, qvi
ferme tuis inſeratur notis; ea enim de Regibus noſtris à C
refert, qvæ aut in *Saxone* non inveniuntur, aut aliter refer
Utinam eſſet, qvi latinum eum nobis redderet. Interi
otium & valetudo ſuppetierit, præſtabo, qvod poſſum. *Ar*
nomiam Lambardi ex Bibliotheca Academica habui, & ant
tos annos reſtitui. Bibliothecarium de eo convenias, nec
eſt. Imagines Deaſtrorum tibi ſuppeditet *Olaus Magnus*
tionis Romanæ, ut & *Richardus Verſtegan* Anglus, qvem
me habebis. *Franciſcum* tuum non vidi; me ubi conve
faciam vel tui cauſa, qvod potero. Indies ab Adverſario v
exſpecto volumen Nycopiæ intimatum & tanto temporis
elaboratum, cui examinando cum me dedero, aliis vix v
poſſum. Vale, & ſi tibi prius viſum fuerit, candide, ut
communica, qvæſo. Hafn. 9 Aug. 1641.

Ex Islandia nihil ad me hoc anno adhuc delatum.

CCXX.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

* * *

IN *Edda* qvæ de *Otthino* leguntur, in hunc modum tra
Islandus qvidem meus; mitto, ut, qvæ uſui eſſe p

iis decerpas. Textum ipſum habes in tuo manuſcripto. aglypta noſter totus eſt in cæſtuum figuris ſtanno inſculpendis; ra qvatuordecim dies, modo promiſſis ſtet, eas perficiet. c ipſo die *Pricei* librum à *D. Jacobo Matthiæ* accepi, qvem x ei tradam: ut pari modo ſiſtrum perficiat. Pretium tibi e indicavi. Cum abſolverit, tibi data commoditate mittam. le. Hafn. 10 Sept. 1641.

CCXXI.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

am;

Itto, qvæ Anaglyptes noſter tuo nomine perfecit; pro iis ſeptem ſolvi Daleros Imperiales, ut ex ejus, qvem mitto, oſces chirographo. In re eſt anguſta, qvocirca in tuum adtum exſpectare non potuit; qvo igitur faciliorem in cæteris haberemus, tuo nomine eos expoſui. Exſpectat adhuc conium, qvod tuo nomine ſtudioſum qvendam, (qvis ſit, ignoro) opus urſit, ipſi promiſiſſe refert, & haud vulgarem ſe hiſce endiſſe diligentiam profitetur. Offert jam operam in Rea omnium Daniæ exprimendis iconibus, qvas mediocribus enſis promittit. Si tibi animus eſſet, eas *Saxoni* addere, fanegotio cum ipſo tranſigeres. Iconum ectypa ad calcem tui *curialis* invenies. Ferunt, *Ernſtium* veſtrum Nycopiæ tam qvandam contra me ſparſiſſe, cujus vehementi teneor derio; habere ſi potes, mitte qvæſo. Video hominem d in ore & calamo, aliud in pectore clauſum geſtare; ſed i anſam ſi dederit, ejus ſtratagemata ita excutiam, ut, qvis valis ſit, omnes intelligant. In literis ad Epiſcopum noſtrum lemiæ & Collegis minatur, ſed omnes fulgura ejus ex pelvi nt. Auſus eſt cuidam amico meo dicere, ſe nunqvam le- Diſſertationem meam; præterqvam qvod falſum id eſſe in animadverſione evidenter docui, pluribus, ſi opus, id evinrationibus. Miror, eum apud doctos & rerum peritos e ſuæ melius non conſulere &c. Tu Vale, & bono publico Hafn. 28 Sept. 1641.

CCXXII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

Doleo me tuo alloqvio frui non potuiſſe; nuper hic cum eſſet Helſingoram eundi incubuit mihi neceſſitas; hinc adventum tuum exſpectare non licuit. Nunc haſce ad te dare lubuit, tum ut in memoriam tibi revocem promiſſorum de *Edelbaldero Degn* & aliis, qvorum in *Monumentis* meis fit mentio, tum ut juvenem hunc inſignem, qvi tuam ambit familiaritatem, tibi commendem. Dignus tuo eſt favore, Poëta inſignis & in humanioribus haud vulgariter verſatus. *Tottii* cum ipſi commendata ſit apud vos inſpectio, ut habeat Patronum, ad qvem in dubiis confugiat, tuum expetit favorem, qvem ipſi vel meo nomine te haud denegaturum confido. Habebis juvenem tuo haud indignum favore & patrocinio. Vale, &, ut ſoles, ama. Periere naufragio, qvas hoc anno ad *Arngrimum* & alios in Islandia dedi literas; hinc ex ea Inſula vix eſt qvod qvicqvam exſpectem. *Eddæ* latini ut & *Supplementi Arngrimiani* tibi brevi fiet copia, ut a fide digno accepi. Vale. Hafn. 28 Octobr. 1641.

CCXXIII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Felici ſidere amicitiam inter nos coaluiſſe, non injuria dixerim. Qvo enim tempore tua ope operaqve maxime indigeo, eo tu maxime & promptiſſime eam mihi exhibes. Itaqve jucundiſſima animo meo inhæret recordatio præſtitæ hactenus benevolentiæ, qvam nunqvam claudicare ſenſi, qvoties aliqvid flagitarem eorum, qvæ ad *Saxonem* illuſtrandum facerent. Eò nunc confidentius voti mei ſummam propono; cui alioqvin veniam orare neceſſe foret Scilicet ſic me affecit Volumen illud MS. *Vitas Epiſcoporum Arhuſienſium* juxta ac *Catalogum Regulorum Scaniæ, Selandiæ, Fioniæ, Cimbriæ*, continens, (cujus copiam nuper feciſti, cum laribus tuis me perhumaniter exciperes) ut

ejus deſiderium ægerrimè exindè tulerim. Proinde abs te
ꝛe contendo, eundem mihi Codicem exiguo temporis ſpatio
ndum concedas. Imo inqvies: Redde prius, qvæ jam ex
is habes. Certe jamdudum reddita fuiſſent, niſi ſi Amanuen-
meus in deſcribendis *Notis ad Saxonem* totus occupatus eſſet.
o labore ubi erit defunctus, extemplo commodata reſtituam.
figuris iſtis æneis res geſtas Regum Daniæ præcipuas repræ-
ntantibus, qvæ illuſtre decus & ornamentum *Saxoni* meo con-
iarent, ſcripſi hac vice ad *Simonem de Pas.* Conditionem
nc detuli, me brevem qvandam earundem rerum geſtarum
ſcriptionem, qvæ ſingulis reſponderet ſchematibus, con-
naturum, modo is viciſſim formas iſtas *Saxoni* meo olim inſe-
ndas ſuppeditaret. Reſponſum exſpecto. Tuum erit perſva-
re homini, nè oblatam conditionem detrectet. Velim etiam
ta occaſione paciſcaris cum altero illo ſculptore de Iconibus
gum Daniæ cælo exprimendis; pretiumqve, qvod poſcit,
ſcribas. Numero ſunt Octoginta tantum, qvos *Saxo* recen-
: niſi ſi placeat addere Amlethum, Haraldum Klak, Hjartva-
m, & alios, qvi a ſerie Regum omnino excludendi videntur.
onumentum Gorſtangenſe, qvod *Fyliga* meminit, mecum ut
pertias, peramanter rogo. De Charta famoſa *Ernſtii* altiſſi-
m apud nos ſilentium eſt. Conſultius eſſet, ſi Harpocratem
eret. Sed forte fatis ducitur ad camarinam movendam, ut
ıiil detegantur conſilia ipſius haud adeo interdum ad amuſſim
næ mentis exæqvata. Tu velut petra mediis immotus in un-
 perſtas, altoqve ſupercilio, vel generoſo potius pectore
oscunqve aſſultus deſpicis & eludis. Deus te protegat & con-
vet in commodum patriæ, & literarum incrementum per-
ne! in hoc voto finio, & te, amicorum integerrime, æternum
lere & ex animo Salvere jubeo. Soræ, a. d. IV. Novembr.
mo Meſſiæ, Regis æterni, cIↄ IↄcxLI.

CCXXIV.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Cripſi nuper cum *Beringio* noſtro, ſed meas nondum curaſſe
eum, ex illis, qvas jam accepi, intelligo. Mitto, qvæ

O 5 petis

petis, *Epiſcoporum* ſc. *Arbuſienſium Catalogum*, ut & *Regulorum*; qvos apud me vidiſti, ſed ea lege, ut prima commoditate remittas, qvæ obſervaſti, *Monumentorum* meorum illuſtrationi inſervientia de *Degn*, *Fyliga* & aliis. Cum *Paſſio* & altero illo data agam opportunitate, & qvid feram reſponſi, ſignificabo. Interim velim, nomina & ordinem Regum conſignes, qvos expreſſos cupis, ne erret. Occupatiſſimus haſce ſcribo; feſtinationi igitur ignoſces. Vale. Hafn. 7 Nov. 1641.

CCXXV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVod imperaſti, exeqvutus ſum. Conjeci, ut vides, in formam Epiſtolæ, Additamenta qvædam ad inſcriptiones tuas Runicas: in qvibus liberiores conjecturas condonabis. Addidi Carmen, ſed rude, inficetum, & plane extemporaneum. Ultimi verſus literis Runicis exarati ſic habent:

Wormius hic ille eſt fugientis deſtina RUNÆ,
Triſtibus à tenebris totam qvi vindicat Arcton.

Sed juxta cum ignariſſimis ſcio, qvibus characteribus ſcribantur Æ, Q, C, TH. Itaqve ipſe emendes rogo, qvæ perperam hic à me ſcripta. Nam ᛦ putabam eſſe C. Q. autem ꝗ De cæteris erudiri cupio. Fac me in amœbæis tuis de ſingulis edoceas. Nam ex literatura tua Runica, nullum, qvod ego ſciam, mihi ſubſidium. *Deſtina* a. vox eſt non ubivis obvia, qvamvis ſit probæ monetæ & notæ. Utitur *Corippus Africanus*, Poëta Juſtini Auguſti minoris tempore clarus, pro columna, tibicine, ſeu fulcro; Libro I. in ipſius laudem:

Et Thomas Lybicæ nutantis deſtina terræ.

Ego reſpexi ad iſtum D. Braulionis locum in vitâ D. Iſidori: *Qvem Deus, poſt tot defectus Hiſpaniæ, noviſſimis temporibus ſuſcitans, credo ad reſtauranda antiqvorum monumenta, ne usqveqvaqve ruſticitate veteraſceremus, qvaſi qvandam appoſuit deſtinam.* Cæterum ignoſcas qvæſo, qvod Monumenta tua, juxta ac cæteros Codices, plus juſto diutius penes me detineam. Etenim

Ama-

nartuenſem meum indicis fatigant Notæ meæ in Saxonem, qva-
m in igne jam ferrum eſt. Memini in Obſervatis meis cultelli
juſdam ærei & lapillorum varii coloris. Et hunc & illos
nsmitto & inſpiciendos præbeo, ſed ea lege, ut mox reſtituas,
periar te viciſſim benevolum in procuranda *Archæonomiæ*
il. Lambardi, qva vehementer indigeo. Adige generum
um ad eum ſollicite inqvirendum. De tranſmiſſo nuper *Cata-*
o Epiſcopor. Arhuſienſium una cum adjunctis, maximas ago
tias. *Vitus* ille *Beringius* primo aditu mihi valde placuit.
ntiet deinceps, haud parum apud me valuiſſe commendatio-
m tuam. Juvenis certe dignus eſt meliore fortuna & augu-
ore conditione. Nunqvam deero ipſius commodis, qvacun-
e in re ipſi gratificari qveam. Utinam Sora noſtra talibus
undaret! Verum deſino, & te, Amicorum integerrime, ex
imo valere jubeo. Soræ τάχιστα, d. XIV. Nov. cIↃ IↃcXLI.

CCXXVI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

PUblica hiſce diebus occupatus fui diſputatione; hinc factum,
tuis tardius qvod jam reſpondeam. Pro elegantiſſimo car-
ine, ut & affectu prolixo notisqve & animadverſionibus doctiſ-
nis maximas ago gratias ſingulasqve ſuo loco non ſine honori-
a tui mentione inſeram diligentiſſime. Characteres qvod ſpe-
it, de qvibus dubitas, ex *Literatura Cap. II.* conſtat, priſcos
indecim ſaltem uſos eſſe notis, qvibus animi ſenſa exprime-
nt, eoqve nomine C. & G & Q unica hac nota ᚴ indica-
nt. Recentiores autem, qvi aliis lingvis eas accommodarunt,
ſcrimen aliqvod invenerunt, Lectorum commoditati ut inſer-
rent. C per ᚴ obliqva acuta expreſſerunt ut & K. Nor-
gi per dimidiatum I. hoc pacto ᛁ aliqvando O in fine adden-
r ᚴ, alii hoc pacto ᛡ ſed priſcis conſone per ᚴ exprimi de-
re arbitror. Q eodem pacto, eam namqve literam noſtrates
n agnoverunt, ſed ejus loco K. uſi ſunt. G literam obliqva
urva hoc modo ᚴ & qvandoqve punctato ᚵ ſignificarunt.
phthongos agnoverunt nullas, ſed literis diviſis pinxerunt ut
ᛆ ᛐ alii recentiores ita ᚴ. TH veteres ᚦ ſed recen-

tio

tiores ᛏ vel ᛦ Ego priſcos, qvantum poſſum, im
rumqve ſto auctoritate. Cultellum ut & lapillos gratus r
De *Lambardo* ſollicite inqviſivi, retulit gener, ſe ejus
invenire inter libros D. *Metznero* commodatos, qvos r
reſtituerunt hæredes. Apprime placent notæ commu
ſed, niſi auctoritates videro, qvibus ſuffultus D. *Reſeni*
Thejam Solis & Lunæ matrem conſtituat, illas meis inſer
audeo. Ad *Krodonem* me non diffundam, cum ejus fabu
dam habeat, qvæ minus ad guſtum meum. Aliis eum reli
qvibus volupe eſt hoc ex profeſſo tractare. *Monument*
thinganum majorem ſapit antiqvitatem, qvam ut ad Wo
tempora referri poſſit. Vix tuam interpretationem fer
rarum ductus, interim ut elegantem inſeram & lectori ju
permittam. Reliqva mihi valde placent, utqve porro,
tale occurrat, qvo noſtris lucem addere valeas, ea cand
cum communicare ut haud graveris, amice contendo; ſi
non ſine gratitudinis nota, ſingulis appoſita. Cum P
iconibus egi; is conditionem plane non videtur reſpue
tecum coram agere geſtit, ut de numero, ordine & mod
cularius tractetur. Alter ille pro ſingulis Regibus in
laminis exprimendis duos poſtulat imperiales; at ſi ipſe
rem ventilare poſſes, forſan ſe nutui tuo accommodaret.
27 Nov. 1641.

CCXXVII.

STEPH. JO. STEPHANIU

D. Olao Wormio.

VAlde mihi placuit conſilium, qvod mihi de Imagini
gum Daniæ, qvorum Hiſtoriam *Saxo* condidit, in
ſtanneis exprimendis, ſemel atqve iterum ſuppeditaſti.
rabile ſatis judico pretium eſſe, qvod pro opera ſua
Anaglyptes. Icones etenim erunt duntaxat octoginta, ſi
mur nomina & ſeriem Regum, qvam nobis dedit *Andre*
lejus ſub finem verſionis ſuæ. Nam intercalares Reges
aliorum curioſitatem, hinc inde inſerere, vix duco op
pretium: qvales ſunt Balderus, Amlethus, Haraldus K
cæteri. Suffecerit eos repræſentaſſe, qvi Regum titul

Gubernatorum, in Dania rerum potiti ſunt. Jam calculo poſito, bini de ſingulis Iconibus Unciales conficient, ni fallor, ſummam centum & ſexaginta Uncialium. Sed qvis ſculptori tantundem argenti ſolvet? Qvod me attinet, neqvaqvam par ſumptibus ſum] expenſis, qvi ultra qvinqvaginta Unciales Saxoni adornando hactenus impendi. Et ſi qvid de meo peculio porro addere vellem, reſervandum id omnino eſſet ad ipſam Editionem Autoris procurandam. In Generoſi Domini Præſidis noſtri liberalitate forte aliqva nobis ſpes exiſteret: Sed & hanc malo exerceat in charta coëmenda, in Typographi opera conducenda, inqve aliis ad Editionem neceſſariis comparandis Qvare reliqvum eſt, ut alios qværamus adjutores, qvi ſymbolam ad hoc implendum opus conferre velint. In his animo meo obverſantur Reverendi, Ampliſſimi, & Clariſſimi Domini Profeſſores Regiæ Academiæ Hafnienſis, Collegæ tui honorandi, Patres, Præceptores, & Amici mei debita reverentia & honore colendi, qvos ſummopere rogatos habeo, ut idoneos in hanc rem ſumptus facere haud dedignentur. Erit hoc cum perpetua laude & gloria ipſorum conjunctum, & ad ſeros usqve nepotes hæc celebrabitur munificentia, qvamdiu literis & *Saxoni* noſtro ſuus conſtabit honos. Et vix eſt qvod tergiverſentur, ſi exactam rationem inivefint, qvid unicuiqve exponendum veniat. Nam vide: Totum Collegium veſtrum XVII. conſtat Profeſſoribus. Jam numerent ſinguli Decem unciales, præter D. Epiſcopum & *D. Finckium*, qvi, utpote ditiores, duplum contribuant & voti erimus compotes. Qvocirca, ſi ita tibi conſultum fore videbitur, peramanter rogo, ut Excellentiſſ. Dominis Collegis tuis in Conſiſtorio convocatis, hoc inſtitutum exponas, & qvid reſponſi retuleris, diligenter ad me prima qvaqve occaſione reſcribas. Catalogum Epiſcoporum Arhuſienſium juxta ac Genealogiam Regum Daniæ ex Islandicis monumentis, qvam nuper mecum communicaſti, non ſine debita gratiarum actione, in præſens tibi reſtituo & una mitto *Chronologiam Islandicam*, cujus mentionem apud te injeci, cum non ita pridem Hafniæ ſubſiſterem. Eam ſedulo recognoſcas velim, & cum tua, qvam mihi monſtraſti, conferas. Qvod ſi diſſentiant inter ſe, aut plane non conveniant, enixe abs te contendo, ut tui Codicis mihi copiam facias. Experieris me viciſſim in vota tua facilem promptumqve. *M. Brynolphus* in proximis ad me literis, qvæ mihi ante octiduum redditæ ſunt, jubet me exſpectare *Hiſtoriam Ragnari Lodbroci*, librum rarum

rum & inventu difficilem, meam in gratiam translat transſcriptum. Is nunc *Codicem Legum Islandicarum* e manu in membrana ſcriptum cum aliis nonnullis Conſtit bus transmiſit. Quibus adjunxit *Notas* eruditiſſimas *in duos libros Saxonis* noſtri, maximam partem ex Antiqvi Islandicis depromptas. Si aves pervolvere, impertiam. De tiis Notarum mearum & incondito Carmine, non eſt qv exqviſitas agas gratias. Ego ſaltem affectus mei erga te t cauſa, qvicqvid id fuit, in chartam conjeci. Majora al meretur humanitas tua & ſingularis in me benevolentia, nunqvam non expertus ſum paratiſſimam. Bene & fe Vale, optime Amicorum, & me, ut ſoles, ama. So IV. Decembr. cIↄ Iↄcxl I.

Monumento Tirſtedenſi, in qvo mentio fit *VIKINGO* vehementer indigeo. Proinde tuum erit etiam iſtud humanitate mihi ſubminiſtrare. Nam absqve eo vi gredi licet ulterius in *Notis* ad *Libr. VII.* Iterum V

CCXXVIII.

OLAUS WORMIUS,

Stephano Stephanio.

Soram.

QVæ de expenſis faciendis ad ſculpendas imagines F Daniæ ſcripſiſti, qvibusdam ex Collegis meis pro Illi exiſtimant, Hiſtoricum Regium tam amplo gaudere dio, ut hiſce & ſimilibus ſi qvartam ſingulis annis imp non neceſſum ſit, alios hiſce onerari, ad qvos hiſtoricum tium non ſpectat. Putant qvoqve, ægre laturos Collega ſe hoc honore privari. Cum enim illi ſtipendiis fruantur ſtiſſimis, in lauto vivant otio, nec tot qvotidie, ut nos, g tur expenſis, non poſſe non hanc oblatam provinciam grat animo excipere. Scribis, te ultra qvinqvaginta unciales adornando hactenus impendiſſe. Ego circa ducentos de me gavi ad *Monumenta* ſculpenda, nullo ad ſtudium hoc conc præmio. Qvis mihi hos refundet? qvis chartam & typ cudendis ſuppeditabit? Præter conſcientiam me facturum Collegas meos ſi hoc onere gravarem. Si ex te peterem ſu eo nomine, qvod hæc ad Hiſtoriam ſpectent Danicam, cu

m

movendæ tibi peculiari deputatum ſtipendium, qvid mihi re-ſponderes? Pro miſſis *Annalibus* gratias ago; ubi otium fuerit, cum meis conferam. Notas *Brynolphi* in duos *Saxonis* libros perlibenter viderem; data occaſione, mittas, qvæſo. *Tirſtedenſe*, qvod petis, mitto *Monumentum*, atqve, ut feliciter in propoſito pergas, hortor. Vale, & favere perge. Hafn. 9. Decembr. 1641.

CCXXIX.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

MItto *Notas & Obſervata M. Brunolphi* in *priores duos Saxonis libros* juxta ac *Præfationem*. Vehementer mihi placent, cum qvod maximam partem ex Antiqvitatibus Islandicis depromta ſint, tum qvod in multis cum meis conſentiant. Autor ero, ut cœptam pertexat telam, qvæ propediem meis lucubrationibus pulcherrimam dabit aut inſertam aut mantiſſam. Adjunxi Epiſtolam ejusdem amici, ut edoceret te, qvid ſperare habeam in poſterum ab ipſo monumentorum priſcorum. Qvam nuper communicavi *Chronologiam*, peramanter rogo, cum tuis ut conferas. Geminam enim apud te vidi, ſi rectè memini, veterem & recentiorem. Et facile adducor ut credam illas à meâ δὶς διὰ πασῶν discrepare. Qvod ſi ita eſt, noli me defraudare vota ac deſiderio meo, cui nunqvam non ſoles ſatisfacere. De Monumento Tirſtadenſi uberrimas ago gratias. Nunc porro velim mihi ſuppedites Monumentum qvod *TUMMI Velificatoris* meminit, cujus mentio occurrit ſub initium *Libri VIII.* inter proceres ad prælium Bravelſenſe ab Haraldo an Ringone conductos. Edoceas etiam qvæſo, qvid eodem *Saxonis* in loco ſignificet vocabulum *Crucibulum*, qvod inſtar cognomenti attribuit cuidam Frosthoni, in infima *pagina* Editionis Francofurtenſis 130. & eris mihi magnus Apollo. Benè ac feliciter Vale & Salve, Amicorum exoptatiſſime, cum omnibus, qvi circa te ſunt. Ipſo Solſtitio autumnali, Anni cIↃ IↃcXLI.

CCXXX.

CCXXX.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

PRo communicatis *M. Brynulphi* obſervatis in *Saxonem*
tias ago maximas. Pellegi, haud diſplicent. Sed ſi ea,
adfert, adductis Auctorum, ex qvibus illa hauſit, locis confirm
ſet, res futura eſſet multo illuſtrior, ac fidem dictis concilia
majorem. Si ſcripſeris, auctor ſis, qvæſo, integra loca in ſeqv
tibus ut adjiciat, cum, qvos citat, apud nos & alios non ext
Qvodſi mihi ab eo impetrare poſſes *Volatilis* iſtius *Saxi* pa
culam, cujus meminit *p. 2. circa finem,* Theſauro meo augm
tum accederet inſigne; ſi addiderit ligna vel alia, in lapid
converſa, in fonte prope Scalholtum in *Haukedal,* cujus t
notis facis mentionem, res foret gratiſſima. Qvodam in l
Upſalam olim dictam fuiſſe *Sigtunam* arbitratur, ſed ſunt etia
num diſtinctæ civitates Sveciæ. Remitto jam & *Notas* haſc
Annales tuos & meos; differre namqve animadverto non q
dem chronologia, ſed rerum varietate & ubertate; ubi luſtra
ris, meos remittes. Monumentum, qvod *Tummi Velificat*
meminit, nullum mihi eſt. In Huneſtadenſi, qvod mitto, *Tum*
vocem invenies, ſed non *Velificatoris.* Fœminam namqve fui
arbitror, qvæ hoc nomine ibidem inſignitur, ut ex meis, q
apud te ſunt, colligere vales adverſariis. In explicatione vo
Crucibuli nullo opus eſt Apolline; vox namqve eſt & Chymi
& Metallurgis uſitatiſſima, qva denotant triqvetrum ex argi
firmiſſima compactum, in qvo igne vehementi metalla fund
ſolent, vulgo Ein Tiegel. *Crucibulum eſt vas fuſorium,* inqvit
landus in Lexico Alchymiæ, *ex terra igni contumaciſſima facta*
acutiore baſi & tereti in ampliorem capacitatem forma trian
lari vel rotunda deſinentem, ad fundenda & eliqvanda metalla
mineralia formatum. Sic *Geber Arabs* habet de *inveſtigatione M*
giſterii, de præparatione Veneris: *Præparatur Venus optime*
hunc modum, ponatur Veneris ſtratum ſuper ſtratum de ſale co
muni optime mundato in crucibulo &c. *Catinus* vel *catillus* eti
qvibusdam vocatur. Sed *Froſtko* hic qva voce Danorum dict
ſit *Crucibulum* cum ignariſſimis ignoro, an *Froſte Pot?* Mihi
manum non eſt *Vellejus,* ut, qvo pacto ipſe reddiderit, inqvir

valea

valeam. Catalogum Regum Daniæ, qvos tu *Saxonem* pro veris agnoſcere putas, data commoditate, velim, mittas. Vale. 10. Decembris, 1641.

CCXXXI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

INter alios ſermones, qvos hoc loci nuper inter nos miſcere contigit, haud dememiniſſe poteris, incidiſſe mentionem *Svenonis* cujusdam, à Sarracenis in bello Sacro olim interfecti: qvem tum dixi à *Wilhelmo Tyrio* in numerum Heroum relatum fuiſſe, qvi Crucis imagine, ut iſta tempeſtate moris erat, in humeris inſigniti, ad Palæſtinam occupandam, & à manu barbarorum vindicandam, ex variis Regionibus, magnis confluxerunt copiis. Et en tibi locum ejusdem *Tyrii* de Svenonis noſtri cæde prorſus miſeranda, qvi omnino fato meliori dignus erat. Sed inqvies: Svenoni huic qvis pater, unde genus? Non poteſt eſſe alius, qvam Svenonis Tiuffveſkeg nepos, qvi cum fratre ſuo Toſtone, Eduardo Angliæ Regi obſidis loco ab ipſo parente Godevino traditus eſt. Videſis *Genealogiam Lyſchandri pag.* 197. & 198. Meminit etiam Svenonis hujus *Matthæus Paris* ad A.C. 1097. *Hoc qvoqve tempore Swanus* (perperam, pro *Sveno*) *Danorum Regis filius & cruce ſignatus, cum viris mille qvingentis optime armatis, ad obſidionem properans Antiochenam, non longe ab urbe Nicæa, Turcorum perpeſſus inſidias, cum ſuis omnibus interfectus eſt.* Cæterum qvod *Saxonis* Editionem attinet, eò jam res devenit, ut, Generoſo Dn. Præſide noſtro omnes impenſas detrectante, Amicorum ſubſidia, & inprimis eorum, qvi Bono publico ex animo ſunt addicti, ambire in poſterum cogar & in partes vocare. Qvum verò conſultiſſimum eſſet, in conſortium expenſarum, qvæ in *Saxonem* faciendæ eſſent, aſciſcere Bibliopolam qvendam, qvi cum exterarum nationum Bibliopolis mutua exercens commercia, diſtrahere & ſua & noſtra omnium exemplaria poſſet: idcirco præſentes haſce tuisqve adjunctas ad *Moltchenium* exaravi literas, qvibus ab ipſo enixe contendo, ut ad commune hoc commodum promovendum liberalem ſymbolam conferat. Tuum erit *Moltchenio* autorem ſvaſo-

P remqve

remqve eſſe, ut Societatem divulgandi *Saxonis* nobiſcum alacriter ineat, nullus dubitans, qvin ex liberalitate ſua uberrimum ſit qvæſtum facturus.

Beringius noſter majorem in modum abs te petit, ut clam Epiſcopo habeantur omnia, qvæ de eo ad Profeſſionem Poëſeos olim promovendo inter vos hic nuper tranſacta ſunt. Veretur etenim, nè, ſi reſciverit inſtitutum hoc veſtrum, Epiſcopus, priusqvam ejus exeqvendi opportuna affulſerit occaſio, negotium totum impediat: qvod ægre laturus ſit maturam *Beringii* è functione, qva nunc fruitur, dimiſſionem. Novit enim, qvantopere ſit addictus Nobilium commodis &c. Sed hæc inter nos. Benè & feliciter Vale, optime amicorum, & me, ut ſoles ama. Soræ ταχιστα, Poſtrid. Cal. Februarii, clↄ Iↄcxlii.

CCXXXII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

De *Svenone* iſto tuum communicare qvod volueris judicium, gratias ago ingentes; hunc ipſum certe, qvem delineas, fuiſſe oportet & non alium, qvem Tabula illa exprimit. Catalogum eorum, qvæ ex *Saxone* deprompta, æreis inſculpſit laminis *Paſſæus* noſter, manu *Spormanni* conſignatum mitto; ſimul etiam exemplum unum nondum omni ex parte perfectum (qvod redditum mihi cupio) ut de magnitudine reliqvorum conſtet. Niſi in charta majori *Saxonem* imprimi cures, vix eorum tibi uſus eſſe poteſt. Fuere procul dubio, qvi nil niſi ſuum approbant, Præſidemqve veſtrum ab opere tam utili & neceſſario alieniorem reddiderunt, tibi & Patriæ tantam invidentes gloriam; ſed tu contra audentior ito. Ubi Sereniſſimo Regi tuum innotuerit propoſitum, media procul dubio ſe offerent, ad optatum ſcopum ducentia. Cum *Moltkenio* data opportunitate agam: ſed ſat ſcio, difficilior erit; jam enim *Apologiam D. Brochmanni* exſpectat, & Danicis aliis occupatur. Qvicqvid meis poſſum adhortationibus, præſtabo *Beringium* ſecurum eſſe jubeo, nihilqve mihi magis in votis erit, qvam ut eo, qvo actum, modo, juveni optimo gratificari poſſimus. Vale. 7. Febr. 1642.

CCXXXIII.

EPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

entiſſime Dn. *Doctor Wormi*, Affinis & Amice deſi-
tiſſime. Reſtituo in præſentia, non ſine debita εὐχα-
er ad me transmiſſum exemplum figurarum, qvas
o æreis laminis mandat *Paſſæus*. Vehementer placuit
Domino Præſidi noſtro; qvi mox ſponte operam con-
in Diplomate Regio obtinendo, qvo *Paſſæus* vel invi-
etur non omnes ſolum imagines nobis ſuppeditare,
prælo excudere: qvomodo te mihi ſvaſiſſe memini.
ta qvoqve deſignatione, manu *Spormanni*, ni fallor,
cillime colligere potui numerum eorum, qvos *Saxoni*
inſerere licebit. Certè ingens ornamentum addet
no huic Scriptori, ejusqve novæ Editioni, ex accu-
atis Iconibus. Verum qvibus apud te qverelis pro-
ſtratium invidiam an incuriam? qvi tam lenti ſunt &
s ad Bonum publicum promovendum; & illi præci-
tot nummorum acervos plena ſtrangulant arcâ. Reve-
n. Epiſcopum non ita pridem de Societate divulgandi
biscum ineunda compellavi; ſed qvid reſponſi retu-
lo coram, qvam per literas, tibi exponere. Nec
is ampliorem alii fecere, qvos hoc de negotio anxiè
taſſe & pœnitet, & pudet. *Monumenta* tua *Runica*,
imam à Typographo manum tantum non impoſitam
o, velim inter primos mecum communices, qvi fortè
jusmodi Antiqvitates ſuo pretio æſtimare novi. Ego
s adhuc intentus ſum, licet jam ſenſim cordatos fati-
re deſinat. Benè Vale, ad ornatum patriæ nate, & me
, τάχιστα, d. XXI. Februarii Anno Chriſti cIↃ IↃcxLII.

CCXXXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum nuſſus dubitem, qvin ultimam *Monumentis* tuis m num Typographus impoſuerit, peramanter te rogo, eorum mihi exemplar benigne impertias: Vel ſaltem integru illud Caput, qvod de munimento Thyræ Reginæ, *Dannever* dicto, agit, per amanuenſem tuum deſcribendum cures. Et nim variorum autorum loca, qvæ illic ad teſtimonium citaſ valde inſervire poterunt *Notis* meis in *X. Saxonis Librum*, c illuſtrando emendandoqve nunc totus incumbo. Adjungas qvæſ ſi qvæ tibi in Archivis tuis ſuppetant documenta de *Juline ſium Piratica*, ipſaqve urbe *Julino*, cujus eodem libro mentic nem ſæpius injicit *Saxo*. Prodiiſſe etiam in lucem reor Gene tui *Reges* æri inciſos; qvos anxie deſidero. Simul abs te pet ut veteres Rhythmos ab *Opitio* editos, qvos penes te eſſe nup indicaſti, mecum ad tempus communices. Reſtituam bona fid ubi nos futura regni Comitia, cum propitio Deo, conjunxerin Vale optime Amicorum, & me ama. Soræ, *ταχιστα*, d. VIII. Marti Anni cIↃ IↃcXLII.

CCXXXV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

TAntum abeſt, *Monumentis* meis extremam manum impe fuerit Typographus, ut *librum tertium* de *Scanicis* ja primum inchoet. Vix ante Feſtum Johannis abſolvet. Nec du bites, qvin inter primos ſis futurus, qvibus communicabitu eo usqve perventum ubi fuerit. Mitto tibi pagellas, qvibu *Monumentum Thyræ* continetur, ea lege, ut remittas prima com moditate, cum crebros in iis, ut videbis, typographi notave rim errores, qvorum cum reliqvis habenda eſt ratio ad calcer l b De *Julinenſibus* nil habeo præter ea, qvæ extant in *Hiſtori Norvagica*. Memini, me apud Magnificum Cancellarium *Fri*

piæ memoriæ integram priſca lingva noſtra de iis vidiſſe hi-
am, ſed ejus mihi non eſt copia. In *Helmoldo* etiam qvæ-
invenies; loca inveſtigare mihi jam non eſt integrum. Re-
:ri inciſi nondum prodierunt. *Opitii* mitto Tractatum. Si
nologiam Svaningianam nactus es, mitte qvæſo. *Eddæ*
ive tantum, qvantum deſcripſit amanuenſis. Neſcio, an
otis tuis rationem habeas noſtri *Knitlingſagu*, qvod omnino
oportet, cum qvàmpluſima ſuppeditet à *Saxone* diverſa &
ıdoqve neglecta. Vale, Haſn. XIV. Mart. 1642.

CCXXXVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

κοινωνούμενον illud *Libri Primi Monumentorum* tuorum nu-
per mecum communicatum, en tibi grata mente remitto.
: adjunxi, qvam petis, *Eddæ* Primam partem, una cum
one Latina ſeqventium Fabularum, qvibus bini Codices
. auctiores fuerunt. Sed qvia Amanuenſis meus intricatos
& Islandis vernaculos Characteres, qvibus deſcriptus eſt
:x, qvi nomen *Johannis Paulini Reſenii* præfert, aſſeqvi
ımodo potuit, ſpatium, qvod vides, vacuum, utriqve Tex-
ım Islandico, qvam Danico, olim ſupplendo, relinqvere
ıus ſum. Sed qvis mihi Oedipum ſe præſtabit? De Islandis
lem, qvi nunc Muſarum ſacris apud vos operantur, exiguam
ıdum ſpem foveo, utpote ſatis à te edoctus, qvam ignavi
t nullius frugi. Nihilo tamen minus Codicem illum ad te
ındum duxi, ut etiamnum hac in parte ipſorum diligentiæ
ulum faceres: qvos minori negotio Danicam verſionem
ıaturos confido, qvam Latinam. Itaqve ſi rem in expedito
putaveris, velim uni eorum Librum MS. committas, cum
ıem, ut primò Contextum Islandicum literis Latinis ma-
lis enucleate, diſtinctè, & polite deſcribat, omiſſis ducti-
lotarum conciſis &, qvas vocant, Abbreviaturis. Deinde
ni interpretis vice fungens, nativæ vocis idioma in Danicam
am transferat, initium facturus à *Fabula* 50. & tandem per-
ırus eandem verſionem ad finem usqve *primæ partis* & *Epi-*
ı autoris. Nam *ſecundæ partis* verſionem utramqve penes

 me

me aſſervo, donec prior illa omnibus numeris abſoluta
Tuum jam erit (qvomodo plane mihi perſvadeo) Codicis
qve accuratam gerere curam, ne qvid detrimenti capiant;
mis qvi me poſſeſſorem agnoſcit, non injuria tam pulchra
ornatus. Cujus ſane, nulli mortalium, copiam, præt
facile facerem, qvippe cui omnia mea ex aſſe debeo.
etiam utrumqve Volumen apud te retineas in adventum
meum, qvem ad futura regni Comitia, ſi Deo meo ita viſum
rit, exſpectare te jubeo. *Chronologia* ſua nondum me
Svaningius Affinis; & adhuc ſe totum illi abſolvendæ incum
literis me ſuis edocuit, qvas hoc ipſo die, qvo hæc ſcribo, a
Ubi nactus fuero, tibi mox impertiam. Scio eqvidem in
ipſum per omnia *Lyſchandri* veſtigiis: cujus *Chronologia*
foret, ſi inſititiis iſtis Regibus, qvos hinc inde *Operi Ge*
gico infarcire ſolet, prorſus abſtinuiſſet. Bene & feliciter
mi optime Amicorum, & me, ut ſoles, ama, qvi te æter
Soræ a. d. XXIV. Mart. Anno Meſſiæ cIↄ Iↄc xLII.

CCXXXVII.

STEPH. JOH. STEPHANIU

D. Olao Wormio.

HErcules ille *Gaditanus*, cujus effigie ſignatos nummos
nuper apud te non ſine ſumma voluptate inſpexi, non
alius, qvam qvi in Inſula & urbe Gaditana olim coleb
Teſtantur enim qvamplurimi Autores, Herculem cum ſoc
inſulam *Gades* penetraſſe, ejusqve in memoriam à po
templum magnifica pulchritudine exſtructum fuiſſe, qvod
qv..us erat inter celeberrima hujus inſulæ opera, qvo plure
..a..orum duces, magnis rebus geſtis, vota ſoluturi ventital
P..iloſtratus vero *Lib. V. de Vita Apollonii Tyanæi* ſcribit,
ibi Hercules cultos fuiſſe, *Ægyptium* & *Thebanum*, nullo pr
intus ſimulacro; cæterum *Ægyptio* duas aras æneas, *The*
..m tantum erectam: juxta qvam duodecim Herculis lab
conſpicerentur; qvod & *Silius Italicus* innuit *Lib. III.* ubi
eru..dita deſcriptio & templi & ſacri Herculei legitur:

Vulgatum, nec caſſa fides, ab origine fani
Impoſitas duraſſe trabes, ſolasqve per ævum

Condentum noviſſe manus: hinc credere gaudent
Conſediſſe Deum, ſeniumqve repellere templis:
Tum queis fas & honos adytis penetralia noſſe
Fœmineos prohibent greſſus, ac limine curant
Setigeros arcere ſues, nec diſcolor ulli
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex
Diſcinctus, mos thura dare, atqvè e lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtingvere clavo;
Pes nudus, tonſæqve comæ, caſtumqve cubile,
Irreſtincta focis ſervant altaria flammæ,
Sed nulla effigies, ſimulacrave nota deorum
Majeſtate locum, & ſacro implevêre timore,
In foribus labor Alcidæ.

Pomponius Mela Lib. III. Cap. VI. unicum tantum *Herculem Ægyptium* ibidem cultum fuiſſe tradit. *Templum*, inqvit, *Ægyptii Herculis, religione, vetuſtate, opibus illuſtre, Tyrii ondidêre: cur ſanctum ſit, oſſa ejus ibi ſita efficiunt.* A Gadi-us itaqve *Hercules Gaditanus* cognominatus; cujus etiam entionem facit *Diodorus Siculus Lib. VI.* & alii non pauci, ræſertim qvi inſulam iſtam deſcripſerunt. Cæterum vetuſtiſ-mos eſſe nummos tuos vel ex ipſis literis conjicio, qvæ omnino unicæ ſunt. Pœni etenim, (ſive, ut alii, Phœnices, aut Tyrii) aditanam civitatem primum condiderunt, qvam poſtea Romani riis operibus exornarunt, unde *Julia Augusta Gaditana* dicta. iſces autem, qvorum effigies in adverſo latere nummorum ap-rent, *Thynni* ſunt. *Thynnorum* etenim piſcatura præcipuus in-larum qvæſtus & ſemper conſtitit, & hodieqve ex eadem mul-m emolumenti capiunt. Hæc in præſens habui, qvæ de *Ga-tano* iſto *Hercule* edifferem. Plura tibi autorum, qvos udavi, lectio ſuppeditabit. Porro alteram *Eddæ* partem de va-is rerum appellationibus, en tibi nunc, ſicut recepi, repræ-nto; licet Danica verſio vix literam E. attigit. *Origines Pata-nas Pignorii* in Bibliotheca Meurſiana fruſtra qvæſivi. Eas et-im jamdudum emptor, neſcio qvis, ſuis vendicavit uſibus. itorem, qvi *ſeditionum Danicarum Hiſtoriam* conſcripſit, cum ut communices rogo: ſi modo viciſſim me de *Cornu* tuo licitum eſſe velis. Benè ac feliciter Vale, mi optime *Wormi*, me, ut ſoles ama. Soræ, a. d. XIII. Maj. cIↄ IↄcXLII.

CCXXXVIII.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

Soram.

Perplacuit diſcurſus de Nummo *Herculeo*; optime enim o
qvadrare video. Gratias igitur habeo maximas; ad
me obligatum tenebis. Remitto *Eddam*, utcunqve cum
contuli; maxime diſcrepant tum ordine, tum rebus; app
tiones adductæ maxima ex parte in meo tum fabulis tum au
tatibus veterum Scaldrorum comprobantur, qvæ ſi translat
ſent, pulcherrima procul dubio haberemus multarum antiq
tum documenta. Edi in lucem *Edda* ſi deberet, juxta n
exemplar *ſecundum* hunc *librum* publicandum ſvaſerim.
Seditionum Danicarum libellum, ut celerius cenſuram
Aurei attrahat. Vale, &, ut facis, ama. Hafniæ, 18 Maj. 1

CCXXXIX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Salutem & rerum omnium proſperitatem

EXcellentiſſime Vir, Affinis & Amice fideliſſima grati
junctiſſime; Inter graviſſimas occupationes, qvibus i
diſtringor, eruditiſſimum illum & vere aureum de Seren
Principis *Aureo Cornu* tractatum tuum denuo á capite ad c
evolvi diligentiſſime: verum nihil plane reperi cenſura dig
aut qvod additamento aliqvo illuſtrari poſſit. Qvamobren
tentus ſis qvæſo minutiis iſtis, qvas in adjuncta ſchedul
notata vides. Plura eqvidem voluiſſem commentari, ſed
me deficit. Sin autem deinceps alia ſeſe mihi obtulerint
deero petitioni tuæ. Nullus dubito, qvin multa ſuppedit
etiamnum Commentatores varii in Poëtas præcipuos, *Virg*
Horatium, & alios. Sed tu maximam partem Operi tuo
ruiſti, adeo ut non opus ſiet ulteriori diſſertatione. *Rerum*
nicarum Anonymum Scriptorem nuper mecum communi
nunc reſtituo, gratias agens maximas, ſimulqve roga

cas, qvod tam diu penes me retinuerim. Qvod ſi erit, viciſſim tibi gratificari qveam, me in vota tua paratiſſimum rieris. Bene Vale. Soræ, d. 7 Junii 1642.

CCXL.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Ltimis ad te literis meis adjunxeram Obſervata nonnulla ad *Aureum Cornu* tuum: qvæ minus tibi placuiſſe ex diuturno tio, & ſcribendi inſolita ceſſatione, tantum non conjectu- facio. Certe tuam in gratiam, graviſſimas inter occupa- s, totam Bibliothecam Philologicam meam diligentiſſime ſſi: ſed animadverti omnia ſcitu & notatu digna, qvæ ad argumenti pertinent genus, te in tuum *Cornu copiæ* (nam ita nominare liceat) una cum pulviſculo fideliter ac feliciter eſſiſſe, adeo ut nec mihi, nec poſt me cuiqvam, ullum in neſſe Spicilegium relictum ſit. Grata itaqve ſint qvæſo pau- illa, qvæ per temporis brevitatem tunc dare licuit, qvæ r magis, qvam otium expreſſit. Verum ad alia. Nuper o inaudivimus de infelici caſu qvatuor iſtorum Juvenum, Hafnia Witebergam iter periculoſum ſuſceperant: qvos in à militibus Svecis miſerrimum in modum trucidatos inter- osqve jam conſtans fama nunciat. Hos inter fuit Uxoris frater *Elias*, magnæ ſpei Juvenis, qvem una cum cæteris, dolor! interiiſſe perhibent. Te peramanter rogo, mature edoceas, qvid de his certi compertiqve habeas, an, qvod lem, ſecus ſe res habeat. Anteqvam finiam, unicum eſt, d abs te enixè petam, ut Vitam beatæ memoriæ Soceri tui, *Matthiæ Jani* Epiſcopi qvondam Lundenſis, mecum qvam- ium communices. Inſimul, ut filium prædeceſſoris ipſius, *Pauli Martinii*, qvem apud vos bonis operari literis com-, arceſſas, & meo nomine qvoqve de Vita parentis mihi ma- exhibenda ipſum compelles. Conſtitui etenim propediem, propitio Deo, *Chronicon Epiſcoporum Lundenſium*, qvod s me MS. extat, publici facere juris, & ſupplementi loco s, qvas deſidero, adjungere. Ignoſce qvæſo importunitati, & Vale. Soræ, τάχιστα. Die 20 Jun. 1642.

 CCXLI.

CCXLI.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Seram.

Miror iſtas animum tuum ſubire poſſe cogitationes, diſp mihi à te profecta, cum, qvanti & te & tua faciam, conjectanea, ſæpius declaraverim. Officii mihi præter exſ tionem impoſiti gravitas, iter præterea Scanicum à ſcri munere paululum in transverſum ſi rapuerint, non ægre f ſi hic eſſes. Qvantopere tua placuerint, iteratam ubi v editionem, facile animadvertes. Nolo igitur hac de re bus. Qvod de juvenibus iſtis crudeliter mactatis inaud ad noſtros non pertinere, ex literis, qvas ipſe vidi, coll mihi viſus ſum; interim ab iis nihil hactenus habemus l rum, exceptis iis, qvæ Lubeca & Hamburgo ſcripſerunt. dies certiora exſpectamus; qvia in illorum comitatu fu *Hunnius*, qvi cum uxore ad thermas tendebat, ac de eo nih beca narratur ſiniſtri, omnia ſalva ſperamus. Qvæ ſocer i vita ſua in chartam conjecit, qvæqve nos tum collegimus, Tu pro tua prudentia ſingula ubi digeſſeris, remittes. *M. Martinii* filius Pariſiis degit. In hac re *D. Foſſius* opera gratam præſtare poteſt. Ei enim ſi ſcripſeris, à vidua L degente cuncta impetrabis. *Paradinum* remitto, gratias ingentes: mea viciſſim tibi patebunt. Vale. Hafn. 22 Jun.

CCXLII.

STEPH. JOH. STEPHANIU

D. Olao Wormio.

Salutem & Obſervantiam!

Excellentiſſime Domine Doctor Wormi, Affinis & Amic rimum honorande, qvas nuper graviſſimis diſtrictus pationibus agere non potui, nunc ago habeoqve gratias poſſum maximas de Vita Soceri tui adeo benigne mecum municata. Qvæ perſpexi inſervire poſſe inſtituto meo, in cerpenda duxi; qvæ propediem, σὺν θεῷ, inſerta ſuo loco vi

in lucem prodierit, cujus editionem nunc molior, *Chronicon* *ſcoporum Lundenſium*. Cæterum pagellas, qvibus vita con-batur beatæ memoriæ Viri, & de Eccleſia Chriſti optime me-ante octiduum ad te remiſi: qvas velim me edoceas num peris. Præterea peramanter rogo, ne celes nos, ſi qvid perti habeas de funeſta cæde tot lectiſſimorum Juvenum, in agro Luneburgenſi crudeliter mactatos nupera nuncia-ama. Sumus hic in magna luctus exſpectatione, donec ora edocti fuerimus. Utinam nihil veri tam triſti rumori ſet! Sed mens mihi aliqvid ſcævi præſagit, præſertim qvod ulli ex iſtis, & hos inter præcipue Uxoris meæ frater *Elias*, : inviti tam præſentiſſimis obſitum periculis iter ſuſceperint. Opt. Max. te diu ſoſpitem Bono Reip. conſervet, Affinis di-ſime! Soræ, a. d. 10 Jul. 1642.

CCXLIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

n.

n eſt, qvod operoſe adeo pro tantillo officio gratias agas, qvas me tibi debere fateor ob *Paradinum* & alia communi-Gaudeo, te eo usqve perduxiſſe Epiſcopos tuos Scanicos; qvi prodeant, elabora. Qvid interim *Saxo* tuus? an dor-? Recte facis, tutius ut ambulet, tot viros præclaros, ipſi iam ſternant, qvod præmittas. Qvæ de Studioſis in agro burgico occiſis fama tulit, falſa omnia ſunt & frivola. Bi-m Witteberga ab Affine meo *Motzfeldio* accepimus literas, us ſcribit, ex animi ſententia omnia in itinere ſucceſſiſſe; ſe ilitem qvidem vidiſſe, qvi eos ſit allocutus; victuiqve ne-ria ſe abunde habuiſſe; Magdeburgo Witebergam navigio ctos; jam vero in ædibus D. *Gvilhelmi Lyſeri*, Theologi-ii, degere, cujus fruuntur & menſa & hoſpitio, inter qvin-Magiſtros, Viros doctos & modeſtos, qvi ſcurrilia illa pen-ntium toto pectore averſentur. *Beringium* noſtrum offi-ſaluta. Vale, ac vive publico bono qvam proſperrime. 12 Jul. 1642.

CCXLIV.

CCXLIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Andreas qvidem Abbas Monaſterii S. Michaëlis prope Bambergam, *Vitam S. Othonis, Bambergenſis Epiſcopi* & primi Pomeranicæ gentis Apoſtoli, circa Annum Chriſti MCDLXXXVII, compoſuit: in qva multa leguntur de fanis & Idolis veterum Sclavorum; qvæ omnia & ſingula Otho Epiſcopus, qvum apud eandem gentem ad fidem Chriſtianam convertendam verſaretur, pio zelo deſtruxit. Inter alia notatu digna ſunt, qvæ *Lib. II. Cap XXXI.* de magnificentiſſimo qvodam in Stetinenſi civitate (qvæ olim totius Pomeraniæ Metropolis fuit) delubro commemorat, dum in eo omnem prædam, ſive terra, ſive mari partam, ſpoliaqve hoſtium, & res alias pretioſiſſimas repoſitas fuiſſe tradit. Inprimis vero, qvia *Cornuum* mentionem faciat, & non ſolum eorum, qvæ potibus apta, ſed & (qvod ſingularem profecto obſervationem meretur) qvæ *cantibus apta*: idcirco pro ea, qvæ inter nos intercedit amicitia, integrum hunc Autoris locum in præſens tecum communicandum duxi. Verba ita habent: *Erant autem in civitate Stetinenſi Continæ qvatuor* (ſic templa Idolorum ſuorum apellabant veteres Pomerani) *ſed una ex his, qvæ principalis erat, mirabili cultu & artificio conſtructa fuit interius & exterius, habens ſculpturas de parietibus prominentes, imagines hominum & volucrum & beſtiarum tam proprie ſuis habitudinibus expreſſas, ut ſpirare putares ac vivere: qvodqve rarum dixerim, colores imaginum extrinſecarum nulla tempeſtate nivium vel imbrium fuſcari vel dilui poterant, id agente induſtria pictorum. In hanc ædem ex priſca Patrum conſvetudine, captas opes & arma hoſtium, & qvidqvid ex præda navali, vel etiam terreſtri pugna qvæſitum erat, ſub lege decimationis congerebant: crateres etiam aureos vel argenteos, in qvibus augurari, epulari & potare nobiles ſolebant ac potentes in diebus ſolennitatum, qvaſi de ſanctuario proferendos ibi collocaverant. Cornua etiam grandia taurorum agreſtium deaurata & gemmis* (NB.) *intexta, potibus apta, & cornua cantibus* (NB.) *apta; mucrones & cultros, multamqve ſupellectilem pretioſam, raram viſu, pulchram in ornatum & honorem Deorum ſuorum, ibi conſervabant.* Hactenus *Andreas Abbas.*

At-

Atqve hæc tenuis illa Symbola eſt, qvam ad eruditiſſimum tractatum tuum de Aureo Celſiſſimi Principis noſtri cornu, etiamnum conferre volui; qvæ utinam locum inter alia ἀξιομνημόνευτα tua invenire poſſet!

Cæterum qvum nullus dubitem, qvin cum Mercatoribus jam domum reverſis ex Islandia novi & rari aliqvid nactus ſis; qvæſo te, ſi me amas, ingenue mihi impertias, præſertim qvæ Hiſtorica & memorabilia ſunt. Experieris me viciſſim in vota tua promptiſſimum. Vale & Salve plurimum, æternum patriæ lumen! Soræ, τάχιστα, d. XVII. Octobris, Anno Meſſiæ ciↄ Iↄc XLII.

CCXLV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

Ante menſem circiter, negotiis Academicis occupatus, ad templum Högerupenſe, in extremitate Stevonicæ provinciæ ſitum, deveni, in qvo monumentum offendi, Hiſtoriæ Epiſcoporum tuorum Selandicorum lucis haud parum allaturum; qvod non potui, qvin tecum communicarem, præſertim cum erroris *Hvitfeldium* convincat, & rem memorabilem ab ipſo omiſſam pertractet, cujus Epigraphen hic adjunctam cernis. Vides *Henricum Gerhardi*, XXVI. numero Epiſcopum Roëſchildenſem, Anno MCCCLVII. templum hoc conſecraſſe, cum tamen *Hvitfeldius* eundem Anno 1368. in Epiſcopum ordinatum referat. Si *Hiſtoriam Waldemari* IV. ab eodem *Hvitfeldio* conceptam luſtraveris, videbis eam favere huic inſcriptioni, non vero catalogo Epiſcoporum ab ipſo publicato, refert enim *pag.* 526. inter Epiſcopos, qvi anno 1357. die Annunciationis B. Virginis Calundburgi convenere, etiam fuiſſe *Henricum* hunc *Roſchildenſem*; tunc igitur Epiſcopali mitra inſignis erat. Hallucinatum igitur hic fuiſſe Hiſtoricum noſtrum, vides, cui medelam facile ex hiſce tribues. Audio, novum qvendam ex Arabia, Aſia, Græcia, Perſia, Utopia reducem Stentorem epiſtolas meas ad te ſugillare, qvod vocandi caſu *Stephanie* tibi ſcribam; at bonus ille ſi illam, qvam præ ſe fert, Græcæ lingvæ peritiam ex tot, qvot hic Magnatibus venditat, ſibi forſan vix viſis, multo minus lectis,

lectis, voluminibus hauſiſſet, utiqve cujus lingvæ propria eſſet hæc vox, non ignoraſſet, & vel ex rudimentis Grammaticis didiciſſet, propria a Græcis tracta qvo pacto vocandi caſu a Romanis ſint prolata. A ferula adhuc calere videtur, qvam vix effugiet. Sed Alaſtorem hunc ad Pædagogium veſtrum amando, paululum ei ut excutiant barbariem tyrones Grammatici. Te adhuc valere jubeo, mi Stephanie, elegantia non tam Wormiana qvam *Statiana* & Claſſicorum qvorumvis ſpectabilis.

Ex Islandia ne literulam adhuc accepi, qvamvis cum ultimis mercatoribus noſtris exſpectem. Huc appulit juvenis, M. *Brynolphi* amanuenſis, qvi refert, Dominum *Brynolphum* in tui gratiam *Hiſtoriam Regneri Lodbrog* in ling lat. transferri curaſſe, cujus dimidium tibi jam miſiſſet, ſi literas à te accepiſſet, qvibus cum fuerit defraudatus, negotium ſuſpendiſſe. Audio te Templi Nidroſienſis, dum in vigore fuit, tenere delineationem, qvam ſi tranſmiſeris, rem gratam feceris. Sero nimis locum *Andreæ* tui de *Stetinenſibus cornubus* accepi; ad umbilicum ferè perducta cum ſint omnia, inſeri commodè non poteſt. Gratias interim pro affectu habe, & ut reddam, hæc cape. Vale, Hafn. m. Octobr. 1642.

CCXLVI.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

MAle me habet, qvod poſt feſtum, ut vulgo dicitur, ad te venerit locus iſte *Andreæ Abbatis* de *Cornubus Stetinenſibus:* qvi tamen, ſi ita viſum fuerit, ad calcem Operis adjungi commodum poteſt. Verum id tuo arbitrio committo. Mihi voluntatem & affectum erga te meum, etiam in re tam levicula, declaraſſe ſatis erit. Gratulor tamen mihi, qvod exili hoc officio raram illam & notatu digniſſimam inſcriptionem è pluteis tuis elicuerim; qvam ſuo loco olim, cum Bono Deo, non ſine honorifica tui mentione, inſertam videbis. Sed & ipſe antehac in *Hvitfeldio* obſervaveram in *Catalogo Epiſcoporum Sælandicorum pag. M. III.* perperam 1368. poſitum eſſe pro 1350. qvia anteceſſor mortuus erat 1349. & *Henricus* baptizaſſe dicitur Margaretam Anno 1353. juxta ipſum *Hvitfeldium* in *Hiſtoria Waldemari IV. pag.* 511.

Delinea-

Delineationem templi & urbis Nidroſienſis en tibi inpræſens mitto, ſed rudi penicillo deformatam à Studioſo qvodam *Laurentio Samuelis Arctandro:* qvæ profecto non tanti eſt, ut ſui contemplatione oculos tuos diu detineat.

Alaſtor ille Græculus & Arabs, cujus in ima parte literarum proxime mentionem injeciſti, ad munus Hiſtoriographi, qvod poſt exceſſum b. m. *Pontani* hactenus vacavit, aſpirare dicitur. Et non ſunt pauci, qvi à Magnifico Dn. Cancellario jam traditam & demandatam ipſi auguſtiſſimam hanc functionem certo affirment. Neſcio ſanè qvod aſtrum Germanis tantam felicitatem hac tempeſtate temperet & afflet, Danis in imo ſubſellio relictis &c. Sed manum de tabula. Tu optime Vale, Vir amiciſſime. Soræ 22. Octobr. 1642.

CCXLVII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DE *Monumentis Danicis* per communem Affinem noſtrum M. *Dræchardum* nuper ad me tranſmiſſis, ago gratias, qvas mens mea concipere poteſt maximas. Sed ingratum me mori cogis, qvod nullam unqvam vicem ſingulari tuo in me favori rependere qveam, qvo adductus toties honoratam mei mentionem in præclaro iſto Opere injicere dignatus es. Ita per te nomen meum immortalitati conſecratum, una cum tua fama, omnes terrarum oras, qva viget Eruditionis honos, pervagabit. Certe gaudeo talem me præconem nactum, cujus judicio fretus eorum malevolentiam, qvi per meam ruinam & ignominiam emergere cupiunt, ſecurus deſpiciam. Cæterum ut videas qvam diligens fuerim in novis iſtis lucubrationibus tuis evolvendis, pauca omnino in medium adferam, de qvibus te in præſens admonendum duxi. Principio ad *paginam XL.* ubi agitur de cadaveribus principum in frondoſis arboribus olim ſuſpenſis, referri poſſe videtur ritus ſepeliendi apud Finnos receptus, qvi mortuos ſuos in arborem concavam recondunt, id qvod in vulgus notiſſimum eſt. Deinde *pag. CXXXIII.* recte obſervavit, qvisqvis ille fuit veterum carminum compilator, per Myklegaard intelligendam eſſe *Conſtantinopolim,* minimè vero *Megapolin,* antiqvorum Obotritorum primariam urbem. Etenim, κατ' ἐξοχὴν ſic dicta eſt

magna

magna illa & verè regia in Oriente civitas Byzantium, poſteaqvam illuc ſedem imperii tranſtuliſſet magnus re & nomine Conſtantinus. *GARD* verò noſtratibus antiqvitus vocabatur *urbs*, *civitas*, *regio*; ut *Oſtregard*, hoc eſt, *Ruſſia*, regio ad Solem naſcentem ſita. Mykle autem ſive *Mikil*, qvod nunc *Magle*, idem qvod *μεγάλη*. Ergo Myklegaard eſt *μεγάλη πόλις*. In inſcriptione *monumenti Gieſingholmenſis* vereor ne parum accurate expreſſerit ductus Runicos, qvos ipſe lapis repræſentat, qvi illis deſcribendis operam impendit ſuam. Nam pro *Nicolaus Kaeſunor*, legendum exiſtimo *Nicolaus Knudſunor i Artus*. Ejus mentionem facit *Huitfeldius* in *Catalogo Epiſcoporum Arhuſienſium*: Femte Biſp til Aarhus var Svend. Leffde aar 1140. (emenda 1180.) Vnder ſamme Biſp leffde Claues eller *Nicolaus Kanuti* Søn, Biſp Valdemars aff Sleßvig Broder. Hand bleff begraffuen udi den Trækirke til Aarhus, ved Stranden paa Bierget. Nogen Trækaars var ſat hannem der hos til een Amindelſe. ꝛc. Ex ligneo iſto ſacello, qvod forte ſolo æqvatum eſt, qvum, viginti poſt annis, magnificam illam Baſilicam, qvæ hodieqve Arhuſii viſitur, exſtrueret *Petrus Vagnonis*, Epiſcopus Arhuſienſis, ſaxum hoc ſepulchrale, ad exornandum pavimentum ſacelli arcis Gieſingholmenſis (qvam vix altero lapide Arhuſio diſtare fando comperi) una cum aliis lapidibus tranſlatum arbitror. Conſidera, qvæſo, paulo diligentius ipſos Runarum flexus, præſertim in ultima voce ᛆᚱᚱᚢᛋ. Sic etenim ſcribebant veteres ſine aſpiratione *Arrus* vel *Arus*, pro *Arhus*, ſive *Aarhus*. Ita centies occurrit in MS. Codicibus, *Epiſcopus Aruſienſis*, *civitas Aruſienſis*, pro *Arhuſienſis*. Et qvamvis hic *Nicolaus Knudſonius* ipſe nunqvam ſacram infulam geſſerit: qvia tamen ſub Epiſcopo Svenone vixerit, & Epiſcopi frater fuerit, multaqve & inſignia patraverit miracula, Epiſcopi effigiem & Capituli Arhuſienſis vetuſtiſſima inſignia, *Agnum* videlicet *crucem geſtantem*, ob viri ſanctitatem, fortaſſis ipſe Epiſcopus Sveno, tumulo ipſius incidenda curavit. Adeo *τὸ RUS* non ad *DUAD*, qvod Døde, ſive *obiit*, interpretor, referendum puto, ſed potius ad præcedentem ſyllabam AR. Ad ultimum, in *inſcriptione templi Klepenſis* in Norvegia, vocem *Hedner* non *Ethnicos*, ſed ipſam *Ingeburgam* aut ipſius animam, ſignificare puto: ut ſit ſenſus: *da ſaga Pater noſter fyrer ſol benner*, pro *benders* vel *benners*; orent Pater noſter pro anima illius, nempe Ingeburgæ, &

omnium

omnium eorum, qvi bona ſua ad incrementum Eccleſiæ conferunt. qvod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, & ſubintelligendum ex eo, qvod ſolennis & anniverſaria ejusdem Ingiburgæ commemoratio ſub initium veris inſtituenda eſſet. Facilis ſculptoris lapſus in ᛚ pro ᚦ, aut vice verſa. Verum hæc tuo judicio committo. De aliis alias videbimus, qvæ fortean nobis amplam ulterius inqvirendi de genuino Monumentorum ſenſu occaſionem ſuppeditabunt. Tranſeo nunc ad auto[…], qvos hinc inde ad teſtimonium citaſti. Hos inter incognitus plane mihi eſt Liber, *Rudimentum Novitiorum* dictus, in qvo valde miror *Popponis* fieri mentionem. Qvare ſi penes te ſiet, velim ad unam aut alteram hebdomadam mecum communices. Itidem edoceas me rogo, qvalis ſit ſcriptor *Richardus Verſtegäen, de Originibus priſcorum Vocabulorum*; qvem videre & verſare vehementer deſidero. Tertius eſt *Joſephus Tercera*, ex qvo Genealogiam Regum Portugalliæ deducis. Cujus etiam mihi copiam ut facias rogo. Sed præ omnibus Codicis MS. uſum mihi exopto, unde verſus illos de *Holigero Getha* ad calcem *Monumentorum* adjunxiſti. Proinde à Bibliothecario veſtro meam in gratiam ut poſtules, vehementer peto. Ænigmata nuper mecum communicata heic una grata manu menteqve reſtituo. *Conciliorum Anglicorum* lectioni ſtrenue incumbo, qvoties per alias licet occupationes. Qvid vero dicam de Genero tuo *M. Tormio*, qvi tantopere mihi invidet editos à ſe *Lyſchandri in Aventinum Sermones*, qvos ter aut amplius à me rogatus impertire noluit? ſicut & Regum Effigies denegavit. Tu, qvæſo, pararius mihi apud illum ſis, & qvantum in te eſt, ad majorem liberalitatem eum excites. Æris cocti maſſas aliqvot mitto, de qvibus Minerales artifices plenius te edocebunt. Non abs re foret, ſi exemplum *Monumentorum* per me exhiberes Nobiliſſimo Viro, *Dn. Ovueno Juel*, Principum Glüchsburgenſium Ephoro, qvi amat literas & literatos. Carmen meum libro tuo præfixum male tractavit Typographus, dum neceſſariis interpunctionibus non diſtinxerit. Nam illis verbis, *Candenti ſola favillæ*, Punctum, qvod abeſſe debebat, adjecit: item *dextas* pro *dextras*, *ſtigiis* pro *Stygiis*, *conceſſus* pro *Conſeſſus*, aliaqve perperam excudit. Tuum erit, niſi grave ſit, ea emendare, priusqvam plura in manus doctorum exemplaria à te perveniant: vel etiam Amanuenſis tui ad hanc rem opera uti poteris. Vale Vir exellentiſſime, & me ama. Soræ, Pridie Calendar Decembr. Anni exſpirantis cIↄ IↄcxLII.

CCXLVIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

TIbi *Monumenta* mea non diſplicere, eſt qvod mihi gratuler. Nominis tui ubi injecta eſt mentio, merito honorifice hoc factum; nec eſt, qvod ideo gratias agas, id enim tuis niſi tribuerem meritis, ingratiſſimus eſſem. Non enim is ſum, qvi alienis me ornare geſtiam pennis, ſed libere & ingenue, per qvos profecerim, ſemper agnoſcam & profitebor. Gratiſſimum porro, qvod de iis meditandi præbuerim occaſionem. Placet monitum de *Finnis* ut & *Myklegard*, qvod auctori meo etiam non diſplicere vides. Sed in *Gieſingholmenſi Monumento* tibi vix aſſentiri valeo. Fateor, & ſatis patet, corruptum eſſe; hinc miſtura illa literarum Romanarum cum Runicis, qvæ in aliis nuſpiam apparet, lacuna qvoqve & vocum vix cohærentium farrago. Interim ad *Nicolaum* illum *Knutſonium* applicari poſſe, vix perſvadeo mihi; Hic enim Arhuſii, non Gieſingholmii ſepultus, teſtante *Hvitfuldio;* hic non fuit Epiſcopus, ſed Epiſcopi frater; Hujus ſepulchrum cruce lignea, non lapide fuit exornatum. Unde probabis ſaxum hoc Arhuſio (ubi nunqvam fuit) translatum in locum ignobiliorem Gieſingholmium? Scilicet tanti Viri monumentum tam fœde violari nunqvam permiſiſſent poſteri; potius in novum & auguſtius templum tranſtuliſſent. Literas qvod ſpectat, fateor *Arhuſium* ſcriptum inveniri ſine aſpiratione *Arus* ſed vix duplicato R. At qvæſo, qvid ſibi vult circulus ſeu O inter ᚼ & R poſitum, & flexus ſeu gyri iſti inter utrumqve R? Siccine diſtingvenda aut ſeparanda qvæ cohærere debeant? Ubi horum in aliis mihi dabis exempla? *Svenonem* hæc ſculpenda curaſſe, qvo probabis documento, & qvidem eum in finem? ᚦᚢᛅᚦ qvis te docuit ſignificare døde? Si ᚦᛅᚢᚦ tranſpoſitis literis extaret, aliqvid obtineres. At ubi unqvam hujus generis inſcriptionem à voce døde orſam vidiſti? Plura ſunt, qvæ occupatiſſimus omittere cogor. De *Klepenſi* facilius conveniemus; utramqve enim lectionem admitti poſſe arbitror: tua, ſi ordines invertantur, ac ille, qvem primum ego conſtituo ex mente illorum, qvi illud ad nos miſerunt, ſecundus ſtatuatur, & vice verſa; mea, rebus ſic ſtantibus & manente P. alibi enim pro

ethnicis

nicis majoribus priorum ejusmodi invenies precationes. Am-
m de genuino *Monumentorum* ſenſu me tibi ſuppeditaſſe
:urrendi occaſionem gaudeo, utqve in hoc ſtadio pergas, rogo.
lius edoctus ingenue lapſus fatebor meos, ſimul libere, ſi
d videro Literaturæ noſtræ aut antiqvitatibus minus con-
um, viciſſim monebo. Utinam ad ſingula excutienda tan-
ı mihi à laborioſo, qvo premor, munere ſuppeteret otii,
ntum voluntatis. *Rudimentum Novitiorum* liber eſt pſau-
lis, paulo minor *Joanne de Janua*, & ni ferre recuſet Ama-
nſis tuus, ſecum ſumet. *Richardus Verſtegan* decies tibi
d me viſus eſt, &, ni fallor alias transmiſi; ex eo enim ido-
ım Icones fabricari curaſti; interim mitto. Addo *Terceram*.
MS. *Holigeri*, continens carmen, in mea non eſt poteſtate,
ubi inveniam ſcio. Bibliothecarium Academiæ dum ageret
Johan. Chriſtoph. tum auctorem mihi monſtravit, ac ſua
ıu deſcriptum hoc carmen communicavit. Is tibi ſollicitan-
Gener *Tormius* negati libri *Lyſcandri* & Iconum cauſam
c adfert, qvod, cum peteres, necdum iis oblata eſſent, qvi-
dedicata: jam verò mittit. Pro maſſis æreis ingentes gratias
; mineralibus meis probe qvadrant. Non eſt, qvod de car-
ıe tuo vitioſè expreſſo conqveraris; & in aliis & ubiqve per
ım librum majora & plura invenies ſphalmata; qvam cul-
ı præſtare nemo præter Typographum poteſt. Ipſe expe-
is, ubi ad *Saxonem* tuum deventum. Lynceus adeo non
, qvin plurima ejus generis præter tuam voluntatem admit-
t. In punctis, colis & commatis aliisqve ejus generis fruſtra
orabis. Nec Svenio tuus horum immunis. Ad minutias
s facile connivent ingenui; zoili & invidi etiam minora pro-
ıt. Mihi *Monumentorum* icones nullæ ſunt præter eas, qvæ
is ipſis ſunt inſertæ. Inter ducentas tabellas inter ſe confu-
eas, qvas petis, ſeligere, & de novo Typographo cuden-
tradere, mihi haud ſuppetit otium; unam, qvam forte
eni, mitto; reliqvas, ubi paululum reſpiravero, videbo,
nvenire poſſim. Vale. 5. Dec. 1642.

CCXLIX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

QVod ingens illud vaſtæqve molis *NOVITIORUM* Opus tam prompta mente manuqve mecum nuper communicaveris, certe luculentum ingentis erga me affectus tui fuit indicium. Ego qvidem tanta tibi exhibenda moleſtia ſuperſedere potuiſſem, ſi modo prius conſtitiſſet, penes me ipſum domi latitare, qvod foris qværebam. Etenim in mea qvoqve Bibliotheca ejusdem Voluminis exemplum exſtat, oſtro & argento inſignitum, qvod olim poſſeſſorem agnovit illuſtrem Heroa *Dn. Nicolaum Kaas*, Regium Cancellarium, piæ memoriæ. Cæterum in eo reſidebat ignorantiæ meæ cauſa, qvod tu librum iſtum *Rudimentum Novitiorum* appellares, cui ego ab autoris nomine *Chronicon magnum Petri Trecenſis*, ſive *Comeſtoris*, facere titulum ſoleo. Is floruit ſub *Imperatore* Friderico Barbaroſſa, circa Annum Meſſiæ cIↄcLX. Similis in *Verſtegan* error fuit, qvem multoties apud te inſpexeram; ſed verum autoris nomen nunqvam didiceram. Utrumqve nunc remitto; comitem illis adjungens *Spelmannum de Conciliis orbis Britannici*, qvo etiam ex voto ſatis ſuperqve uſus ſum. At ubi *Texera*? inqvies. Hunc rogo vel uſui longiori concedas, aut dono; qvum immineat jam tempus ſtrenarum miſſiculandarum: id qvod ut tibi, totiqve familiæ tuæ, felix, fauſtum, atqve jucundum illuceſcat, ex animo precor. Vale. Soræ, d. XXII. Decembris, Anni exſpirantis 1642.

CCL.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

RUdimentum meum *Novitiorum* recepi; qvod eo gaudebit titulo ad calcem mei codicis expreſſo, usqve dum tu ex tuo deaurato mihi genuinum deſcriptum miſeris. Auctorem tu ſtatuis *Petrum Comeſtorem*, qvem floruiſſe circa annum Meſſiæ 1160. ſcribis, ac tecum facere *Helvicum* video. At *Geſnerus* in *Epitome* Biblio-

Bibliothecæ anno 1260. claruiſſe refert; centenario igitur major. Ipſum opus ſi inſpexeris, continuaſſe illud videbis in annum Friderici Imperatoris 34. qvem ipſe ait fuiſſe annum Chriſti 1473. Qvid dicemus? floruitne auctor annis ſerius trecentis tredecim? Tu vide; ac cave, ne te comedat *Comeſtor*. *Texera* ubi uſus fueris, pari modo reſtitues, ne fides mea apud alios laboret, à qvibus mutuo ſumpſi. Non poſſum, qvin addam, qvod de voce *Vitber-Log* nuper meditatus ſum. *Wyte* n. g. qvod jam *Vide* dicimus, *peccatum* vel *transgreſſionem* notat *contra contubernii leges*, ut in *Hiſtoria Olai Tryggonis: Og þo þig hende vyte* i. e. *& qvamvis delictum aliqvod commiſeris*. Hinc *Vytelog* Lex, qvæ pœnam ſtatuit transgreſſoribus. Vel à voce *Vit*, qvæ *ſcientiam* notat; unde *Vite borne men*, i. e. *Viri ſapientia præditi*, ut in *Egla: þenn men varu fryder ſynum, ſmaer vexte og vel vite borner* i. e. *Viri erant formoſi, ſtatura parvi, ſed bene ſapientes*. I. de *Viturſeta* f. g. *conſeſſus eorum qvi in conſilium delecti ſunt*. Vide *Vitisborn* libr. 5. *Monument*. pag. 391. *Wither-Log* qvaſi *leges a ſapientibus latæ*. Hæc ſtrenæ loco habeas, cum novi hujus anni feliciſſimis auſpiciis; majora vetat novus Ethicus; qvi, ut Philoſophi & Theologi nomen ex parte aliqva ſibi vindicaret, multum inſumpſit temporis & multum laboris. Qvod felix fauſtumqve ſit. Hafn. 12 Jan. 1643.

CCLI.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

Ex veteri formula, herbam tibi porrigo, & victas do manus! Etenim deceptus manu curioſuli cujusdam, qvi ad calcem magni iſtius Chronici, qvod tu cum Typographo *Rudimentum Novitiorum* indigitas, nomen *Petri Trecenſis*, qvem alias horrendo titulo *Comeſtorem* vocant, aſcripſerat: qvod ego pro vero Autoris nomine arripiens, inconſiderate nimis, in ultimis literis ad te meis, tam vaſtæ molis Operi tribuere non ſum veritus. Certum eqvidem eſt ex *Trithemio*, *Voſſio*, *Helvico*, & aliis floruiſſe circa annum Domini ᴐIᴐCLX. *Petrum* qvendam, cognomine *Comeſtorem*, ſive *Manducatorem*, ſic dictum, *Trithemio* autore, *qvod ſcripturarum autoritates in ſuis ſermonibus & opu-*

crebrius allegando, qvaſi in ventrem memoriæ manducarit. Is fuit Epiſcopus Trecenſis, & *Hiſtoriæ* ſcripſit *Libros XX.* qvam *Scholaſticam* nominat *Tritbemius.* Qvum vero animadvertam autorem *Rudimenti*, qvisqvis ille fuit, in annum Friderici III. Imperatoris XXXIV. qvi eſt An. Chr. cIↄCCCCLXXIII. Hiſtoriam ſuam continuaſſe, qvomodo rectè obſervaſti: non poſſum non *Comeſtori* abjudicare hoc Opus, & tibi gratias agere, qvod errantem me in rectam viam reducere dignatus ſis. Poſthac ero cautior! Cæterum grata etiam fuere, qvæ de voce *Witberlog* monuiſti. Et confirmare videntur opinionem tuam, qvæ in *Legibus Eccleſiaſticis Canuti* Daniæ, Angliæ & Norvegiæ Regis, *Cap. III. de Sortilegis & Veneficis*, habentur verba: *Præcipimus, ut Witberſacan & Utlagæ Dei & hominum patria exeant, ſi non reſipuerint & digne pœniteant* Ad qvem locum in ora interioris marginis *Spelmannus*, qvi has leges edidit, ita commentatus eſt: *Witherſacan & Utlagæ, id eſt, jure divino & ſeculari proſcripti.* In eisdem *Legibus*, *Cap. XIII. XIV.* & aliis, extat Vocabulum *Witæ*, qvod *mulctam* interpretatur *Spelmannus*: *Si liber legitimum jejunium infringat, reddat labslit* (i. e. violatæ legis pœnam, ut *Spelmannus* exponit) *cum Dacis*, *Witam cum Anglis*, (i. e. mulctam.) *Joſephum Texeram* en tibi nunc una reſtituo; qvem per jocum duntaxat à te ſtrenæ loco poſtulavi. Veri etenim amici interdum inter ſe jocari ſolent. De *Saxone* meo nullum eſt dubium, qvin fando inaudiveris, qvod Sereniſſimus Rex noſter Centum Qvinqvaginta Unciales, ex munificentia verè Regia, ad chartam emendam, nobis ſuppeditaverit. Nunc totus in eo ſum, ut hoc in loco prælo ſubjiciatur, de qvo cum Typographo noſtro paciſci cœpi. Unicum forte impedimentum objiciet negotio promovendo defectus characterum Runicorum, qvos à vobis petere cogimur. Velim itaqve & hac in parte fidelem te mihi amicum præſtes, & cum Typographis veſtris meo nomine ſerio ac diligenter agas, ut capſulas literarum iſtarum huc transferri patiantur: qvod deinde dominis ſuis ac poſſeſſoribus, ubi ex voto uſi fuerimus, reddituri ſumus. Tuum eſt, publici boni cauſa, omnem movere lapidem, ut voti compotes fiamus, & me qvamprimum certiorem facere, qvid ſperare habeamus. Memini me antehac communicaſſe tecum Volumen continens effigies Regum Danicorum: qvod vehementer deſidero. Vale. Soræ, Pridie Calendar. Februarii, cIↄ IↄcxLIII.

CCLII.

CCLII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

GAudeo tibi non diſplicuiſſe, qvæ de *Comeſtore* & *Witherlog* monui, eo fine, ut paria data commoditate reddas. Fervet jam ſub prælo *Faſtorum* meorum iterata editio, qvam à me extorſit *Moltkenius* noſter, ſiqvidem prioris exemplaria diſtracta, ut eſſet, qvod jungi *Monumentis* (ut ipſe prætendit) commode poſſet in juſti Voluminis formam. Multis in locis & auctos & emendatos invenies, qvocirca, ſi qvid obſervaveris aut habeas, qvod iis locupletandis inſerviat, rogo, qvam maturrime id mecum ut communices; jam enim ad *Caput XII.* libri primi perventum. Vides igitur, de Runicis typis qvid ſperare poſſis. Sed forſan, ante, qvam *Saxonis* textum veſter abſolverit Typographus, huic operi etiam colophonem imponet noſter, tum de hiſce commode tranſigi poterit. Non eſt, qvod ſine certis conditionibus ac cautionibus qvicqvam ab iis exſpectes. Ego tamen interea, qvod potero, præſtabo. Reges tuos maxima cum gratiarum actione remitto; delituerunt hactenus apud Glyptem noſtrum; hinc factum, qvod de iis non cogitaverim, ac dudum remiſerim. m. Febr. 1643.

CCLIII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

FAſtos Danicos, rogatu tuo, inter graviſſimas occupationes, à capite ad calcem, qvod dicitur, diligentiſſime perlegi; verum nihil plane occurrebat, qvod illis locupletandis inſerviret, præter paucula hæcce; qvæ tametſi levia ſint & nullius momenti in chartam tamen conjicienda putavi, ut ſaltem promptam tibi, etiam in minutiſſimis, gratificandi voluntatem meam probarem.

I. *Cap. III. pag.* 5. & 6. *Olaus Magnus* non ita videtur abſurde *Baculos Annales* dixiſſe, qvos tu tamen elegantius *Faſtos* appel-

appellas; nempe qvod anni totius curſum oſtendant. E
τὸ annalis eſt adjectivum, *ἐνιαυσιαῖος*; ſicut *legem annale*
cero III. de Legibus; annale tempus Varro Lib. I. de re Ru
Cap. XXVII. dixere.

II. *Cap. VII. pag.* 13. Illud anni tempus, qvo Feri
talitiorum Chriſti celebrantur, non tam à *Julio Cæſare*, q
Jubilo, denominatum omnino cenſeo. Nec credo ante pr
Chriſtianiſmi in haſce terras introductionem, hanc appel
nem huic anni tempori inditam fuiſſe; Sed tum primum
nachis & Sacerdotibus, ad excitandam in animis Chriſtian
lætitiam & gaudium, qvod ex nativitate Chriſti Servatori
ci ere debeant, excogitatam: eiqve occaſionem dediſſe
num Angelicum, *Gloria in excelſis Deo* &c. Unde hod
canitur in Eccleſia: *In dulci jubilo*, Siunge vi og ere fri
vort Hierte fryder, ligger *in præſepio* &c. Cæterum ope
detur pretium binas haſce literas Clariſſimi *Dn. Pontani* τ
ποιητα, de voce *Jul*, diligentius evolvere, & ſi tanti vide
hoc loco novæ *Faſtorum* Editioni inſerere.

III. *Cap. XIV. pag.* 29. *Rhedmonat* forte dictus n
Martius, fordi Diurene da løbe i Ryed, ut noſtrates v
præcipue feles. &c. Pag. 30. *Eoſturmonat* (e litera ab *l*
huic voci præpoſita, qvod in aliis fecere) ad verbum eſt *P*
ſis menſis. Oſter enim *Paſcha*; qvomodo hunc etiam m
indigitavit Carolus Magnus, teſte *Eginharto* in vita ipſius:
locum qvum te non adduxiſſe videbam, hic repræſenta
duxi: *Menſibus etiam juxta patriam lingvam nomina imp*
cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim b
ris nominibus appellarentur. Et menſium qvidem Janu
appellavit Winthermonat; Februarium Hornung; Ma
Lentzmonat; Aprilem Oſtermonet; Majum Wunnemonet
nium Brachmonet; Julium Heumonet; Auguſtum Arnt
Septembrem Herbſtmonet, Octobrem Winmonet; Noven
Windtmonet; Decembrem Heiligmonet appellavit.

Cap. XV. pag. 35. *Antiqvitus een Wige dicta v*
ſeptimana. Belgis hodieqve ſeptimana *een Weche* dicitu
Plura nunc non ſuppetunt. Ignoſcas itaqve ſi petitioni tuæ
lidum non ſatisfecerim. Annus jam eſt, & qvod excurrit,
tibi *Chronologiam* qvandam MS. ex Codice Nobiliſſimi *Dom*
feldii deſcriptam communicarem: cujus mihi ad breve ſp

ɔpiam facias, vehementer rogo. Integrum etenim *Syſtema* ɔmologiarum Danicarum olim cum Bono Deo publici facere s conſtitui. Si qvid in tuis Schedis reperiatur, qvod meum tutum juvare poſſit, qvæſo te, lubens volensqve impertias. : & me ama. Soræ ταχιστα, d. 17 Febr. 1643.

CCLIV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

m.

Qvod, neglectis gravioribus, tantum temporis *Faſtis* noſtris tribuere haud ſis veritus, gratias ago; eorum vero, qvæ otaſti, maxima ex parte habitam eſſe rationem in opere ipſo ebis. Primæ animadverſioni reſponſum a me dudum erat, ı ſecunda hac editione liqvebit. *Caput* vero *VII.* abſolverat ɔographus anteqvam tuas acceperam; qvocirca, qvæ notaſti , præterire cogor. Eorum vero, qvæ literis *Pontani* contitur, cum olim ad me miſeris ſummam, ejus uſus ſum opera. *Oſtermonet* & *Rhedmonet* qvæ mones, invenies in prima editie, licet formalia Danica præterierim. Vocabula vero Germica à *Carolo Magno* iis indita præterii, cum de Danicis ſal ſermo ſit, jam tamen addam vel tuo monitu. *Chronolo-* *n*, qvam ad me ante annum miſiſti, expreſſam habes totidem bis in notis meis ad *Seriem* alteram *Regum Daniæ*, pag. 23. ſi : ejus generis in ſchedis meis invenero, monebo. *Petrei* *onologiam* à me habuiſti; de ea igitur, non eſt, qvod mom. Habes procul dubio, qvod in *Svaningio* deſideres, ſiqvi ı novum qvid moliris. Unum eſt, qvod te rogem: *Carmen* *mii*, libro meo præfixum, anteqvam ederetur, non pellegis ı ipſe à Typographo allatum revidit, cum lima indigere viatur, iterato excuſum eſt: mitto exempla, ut abdicato priori inſeras tuo & aliorum (qvos mutuo apud vos habere poteris) icibus, ita tamen, ut, qvantum fieri poteſt, ſecrete res aga- Fidei tuæ hæc commiſſa volumus. m. Febr. 1643.

CCLV.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio,

QVam nuper à te petii, *Chronologia*, in *Notis* tuis ad *alteram Regum Daniæ ſeriem*, qvomodo ſcribis, nuſpiam apparet. *Pagina* etenim *XXIII.* qvam allegas, anni tantum mentionem facis, qvo latæ ſunt *Leges Sælandicæ:* & adducis veterem Inſcriptionem Danicam ex Codice MS. tecum communicato deſumptam, cui nihil plane ineſt, qvod meum ad inſtitutum ſpectet: Intelligo etenim brevem qvandam deſignationem Chronologicam rerum præcipuarum in Dania geſtarum ab Anno Chriſti 1150. vel circiter, cujus initium ita, ni fallor, habet:

Anno 1130 *Bellum fuit in Jalunga.*
Anno 1131 *Bellum fuit in Syra.*
Anno 1135 *Roſchildia devaſtata eſt. &c.*

Aut non multum ab his abſcedit. Eam ego deſcripſi ex Codice MS. qvem à me habet Generoſus *Dominus Georgius Seefeld*, fori provincialis per Selandiam ſupremus Judex. Vehementer te rogo, ut Schedas tuas meam in gratiam diligenter excutias, & qvantum in te, *Fragmentum* hoc *Chronologicum* eruas, ne properantem Amanuenſem diuturna ejus remoretur exſpectatio. Emendatum *D. Plumii* Carmen *Monumentorum* tuorum exemplis, qvæ paucorum in manibus hic verſantur, recte taciteqve, ſicut mones, inferendum curabo. Interea Vale & Salve Affinis dilectiſſime. Soræ d. XXV. Febr. cIↄ Iↄcxliii.

Qvæſo te, mi *Wormi*, ut ex Bibliotheca veſtra publica & Regia ſuppedites mihi volumen MS. notatum *Lit. A.* 9. qvod varia continet Chronologica, & aſſervatur in Capſa majori rubra, verſus Orientem, inter Archiva Regia; ſed probe charta, aut aliis, involutum, ne in via detrimentum patiatur &c.

CCLVI.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

QVod mentem tuam proximis non perceperim, cauſa erat, qvod nunqvam aliam a te acceperim *Chronologiam*, qvam hanc ipſam, qvam citavi. Ea, qvam jam petis, nunqvam mihi viſa, multò minus à te accepta; falleris igitur, dum eam mecum te communicaſſe putas. Qvia ex hoc ſpecimine videor mihi mentem tuam melius capere, mitto ex ſchedis meis, qvæ huc ſpectare videntur, ex qvibus ubi excerpſeris, qvæ ad tuum facere poſſunt inſtitutum, reſtitues. Sunt mihi Islandorum qvoqve *Annales*, à tuis aliqvantum diverſi, qvos olim apud me vidiſti, ſed dubito, an tibi alicujus uſus. Plura ejus generis apud me non invenies. Qvem ex Bibliotheca Academiæ petiiſti librum, mitto, mea interpoſita apud Bibliothecarium fide. Tu propoſitum ſtrenue urge, ut brevi plura, Hiſtorias noſtras illuſtrantia, à te habeamus. Vale. Hafn. 2 Mart. 1643.

CCLVII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

REſtituo etiam hac vice binas Figuras Runicas, qvibus Typographus noſter in Notis meis excudendis ex voto uſus eſt. Addo & tertiam, qvam accepi, dum hæc ſcriberem. Paucæ reſtent, qvas propediem tranſmittam. Beneficium hocce tuum & ego in *Prolegomenis* ſummopere deprædicabo, & ipſe *Moltchenius*, ſi modo gratum ſe præſtare velit, uno aut altero Exemplari novæ Editionis repenſabit. Qvum vero acrius juxta ac alacrius nunc inſtent operi operæ noſtræ, adeo ut nullus dubitem, qvin intra paucorum menſium ſpatium extremam univerſo labori manum ſint impoſituræ: peramanter te rogo, ut ad exemplum aliorum Amicorum CARMINE aliqvo conatibus meis favere & acclamare, atqve ita amicitiam noſtram toti poſteritati teſtatam facere digneris. Accedet iſte cumulus amori erga me

tuo,

tuo, qvo me ſemper proſeqvutus es, & nunqvam non proſeqvuturum ſpero atqve confido. Ad ultimum, omnibus abs te precibus contendo, ut Exemplar *Notarum* mearum à *Moltchenio* petas, idqve diligenter, horis ſubceſivis, evolvas, & ſi qvid emendatione dignum obſervaris, mature admoneas, priusqvam publicam lucem viderit. Nam tibi ſoli, utpote Antiqvitatum noſtrarum callentiſſimo, id officii concreditum volo. Deo te Opt. Max. te, Optime Amicorum, commendo,

Qvi ſolus potis eſt tranqvilla pace juvare
Mortales, facere & fera munera militiai
Per maria & terras omnes ſopita qvieſcant.

Soræ, ad diem XII. Martii, Anno Meſſiæ clↄ Iↄcxliii.

CCLVIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Excellentiſſime Domine *D. Wormi*, Affinis & Amice plurimum honorande. Rediiſſe Soram ex itinere Germanico, qvod typorum adſerendorum cauſa ſuſceperat, Typographum noſtrum *Henr. Kruſium*, nullus dubito, qvin fando inaudiveris. Is in eo nunc totus eſt, ut prælo ſubjiciat *Notas* meas in *Saxonem*. Qvibus adornandis, imo illuſtrandis, qvum plurimum momenti allaturæ ſint Figuræ nonnullæ divino illi Monumentorum Danicorum operi inſertæ: per amicitiam te noſtram oro atqve obſecro, ut easdem nobiscum lubens volensqve communices. Qvænam vero ſint illæ, ex adjuncta patebit Schedula. Si ita placuerit, cavebit chirographo ſuo *Kruſius*, ſe omnes & ſingulas integras ac incolumes reſtiturum, ubi bono cum Deo extremam Notis excudendis impoſuerit manum. Ego etiam diligenter accurabo, ne detrimentum patiantur, neve fraudi ſiet facilitas tua: cujus tibi præmium unum aut alterum exemplar integri *Saxonis* voveo ac ſpondeo. Bene Vale, Affinis dilectiſſime, & me ama. Soræ, d. XXI. Julii, clↄ Iↄcxliii.

CCLIX.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

loram.

MItto expetitam *Chronologiam Petrei*, & alterum ex Archivis Manuſcriptum, de qvo prima commoditate cavebis Bibliothecario; eousqve enim literas à te mihi ſcriptas retinuit. Ex Islandia nil niſi *Cantilenas* in *Knitlingſagu* extantes enucleatas accepi, ad res geſtas *Svenonis* & *Erici* maxima ex parte pertinentes; ſi tibi earum uſus aliqvis eſſe poſſit, alias mittam, necdum enim ſatis pellegi. Feſtinante Rectore Scholæ veſtræ, hæc ſaltem occupatiſſimus reſcribere valui. Haſn. 17. Nov. 1643.

CCLX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

ARcum iſtum Rutenicum affabre elaboratum, qvem tibi, Amicorum optime, dono nuper dedi, nullus dubito, qvin per tabellarium Witebergenſem *Lummerum*, cui ad te deferendum tradidi, recte acceperis. Nunc redhoſtimenti vice, ad tempus à te utendum peto Monumenti Avinsloenſis, qvod extat *Lib. IV. Monument. Danicor. pag.* 245. cælatum in ſtanno Schema, qvo propediem indigebit Typographus noſter in excudendis *Prolegomenis* meis, ubi *Saxonis* occurrit nomen explicandum. Nam in iſta inſcriptione τὸ ᛋᛅᛋᛁ, *Søſi*, exiſtimo ᛋᛅᚴᛋᛁ, *Saxi* eſſe. Qvare velim huic internuncio, ſi ita videtur, aut *M. Jacobo Bingio*, committas, qvi recte curabit. Nos etiamnum in magno metu & perturbatione vivimus indies, ob tumultum, qvem per totam hanc provinciam excitarunt viſæ circa ortiva inſulæ littora 46. Svecorum naves. Deus ſiſtat & compeſcat ſævientis hoſtis rabiem, & faciat, ut

fera munera militiai
Per maria & terras omnes ſopita qvieſcant.

Cujus protectioni te tuaqve ex animo commendo. Vale

Affinis

Affinis & Amice dilectiſſime, & omnino reſcribe. Soræ, ad diem XX. Junii, Anno, qvo

PerJVra gens SVeones eXerCItV ſVo DanIaM InVaſerVnt.

CCLXI.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio.

Soram.

PRo oblato arcu eleganti, qvem cum *Lummero* noſtro recte accepi, gratias ago maximas. Mitto per præſentem *Monumenti Avinsloënſis* typum, qvo ubi cum reliqvis uſus fueris, remittes. Nos præſentia Regiæ Majeſtatis, qvæ 22. hujus ſalva & incolumis rediit, omnesqve Sveticas nebulas præclare diſpulit, mire exhilaravit; jam in procinctu eſt, ut claſſi perfidæ, qvæ & vos & nos turbavit, obviam eat. Deus ſanctis ſuis Angelis ipſum conducat, & conatus dirigat, ut perfidi hoſtis ferocia feliciter compeſcatur, ac reducem victorem læti ſalutare valeamus. Heri huc appulit Legatus Gallicus, de pace, ut ferunt, tractaturus. Deus optatos largiatur ſucceſſus in ſui nominis gloriam & Patriæ utilitatem! Patavio hiſce diebus *Fuirenius* mihi Monumentum transmiſit eximium, Aureo cornu erectum, & publicatum Venetiis à *R.P. Angelico Aproſio Vintimiglia* in libro Italico cujus *Caput XI* mihi inſcripſit. Copiam feci *M. Dolmero*, ut Tecum communicaret; ubi ad vos redierit, ab ipſo pete. Vale Hafn. 25. Jul. 1644. qvo die nova prole fœminea familia mea facta eſt auctior.

CCLXII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

EXcellentiſſime *Dn. D. Wormi*, Affinis & Amice plurimum honorande, qvum adeo te facilem in recognoſcendis & emendandis *Notis in Saxonem* meis antehac præbueris, fore putabam, ut eadem in re porro operam mihi tuam neutiqvam denegares. Idcirco reliqvos, ut vocant, *Terniones*, videlicet ab *A* ad *F*, & ab O ad finem usqve, transmittendos nunc duxi: per amicitiam te

noſtram,

tram, & ſincerum illum affectum, qvo me ſemper proſeqvu-es, rogans atqve obſecrans, ut in iis diligenter evolvendis, corrigendis parilem ſedulitatem adhibeas, qvalem antehac invitus præſtitiſti. Inprimis vero des operam, ut qvantum alias occupationes liceat, prima qvaqve occaſione voto meo sfacias. De *Moltchenii* veſtri negligentia non poſſum non viter apud te conqveri; per qvem ſi non ſtetiſſet, jam lucem exiſſet *Saxo* noſter. Qvare aurem homini vellices qvæſo, & ea, qvæ reſtant, paucula certe, propediem abſolvenda ſe-o horteris. Noſter etenim Typographus ulterius progredi ne-t in *Notis* excudendis, qvod deſint numeri paginarum ſingu-Obſervationibus aſcribendi. Velim etiam Venerandum Dn. inem noſtrum *D. Jacobum Matthiæ*, juxta ac Collegas tuos, *Bangium* & *M. Fromium* ſerio moneas, urgeas, ſollicites, ut rmina, qvæ promiſerunt, *Saxoni* præfigenda, qvamprimum ræſentent, ne poſt feſtum tandem veniant. Vale, Vir deſi-atiſſime, Affinis & Amice integerrime, & me, ſicut cœpiſti, ro amare perge. Soræ, ipſis Calendis Auguſti cIↄ Iↄcxliv.

CCLXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

am.

QVanta per occupationes licuit celeritate, eruditiſſimas *in Saxonem Notas* percurri; nihilqve deprehendi animad-ſione dignum, præter ſphalmata qvædam Typographica & li-rum mutationes paucas, qvas in chartam conjeci, & jam cum *tis* mitto. Tu boni conſulas. *Moltkenium* officii ſui ſevere ſadmonui, ſed is ad alia, qvæ majorem reqvirunt feſtinatio-n, qvæqve ejus magis ſpectare videntur lucellum, ſe cunctari ctum eſſe; cupere, ut in *Præfatione* & reliqvis, qvæ textui mittenda ſunt, pergatis; effecturum ſe interea, ut, qvæ re-t, abſolvantur. Cum *D. Jacobo Matthiæ, Bangio* & *Frommio* Carminibus egi, hi mihi tradiderunt, qvæ *Notis* junxi, ille cul dubio ipſemet tibi ſua miſſurus eſt. Si detur occaſio, qvæ-mitte *Andreæ Sunonis Hexaemeron*, ut perlegam, mox reſti-m. Saluta Dolmerum & noſtros omnes. Vale. Nova hic lla, niſi qvod heri veſperi ſalva & incolumis redierit Majeſtas

Regia

Regia à Victoria, qva novem ſuis navibus profligavit, & in fugam conjecit claſſem Belgico-Sveticam XXIV navibus conſtantem, qvæ inaudito exemplo fretum Oreonicum ad litus Scanicum curſum dirigendo perrupit. Vale. 14. Aug. 1644.

CCLXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DE præſtita in emendandis *Notis* meis opera uberrimas tibi gratias ago: coram etiam acturus, ubi nos Deus & dies conjunxerit. Et paria tecum ut facerem, tuæqve petitioni viciſſim obſecundarem, *Hexaëmeron Andreæ Sunonis* inpræſens tibi mittendum duxi: & geminum qvidem Exemplar. Unum, ut videtur, ipſius Autoris autographum, alterum apographum, juſſu fortean Nobiliſſimi *Hvitfeldii* eum in finem deſcriptum, ut prælo ſubjiceretur. Sed vitioſiſſimum illud eſt, variisqve refertum mendis, qvod Librarius veterem ſcribendi morem aſſeqvi non potuerit. Ego totum Opus ad MStum Codicem recognoſcendum ſuſceperam, verum propter alias occupationes ultra *I. Librum* progredi mihi non licuit. Ipſum Poëmation nonnihil obſcurum eſt, indigetqve luculento Commentario. Complectitur etenim res varias, abſtruſas, & reconditæ eruditionis. Nec ubiqve ſervat leges Pedarias, ut ſtatim vel per tranſennam inſpicienti apparebit. Interim haud exiſtimo publica luce indignum, ſi modo faventem habere poſſet Typographum. De Carminibus tranſmiſſis velim Collegis tuis meo nomine gratias agas verbis ampliſſimis. Enitere, qvæſo, ut à *D. Jacobo Matthiæ*, (qvi qvantum mutatus ab illo veteri *Jacobo* eſt!) aliqvid extorqveas. Itali Scriptoris eruditiſſimum Elogium in *Cornu* tuum *Aureum*, vehementer mihi placuit, & autor eſſem, ut ſeorſim excudendum curares, & Illuſtriſſimo Principi, Electo Regi, offerres; qvo olim in Tabella, ad parietem Lararii, ubi cornu aſſervatur, affigi qveat. Hæc verò res tui erit arbitrii. Si qvid novi lectu dignum ex Italia *Bartholini* attulerint, vel ex Islandia Mercatores noſtri, qvos jam rediiſſe puto, communices rogo. Me viciſſim in vota tua promptum paratumqve experieris. Vale, Affinis dilectiſſime, & me, ut ſoles, ama. Soræ, d. XXVI. Auguſti, Anno Meſſiæ cIↃ IↃcXLIV.

CCLXV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

Reddo *Hexaëmeron Andreæ Sunonis*, qvod obiter luſtravi; cum cura legendi mihi non fuit otium. Medica certe, ut mones, eget manu apographum, ſi unqvam lucem aſpiciet. Mihi ſufficit vidiſſe: gratias igitur ago, paria relaturus, ubi ſic feret occaſio. D. *Jacobum* iterato monui ac literas tuas oſtendi, addens, in mora eſſe periculum, & bis dare qvi cito dat. Pollicitus eſt ſe brevi miſſurum. Ex *Bartholinis* nemo rediit, præter *Albertum*, qvi Witteberga ne literulam mecum communicavit: reliqvi duo, ut audio, Amſterodami adhuc hærent, qvousqve neſcimus. Ex Islandia unica rediit navis, ſed nihil à meis. De *Aureo Cornu* novum opus prælo ſubjecit D. *Winſtrupius*, heroico carmine conſcriptum, ac ſingula Emblemata ad præſentem Daniæ ſtatum applicat, in qvibusdam non abſurde; mihi MS. videndum tranſmiſit, antequam ederetur. *Soterion* Regi dicavit *Gundæus Roſecrantzius*, in qvo triplicem navalem victoriam multis exaggerat: procul dubio tibi miſerunt Typographi noſtri, aut brevi mittent. Vale. 14. Sept. 1644.

CCLXVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Qvæ nuper è Norrigia ad me tranſmiſſa fuiſſe *ἀξιόθεατα* ſignificavi, tuoqve inferenda Larario tibi; qvum una fuerimus, conceſſi, ex ædibus *Sivvardi Friſii*, Civis Hafnienſis, & Scribæ Qvæſtorii, petas velim; iſthic etenim omnia & ſingula probè aſſervantur, in ciſtula compacta: qvorum etiam Catalogum nunc mitto, ut tanti tibi theſauri magnitudo conſtet. Male autem me habet, qvod *arcus* ille *lapideus Divi Olai* contractus ſit: qvem tamen glutino, vel alia ligatura, facile reparabis. Sanè præcipuum hoc eſt *κειμήλιον*, & dignum tuis Larulis. *Nodoſus* qvoqve *Baculus*, cujus in bello qvondam

uſum aliqvem fuiſſe indicat Catalogus, riſum, ſcio, mov
Ungvento ejusmodi utuntur Ruſſi ad mitigandas uxore
qvando amoris conjugalis indicium præbere coguntur,
Barone ab Herbenſtein. Si domi præſto non ſit *Friſius*,
abſentis vicem ſuſtinebit *Ottho Matthiæ*, qvondam Præf
Soranus, cui in mandatis dedi, ut ad tuas ædes oblongam i
ciſtulam deferendam curaret. Cæteroqvin de *Joh. Rhodii* l
Commentariis ſollicitus ero; juxta ac diplomate illo,
morem *frangendorum Sigillorum* concernit, qvem *Rhodius* t
in Tractatu *Liceti de Annulis.* Bene ac feliciter Vale,
corum optime, & me ama. Soræ, a. d. XXIV. Septem
Anno Meſſiæ cIↄ Iↄcx LIV.

CCLXVII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

QVæ Muſeo meo deſtinaſti, pleraqve recte accepi. *Arbuſ*
illa *marina coralloides* in partes minimas diffracta
ut hoc nomine vix conſolidari valeat. *Arcus D. Olai*, ut vol
nihil minus qvam arcus fuit; ſed lapis eſt, ac fuit ſemp
hanc formam a natura elaboratus. *Teſtarum* duarum,
ſunt *Echini marini*, altera contuſa plane fuit, altera elegan
& qvamvis varias ejus generis teneam, majores hiſce, col
purpurei, tua tamen, margaritis qvaſi diſtincta, omnes
chritudine ſuperat. *Cryſtallini humores piſcis* iſtius (n
Fiſkes Øjeſteen) nullibi comparuerunt. *Nodoſus baculus*
eſt Hypocraticus. Verum pro omnibus & ſingulis gratias
maximas; ubi qvid de iis conſignavero, non ſine honor
tui fiet id mentione. Cæterum ut adhuc ſymbolam tuo *Sa*
conferam, locum ſuppeditabo ex meo *Spelmanno*, ex qvo d
bis titulum *Grammatici* viris doctis olim fuiſſe haud infreq
tem. Meminit is in *Conciliis & Decretis Britannicis pag.*
de capitulis incertæ editionis, cujusdam *Ælfrici Gramma*
qvi *Prologum ad Saxon. Grammat.* ſcripſerit. *Hexaëm*
tuum probe redditum ſpero. Hafn. 31. Sept.

CCLXVI

CCLXVIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

SCripſiſſe *Alfricum Grammaticam Saxonicam*, cujus lingvæ ut erat ſua ætate peritiſſimus, ita varia in eadem Opuſcula mpoſuit, unanimi conſenſu teſtantur *Lelandus, Balæus, Pitſeus*, qvotqvot vitas Scriptorum Anglicorum in literas retulerunt. jus & ego ipſe in *Prolegomenis* mentionem injeci, ex *Jo. Balæi enturiis*, ubi eum Archiepiſcopum Cantuarienſem facit, & oruiſſe ſcribit circa A. C. MVI.

Epiſtolæ, qvæ ritum illum *frangendorum Sigillorum* confirmat, en tibi & Autographum & Apographum mitto. Illud men Sacrario noſtro erit reſtituendum; hoc penes te aſſervare oteris. Certe monumentum eſt rariſſimum, & digniſſimum ſtu ob Antiqvitates iſtorum temporum, & moris antiqvi, x hodie uſitati, memoriam. Si placet exemplum hujus Epiſolii Clar. Domino *Joh. Rhodio* transmittere, fortaſſe non foret eò ingratum. Vale Affinis dilectiſſime. Soræ, *raptim*. VI. Novembr. Anno Meſſiæ cIↃ IↃcXLIV.

CCLXIX.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

oram.

PRo transmiſſo de *Annuli fractione* documento gratias ago. Autographum remitto, ut inter cætera veſtri Archivi raiora diligentius cuſtodiatur. *Saxonem* tuum videndi magno agrat deſiderio Illuſtriſſimus Regis Galliæ apud nos Legatus, ir eruditus & doctorum Fautor ſummus, qvo nomine etiam à *hodio* noſtro in *Acia* commendatum eum videbis. Siqvidem ntiqvitatum noſtrarum & rerum naturalium ſtudiis ſe ſubinde creare ſolet, aliqvoties me inviſit, unde tui *Saxonis* injecta eſt entio; & qvia ſpem ipſi feci, intra paucos dies prodituram;

 rogo

rogo me doceas, qvando certo exſpectandus ſit, ut Viro Excellentiſſimo gratificari valeam amplius. Jam apud nos excuditur *Winſtrupii* de *Cornu Aureo* meditatio poëtica, adeo ut adhuc dignum hoc argumentum judicent docti, cui bonas horas tribuant. Vale. Hafn. 18. Nov. 1644.

CCLXX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

MAle me habet, qvod Illuſtriſſimi *Domini de Thuillerie*, Regis Galliarum apud nos Legati, juxta ac aliorum, non in patria ſolum noſtra, ſed & in exteris regionibus ſummorum Virorum, qvi novam *Saxonis* mei Editionem anxiè exſpectant, votum ac deſiderium, tam maturè, ac ipſi diſcupiant, explere neqveam. Cujus moræ culpa neqvaqvam in me reſidet, ſed in deteſtanda Typographi noſtri negligentia & ſocordia, cui potius volupe eſt ſtivam & raſtra tractare, qvam prælum & literas. Ego indies moneo, urgeo, inſto, & ut operas ſaltem conducat hortor, qvorum auxilio labor iſte tandem ad exoptatum perduci finem poſſit: verum fruſtra omnino ſum. Ita occalluit & obſurduit hic Therſites ad omnia monita & incitamenta. *Notæ* qvidem meæ ultimam receperunt manum; ac proinde nihil operis reliqvum eſt, præter pauca *Prolegomena* & *Indicem* rerum in *Notis* memorabilium: qvæ omnia intra menſtruum temporis ſpatium facillimum eſſet abſolvere, modo Endymion ille noſter è gravi veterno, cui indormire cœpit, excitari ſe pateretur. Nunc vereor, ne unus menſis in binos excreſcat, & pauci dies, intra qvos prodituram *Saxonem* ſperas, in annos Lunares ſeſe extendant. Qva de re velim, ubi occaſio emerſerit, Illuſtriſſimum Dn. Oratorem Gallicum, meo nomine, ea, qva par eſt, obſervantia certiorem facias, & ſimul certo pollicearis, me ipſum Exemplar *Saxonis*, ut primum lucem viderit, Excellentiæ ipſius repræſentaturum. Hæc paucula reſponſi loco literis tuis, qvibus deſiderium Illuſtriſſimi *Domini de Thuillerie* ſignificare dignatus es, reponere placuit. Tuum erit redhoſtimenti vice communicare, ſi qvid Antiqvitatum ex Islandi allatum ſit. Bene ac feliciter Vale, Vir Excellentiſſime,

me, & me, ut ſoles, ama. Soræ, a. d. XXIX. Novembris, Anno Meſſiæ cIɔ Iɔcxliv.

CCLXXI.

STEPH. JOH. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

EN tandem tres illas, qvibus in *Saxone* noſtro poſtremo uſus eſt Figuris Typographus noſter. Certe haud parum tibi de tanta facilitate tua & boni publici juvandi ſtudio debebunt omnes Philo-Saxoniani. Qvod me attinet, redhoſtimenti loco, promiſſa Novæ Editionis exemplaria, BONA FIDE rependam. Progreditur etiamnum in *Prolegomenis* meis excudendis Lentulus noſter Soranus plane teſtudineo, ut ſic dicam, gradu. Spero tamen me Illuſtriſſimo Dn. Legato Gallico, AUREAM nobis PACEM è Svecia reducenti, exemplar Saxonis repræſentaturum, qvi flagrante annuo iſto bello & ipſe ſub prælo luctatus eſt. Cæterum priusqvam finiam, velim meam in gratiam diligenter inqviras de loco in Operibus *Ludovici Vivis*, qvo ſe neſcire dicit, num *Hiſtoriam Danicam Saxonis* pervolvat, fabulamnè legat, an Hiſtoriam. Extitere antehac mea in Bibliotheca *Vivis* Lucubrationes; verum Generoſus Dominus *Sefeldius* caro ſatis pretio, ſicut & alia multa, qvibus nunc vehementer indigeo, bonorum Autorum ſcripta, me non adeo pure volente, ſui juris fecit. Sed mens mihi læva fuit! Velim itidem *Goto-Danica Joh. Goropii*, qvæ neqve ad manum ſunt, evolvas, & loca, in qvibus *Saxonem* noſtrum impudenter, ut fabuloſum ſcriptorem, carpit ac ſugillat, ſedulo excerpas, & in Schedula, juxta librorum & paginarum ſeriem, annotata, prima qvaqve occaſione ad me tranſmittas. Utraqve hæc opera longe mihi erit gratiſſima, qvum ſine ea *Prolegomena* mea ultimam recipere manum neqveant. Ex Islandia noſtra, vel Italia, ſi qvid momenti alicujus nuper allatum, communices qvæſo, aut ſaltem verbulo ſignifices. Ad ultimum, qvid de PACE ſperare habeamus, & qvando ad pacem tractandam (qvod Deus fortunet!) noſtri exteriqve Legati tandem profecturi ſint, & qvo in loco conventuri, edoceas me peramanter rogo. Hæret illic apud vos Collega noſter *M. Albertus Mejerus*, qvi amœbeas tuas recte ad me curabit.

bit. Vale, Amice conjunctiſſime & imminentes Ferias Natalitias ſoli docum gaudio, ut nunc fluunt tempora, perage. Soræ, ad diem XXII. Decembris cIↄ IↄcxLIV.

CCLXXII.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

Grande nimis humeris meis onus imponis, dum hoc tempore, qvo tantopere ægrorum urgeor viſitationibus, ut vix reſpirandi detur opportunitas, jubes opera *Ludoviki Vivis* & *Gotho-Danica Goropii* ut evolvam, ex qvibus etiam, qvi legendo eſt aſſiduus, vix aliqvot menſium ſpatio ſe expediverit. Promittere certe hoc neqveo; ſi qvid tamen, qvod huc ſpectet, per otium præſtare valeam, operam dabo ut agnoſcas, te haud fruſtra id a me petiiſſe. Nihil plane ex Islandia hoc anno accepi, præter nudas literas ab *Arngrimo*. Mercator, qvi Epiſcopum Holenſem viſitare ſolebat, nondum rediit; periiſſe cum nave ſuſpicantur pleriqve. Qvæ ad me miſerunt ex Italia, in ſarcinis latent *Bartholinorum*, qvos adhuc tenet Amſterodamum. De pace ſpem bonam tenet Legatus noſter Gallicus. Conventui locus deſtinatus prope Chriſtianopolim ad Bremſebroe. Dies toties mutatus, ut non poſſit non ſuſpicionem ſiniſtram multorum animis ingerere. Jam Calendas clamitant Februarias; qvid futurum, eventus docebit. Febris maligna & contagioſa ſtrenuè hic graſſatur, ac multos è medio tollit. Deus noſtri miſereatur, & faciat, ut novus annus nobis auſpiciis melioribus inchoetur, qvam elapſus exit; qvo in pace officiis noſtris ſinguli vacare valeamus Haſn. 26 Decembr. 1644.

Qvæ notaſti ad lib. 8, de Lapide miraculoſo, ex *Thuano*, ibidem non exſtant: pervolvi citatum librum editionis Francofurtenſis in 8. non inveni. Imo totum negotium fabuloſum eſſe, te docebit *Fernelius* de *Abd. rer. cauſſ. lib. 2. cap.* 17.

CCLXXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

HAbes hic, qvæ ex *Ludov. Vive* & *Goropio* hiſce horis veſpertinis excerpſi. Fuſior eſt hic, qvam ut omnia commode deſcribi poſſint, qvæ in *Saxone* reprehendit. Alia in *Vive* reperire haud potui, qvam qvæ hic habes. Virum te hic præbeas, ut a tam acribus cavillationibus maſculè tuum vindices. Credo te legiſſe, qvæ *Crantzius Norveg. lib.* 6. circa finem de *Saxone* refert, ad ejus laudes haud parum ſpectantia. *Arngrimi* judicium exſtat in *Supplem. Hiſt. Norvag. MS.* & *Joh. Lyſcandri Antiqq. Dan. Sermon.* 8. Aliorum procul dubio diligentius ipſe inveſtigaſti & accuratius expendiſti. Vale.

CCLXXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DE nuper tranſmiſſis *Goropii* juxta ac *Vivis* Cenſuris, gratias ago maximas. Ego viciſſim tuam in gratiam nullam non moleſtiam ſubire paratus ero. Qvod attinet hiſtoriam ſtupendi lapidis, qvam *Notis* meis inſerui, exſtat *Lib. VI. Hiſtor. Jacobi Aug. Thuani*, *pag.* 117, *ad Ann. Chr.* 1550. in Editione Francofurtenſi, *in Folio*, ut vocant, qvam nobis dedit *Petrus Kopffius*, Anno 1617. qvamqve *Germanicam* vulgo appellant. Noli æſtimare, me fucum facere velle Lectori, aut ea in medium producere, qvæ nullius autoritate nitantur. Cujus generis lapis aut gemma fuerit, naturalis an artificialis, Phyſiologis dijudicandum, cum *Thuano*, relinqvo. Mihi duntaxat inſervit narratio iſta ad illuſtrandum *Saxonis* locum de admirando fulgore & ſplendore gemmarum; inprimis illius, qvam *Torkillus* malo navigii affixit, navigationis certius dirigendæ cauſa. *Saxo* noſter propediem ultimam recipiet manum. Adeo ſtrenue jam inſtant operi operæ. Utinam prodeat felici ſidere; Vale Affinis plurimum honorande. Soræ, d. XXIX. Januarii, Anno Meſſiæ CIↃ IↃCXLV.

CCLXXV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

PRæfationem meam ad Sereniſſimum Regem noſtrum, novæ *Saxonis* Editioni præfigendam, ad te mitto, amicorum præcipuum; eum in finem, ut, anteqvam prælo ſubjiciatur, diligenter perlegas, & ſi qvid mutandum cenſeas, ingenue, ſed maturè, admoneas. Sin autem primo intuitu placuerit, velim *Moltchenio* de manu in manum tradas, & ſerio perſvadeas, ut majuſculis & elegantibus typis curet imprimendam; vel qvales repræſentat *Præfatio D. Winſtrupii* in *Cornu* ſuum nuper editum, vel *Refutatio Manifeſti Svetici*, qvæ Hafniæ itidem, anno ſuperiori, prodiit. Inprimis abs te peto, ut Correctoris in te ſuſcipias partes, ſaltim in emendandis, qvæ in brevi hac præfatiuncula occurrere poſſint, mendis; nè in ipſo limine impingamus. Atqve ita tandem, per Dei gratiam, omnimodis abſolvi, qvæ facere videbantur ad ſplendidiorem *Saxonis* Editionem: qvæ utinam felicibus auſpiciis lucem aſpiciat! Vale Vir excellentiſſime, Deo æternum commendatus! Soræ, *τάχιστα*, a. d. 27 Febr. 1645.

CCLXXVI.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVod heic tranſmitto Exemplar nuper à me editi & illuſtrati *Saxonis*, peramanter rogo, ut Illuſtri Viro, *Domino Thuillerie*, Legato Gallico, eâ qva par eſt reverentia, meo nomine, offerendum cures; atqve id prima qvaqve occaſione, præſertim ne intempeſtiva alterius exemplaris repræſentatione nos antevertat *Moltchenius*. Qvod ſi ita etiam conſultum videtur, poteris id penes te reſervare usqve ad adventum illuſtris Herois, qvem indies magno deſiderio exſpectamus. Prolegomena & Notas pariter meas qvin diligentius evolveris, nullus dubito. Qvare per amicitiam te noſtram oro atqve obſecro, ut ſi qvid animadver-

ver-

rſione dignum obſervaſti, id mecum candidus impertias. Si
id etiam de *PACE* reſtituta conſtiterit, ne me celes qvæſo.
le optime amicorum, & me ama. Soræ, d. 18 Julii 1645.

CCLXXVII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

um.

R Eſponſionem ad ultimas tuas hactenus diſtuli, tum qvod Il-
luſtriſſimi Dn. Legati ad nos reditum indies exſpectaveram,
Librum offerre ipſe decrevi; tum, qvod de pace ſcriberem,
ti non haberem. Jam vero non dubito, qvin dudum perce-
is, qvo in cardine res noſtræ ſint. Qvamvis nihil hoſtile
tet claſſis Svetica, hæret tamen eodem in loco, in qvo hacte-
fuit, non ſecus ac Belgica. Legatos noſtros indies exſpecta-
s; nondum tamen omnia, qvæ ad pacem ſpectant, confecta
entur, ſiqvidem hoſtes non diſcedant, & publicæ gratiarum
ones in templis differantur. In *Prolegomenis* tuis nihil ob-
ravi alicujus momenti, qvod monitione indigeat; ſed hiſce
bus in perpulchrum incidi Manuſcriptum, varia res Danicas
ſtantia tractans, cujus auctor tuo ſe *Saxoni* adverſarium præ-
e videtur; hæc enim inter reliqva mox in principio obſer-
i: *Saxo opus ſuum diffuſum in pluribus locis, multa quæ di-
tur, magis propter ornatum quam propter veritatem hiſto-
perſeqvendum inſtituit, & ſtylus ſuus nimium obſcurus &
pter plurima vocabula & poëmata diverſa, moderno tempore
nſveta; ideo hoc opuſculum, excerptum de illo, ponit pla-
verbis notabiliora geſta, ibi deſcripta, cum additione ali-
rum, quæ poſt dictum opus editum acciderunt.* Qvis Auctor,
oro, nec mihi liber niſi per exiguum temporis conceſſus fuit
ium. Inter reliqva offendi, in eodem Codice, *Witherlag*
ico idiomate exarata & alia digna obſervatu. Qvi librum
ndit, nec ſuum eſſe, nec, cujus eſſet, ſub juramenti religione
gere audere affirmavit. Neſcio, an unqvam à te viſus.
e. *Johannem Meurſium* meo nomine ſalutes, qvæſo; ubi
erit Dominus Legatus, reſponſum à me exſpectabit. Haſn.
ug. 1645.

benevolentiâ conjunctiſſime. Qvod nunc - nuper ſine literis ad te meis tranſmiſerim *Chronologiam Danicam Svaningii noſtri*, facilius ut mihi ignoſcas, (qvæ tua ſolet eſſe humanitas) per amicitiam te noſtram oro atqve obſecro. Poſteaqvam etenim ad diem XI Februarii, ſummo mane, redditæ mihi eſſent literæ tuæ, & *Dn. Laurentium Hammerum*, Concionatorem hoc loci Danicum, itineri ad vos ſuſcepto jam accinctum eſſe inaudiviſſem: ſtatim poſt peracta ſacra, calamum in manus ſumſi, ut aliqvid reſponſi loco reponerem. Sed vix lineam unam aut alteram exaraveram, qvum adeſt miniſter Generoſi Præſidis noſtri, & me ad prandium vocat. Qvid multis? Satius duxi ſolam *Chronologiam* & vacuam dimittere, qvam plane nullam. Ideoqve calamum, qvod me male habuit, abjicere coactus ſum; librumqve abſqve literis *Dn. Hammero*, qvi jam currum conſcenderat, tradidi, ſimul rogans, ut me tibi prolixè excuſaret. Id qvod an fecerit, neſcio: ego ſanè committere non potui, qvin hac rurſus oblatâ occaſione, per literas me denuò tibi purgarem, ne ſiniſtram aliqvam de meo erga te affectu ſuſpicionem conciperes. Nunc ad ſingula Epiſtolæ tuæ capita paucis reſpondebo. I. Gratiſſimum mihi fuit, qvod *Ulfeldio* Heroi placuerit Editio *Saxonis* noſtra: cui ut me meaqve ſtudia porrò de meliore nota commendes, vehementer abs te peto. Gratiſſimum itidem fuit, qvod de *Chronologia* omiſſâ reſpondiſti. Ità ſe res habet. Nolui actum agere, aut Editioni novæ, qvæ jam finem ſpectabat, operoſa iſta annorum recenſione moram injicere. Si verò ſecundam editionem adornavero, (qvod σὺν θεῷ conſtitui) facillimum erit ad oram libri annos adjungere, qvomodo *Pontanus*, & alii. II. Qvod ipſam attinet *Chronologiam Svaningii*, certè commendatione digna eſt, imo & Editione: qvam utinam *Ulfeldius*, *Thomæus*, & alii primates, ſibi curæ ac cordi eſſe paterentur! III. Ubi eam ex voto pervolverit *Ulfeldius*, velim tempeſtive reſtituas. Nam ante triduum, qvum Generoſo Domino Præſidi noſtro tale Opus à *Svaningio* elaboratum indicarem, & ille petiit, ut ejus videndi ſibi fieret copia. Qvod me propediem accuraturum promiſi. Rem itaqve gratiſſimam feceris, ſi vel huic internuncio, vel alteri bonæ fidei homini, Codicem charta probè involutum, ad me perferendum tradideris. IV. Cæterum, ut ſatisfacias qværentibus de meis lucubrationibus, totus nunc in eo ſum, ut ultimum illud imperii novennium,

um, qvod in terris exegit ſanctiſſimæ memoriæ Princeps riſtianus III. Rex Daniæ, expediam & abſolvam. Et ſi Deus hi vitam ac valetudinem ſuppeditaverit, præcipiti Autumno em videbit ſupplementum illud *Hiſtoriæ Meurſianæ*. Deinde, n propitio Deo, *Hiſtoriam Friderici II.* attingam; intereâ :ram daturus, ut varia Opuſcula Hiſtorica, qvæ in forulis is latitant, & magni ſunt ad patriæ res illuſtrandas momenti, as protrudam. V. *Eddam Sæmundi Sigfuſſonii* accepiſſe veriſſimum eſt. Sed valde injurius mihi fuit *Trebonius* ugs Islandus, qvod plus juſto ſerius transmiſerit, aut ulli ortalium utendum hoc immenſi pretii κειμήλιον conceſſerit. rtè liber eſt rariſſimus, & multa continet antiqva, vetuſta, ulta. Ego tecum lubens communicabo, ubi nos Deus conxerit. VI. *Eddam Snorronis* etiam reddam, qvum reddide- Scholæ Slagloſianæ Rector *Johannes Corvinus*, cui, priore io, eam utendam dedi. Hæc breviter ad tuum Epiſtolium: ne ad alia orationem convertam. E Sveciâ ad vos rediiſſe gatum Gallicum comperi: ſed ſi qvid in Reipubl. noſtræ comdum procuraverit, juxta cum ignariſſimis ſcimus. Enixè te contendo, ut in id ſerio ſeduloqve inqviras; inprimis n ſpes aliqva ſit Epiſcopatus Bremenſis, vel Hallandiæ, thlandiæ, Jemptlandiævè recuperandæ? Tu facillimo negoab ipſo Legato hæc omnia expiſcari poteris, qvum tantoperè i faveat. Perſcribe igitur diligenter, ſi me amas, qvicqvid loraveris. Nam rogatus id peto: & ad nullum alium emait, niſi ad illum, qvi rogavit, ſi qvid notatu dignum communicaveris. *Tabulam* iſtam *Chorographicam Scaniæ*, qvam n ſemel oſtendiſti, velim meis ſumptibus delineandam comtas ſculptori & graphiario veſtro; ſed eâdem curâ ac diligen- eâdemqve chartæ formâ, qvâ tuam depinxit, ut perficiat, o. In promptu erit pecunia, poſtqvam abſolverit. Non tamen neceſſe, meos in uſus id fieri, ut ſignifices. Nam tean, ſi id reſciverit, erit negligentior in hac opera præſtan- Audacius hoc poſtulo, qvia nihil ſoles mihi negare. Exemr *Revelationum S. Birgittæ* penes te eſſe inaudivi, Svecicâ Danicâ Lingvâ conſcriptum, ex qvo Rhythmos nonnullos futuro Daniæ ſtatu depromptos vidi. Tuum eſt ejus mihi iam facere, nè mendacii arguar, aut imponere videar talivanitatum curioſis. Vale, Vir honoratiſſime, & me amaæ, d. 27. Februarii, 1646.

Aurem

Aurem vellica, qvæſo, *Domino Bartholino*, ut mihi *Diſputationem* ſuam *Philologicam* nupere habitam imperiat, & literarum mecum commercium inſtituat, qvomodo præſens præſenti ſe facturum promiſit.

CCLXXXII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

REm patriæ ornandæ aptam & Reipublicæ literariæ utilem feciſti, *Chronologiam Svaningianam* huc mittendo; adeo enim placuit *Ulfeldio* noſtro, ut ſe editionis ejus procuratorem certiſſimum futurum ſpoponderit, de qvo non dubito, modo ſanitati brevi reſtitutus fuerit priſtinæ. Reddo jam maxima cum gratiarum actione ab utroqve noſtrum. Non eſt, qvod *Trebonio* iraſcaris, ob monſtratam *Sæmundi Eddam;* talis namqve eſt, ut nec tibi nec ulli noſtrum uſui ſit, niſi accuratus acceſſerit interpres, qvem vix in Dania habebis. Qvid Legatus Gallicus in cauſa Bremenſi præſtiterit, dudum in vulgaribus editis chartis divulgatum, cum Bremenſibus nempe Svecos tractare non potuiſſe, qvod deſtituti fuerint plenipotentia ad rem reqviſita. De Hallandia, Jemptlandia &c. noſtro nomine agere nunqvam Legato in mentem venit; ſed, qvæ ſparguntur, vulgi ſunt fabulæ. *Scaniæ Tabulam Chorographicam* per noſtrum *Marzanum* ante menſes aliqvot à me obtinuit *Janſonius* Amſterodamenſis; brevi igitur æri inciſam exſpectabis. Sunt mihi *Revelationes Birgittæ*, Latino ſermone editæ, ſed in iis tales, qvales hic circumferuntur, non extant Rhythmi. Opus vaſtum eſt & molis grandioris, qvam ut commode circumferri qveat; ſi tamen expetieris, oblata occaſione mittam, aut, cum veneris, præſenti oſtendam. *Bartholinum* officii monui; ubi turbis nuptialibus extricatus fuerit, procul dubio ſtabit promiſſis. Vale. Hafn. 13. Mart. 1646.

CCLXXXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

ram.

DE excudenda *Chronologia Svaningii* cum *Moltkenio* egi, qvi hanc tandem in ſe recepit curam; cupit vero, ut prima ommoditate mittas opus ita emendatum & completum, ut nihil ſit, qvod impreſſionem remoretur, idqve fieri vult qvam aturrimè, anteqvam prela aliis occupentur. De correctore curato proſpiciendum. Suam operam operi antehac condixit oſter *Svaningius*, puto, eum non defuturum. Mihi jam valde ligant oculi; alioqvin, qvantum in me eſſet, conferrem. 'ale, & jam opus urge, ne mora alienior reddatur Bibliopo. ı. m. April. 1646.

CCLXXXIV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

GRatiſſimo certè nuncio me beaſti, qvum de promptiſſimâ *Moltchenii* noſtri voluntate edendæ *Chronologiæ Svaniniana* certiorem me nuper redderes. Et niſi defuiſſet hactenus onæ fidei tabellarius, jamdudum transmiſiſſem. Hac vero oblatâ ccaſione, exſpectationem veſtram diutius fruſtrari nolui. Eat gitur ad vos bonis avibus diu deſideratum opus, & felicioribus uſpiciis per vos in lucem prodeat! Sed inprimis opus eſt, ut ectè judicas, induſtrio & indefeſſi laboris Correctore; ne denqvant operæ in ingenti illa numerorum ſerie; qvæ ſi accuratè non fuerit expreſſa, oleum & operam omnem perdidimus. Tuum itaqve erit de tali homine diligenter proſpicere & ſubinde ſignificare, qvomodo labor ſuccedat, miſſa una aut alterâ philyra, ex qvâ de toto Opere judicare qveam. Nec puto deſiderari qvicqvam ad totius *Chronologiæ* conſummationem, ſed ultimam plane manum ab ipſo auctore impoſitam eſſe, præter indicem, qvem facilè omitti poſſe non ſemel indicavit. Non eſt igitur, qvod *Molchenium* perturbet Titulus Indicis ad calcem

cem libri adjectus; qvem, ſi ita placet, per te, aut alium, facilè ſupplendum curabit. De iis, qvæ etiamnum rara & ἀξιόθεατα reſervat *D. Laurenbergius* noſter, cum ipſo, tuo nomine egi; qvi ſe Deſignationem omnium, tecum, primâ qvâqve occaſione, libenter communicaturum promiſit, ut inde tibi eligas, qvæ Muſeo tuo inſervire videntur. Ego in lectulo, ſub auroram, hos verſus in Pinacothecam effudi tuam:

Qvicqvid habet miri & rari mare, tellus, & Æther;
In pulchra hac WORMI conditur omne domo.

Si lucem vidit *tabula chorographica Scaniæ*, fac, qvæſo, exemplar impertias. Vale, ſumme Virorum, & me ama. Soræ, d. IX. Maji cIↄ IↄcxLVI.

CCLXXXV.

OLAUS WORMIUS,

Stephano Stephanio.

Soram.

PRobe curavit internuncius noſter concreditum opus, qvod ego mox *Moltkenio* obtuli, ut ſine mora operam typographi occuparet. Deſiderantur res geſtæ qvatuor annorum ab anno 1642. ad hunc incluſive, de qvibus, dum cuduntur priora, ſollicitari per literas à te poteſt auctor. Indicem conficere non ſinunt occupationes. De Correctore valde ſumus ſolliciti. Brevi ſpecimen videbis. *Tabulæ Chorographicæ Scaniæ* unicum ſaltem attulit exemplum *Janſonius*, idqve imperfectum adhuc, ut cenſuræ hujus artis peritorum ſubjiceretur, anteqvam ſuprema manus ei imponeretur. Pro elegante Epigrammate gratias habeo maximas; vellem, ut ei res ipſa reſponderet, ſed affectum agnoſco. Vale. 12. Maji, 1646.

CCLXXXVI.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DE *Chronologia Danica Svaningii* noſtri vehementer ſolicitus ſum. Nondum etenim ad nos rediit Tabellarius, qvi cum

cum ante octiduum transmiſeram. Per amicitiam itaqe te noſtram oro atqve obſecro, ut primâ qvâqve occaſione, num illam acceperis, diligenter me edoceas. Nullus dubito, qvin ſummæ tibi curæ eſſe patiaris tam inſigne Opus, & toti poſteritati valde profuturum. Inprimis operam dabis, ut numeri Annorum accuratè exprimantur. Si ità tibi placuerit, nullaqve tibi oblata prius fuerit ad me ſcribendi occaſio, jam Hafniæ hæret ac commoratur Theologus noſter *Dominus Witzlebius*, qvi, ni fallor in ædibus *Moltchenii*, aut *D. Lindemanni* divertit. Illi dabis, ſi qvid rectè curatum velis. Interim Vale, optime Amicorum, & Salve. Soræ, τάχιστα, d. 16. Maji Anni 1646.

CCLXXXVII

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

UT intelligas curæ mihi fuiſſe negotium iſtud, de qvo nuper inter nos egimus, de honorario videlicet, Correctori exhibendo, ſi modò diligentem præſtaret nobis operam: ecce tibi Excerpta qvædam ex ultimis *M. Svaningii* ad me literis, qvæ velim & ipſi *Moltchenio*, & Correctori, legenda communices. Fac, qvæſo, moneas & ſeriò adhorteris *Moltchenium*, ut Opus illud qvam emendatiſſimum lucem videat. Experietur certè Auctorem ipſum gratiſſimum & liberaliſſimum remuneratorem. *Præfationem Svaningii* è Codice exemptam, per hunc internuncium, ſi commodum videbitur, transmittas: ut eò facilius mutet Auctor, & aliis inſcribat, qvibus ab exceſſu Illuſtris Domini Cancellarii deſtinavit. Mittas una folia aliqvot excuſæ *Chronologiæ*, ut de cura & diligentia *Moltchenii* juxta ac Correctoris, mihi aliqvid comperti conſtet. *Genealogiam Regum Daniæ*, qvam propediem publico dabit *D. Enſlinus* noſter, à me brevi habebis. Benè feliciterqve Vale & Salve, ſumme Virorum. Soræ, τάχιστα, Poſtrid. Calendar. Julii, 1646.

CCLXXXVIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

MItto, Affinis Clariſſime, qvaterniones à typographo n ſtro abſolutas, ut & Dedicationem Libri, ut neceſſar in ea mutare poſſit auctor. *Moltkenius*, qvæ promiſit, ſe ſanè ſervaturum ait. De idoneo adhuc laboramus correctore. Germ nus ille incertis ſedibus hic vagatur, unde operam ſuam nob hactenus locare haud potuit. Si deinceps illum aut alium co ducere poterimus, qvomodo inter nos fuerit tranſactum, ind cabo. Qvicqvid hactenus præſtitum, id mea factum oper qvam porro libenter impenderem, ni oculi nimium caligaren *Moltkenius*, ſe nihil non acturum, ait, ut, qvam fieri poſſ emendatiſſime, cuncta excudantur. Dubium inter corrige dum, mihi *pag.* 15. oblatum, ubi & *Svibdagero* & *Gutormo* nu merus ſeptenarius attribuatur, ſed reliqvi, ut erat in autographo exiſtimo, auctorem hujus rei cauſas habere ſufficientes. Val & à me Clariſſimum *Svaningium* diligenter ſaluta. Hafn. 7. Ju 1646.

CCLXXXIX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum nullus dubitem, qvin hiatum illum in *Eddâ* tu ſuppleverit, cui hanc operam injuncturum te nuper ſigni ficaſti, peramanter rogo, ut meum Codicem, per hunc inte nuncium, reſtituas: & ſimul me edoceas, ſi qvid complecti tur volumen iſtud, præter communes Fabulas, qvæ in omnibu *Eddæ* exemplaribus continentur; num alia ſerie recenſeat ſomni iſta, an verò eadem omnium eſt materia & argumentum. In primis ex animo lætarer, ſi *Scalda* adjuncta eſſet, qvæ in ali Codice meo extat. *Conjectanea* illa *MSS. M. Svaningii* noſtr eum in finem denuo tecum communicavi, ut diligenter perpe dere

eres, num digna videantur, qvæ lucem aſpiciant. Injurius tenim nonnihil eſt *Saxoni* noſtro; nec refert, Anglica an Suecica nominetur Dynaſtia illa. Aperias mihi, qvæſo, ſententiam hac de re tuam; & niſi grave ſit reſcribas. Salve & Vale Amicorum Optime. Soræ, a. d. 23. Septembr. 1646.

CCXC.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

REddo cum ſumma gratiarum actione *Eddam* tuam; continet & *Eddam* & *Scaldam* & omnia, qvæ eo ſpectant. Unicâ *Fabulâ* de *Sivardo* qvodam auctior eſt mea. Cætera pari paſſu ambulant, niſi qvod meæ addita ſit *Grammatica* & multæ *Cantilenæ*, qvæ in tua deſiderantur. Conjectanea *Svaningii* dudum Moltkenio tradidi, ſic enim juſſit, qvi mihi à te tulit; digna certe luce. Modeſte à *Saxone* diſſentit, nec video, qvibus rationibus refutari poſſit. Puncturas vermium & aſpidum reſtituam auctori, ubi otium fuerit; jam enim in ſumma hæc ſcribo feſtinatione, ad Sereniſſimum Principem avocatus, qvem periculoſe decumbere ajunt. Vale. Hafn. 26. Sept. 1646.

CCXCI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. *Olao Wormio.*

QVam nuper tecum communicavi *Svaningii* noſtri *Tabellam Genealogicam Regum Daniæ ex Familia Oldenburgicâ*, demisſo per Socrum meam indicandam curavit ſe inſcriptam cupere Illuſtriſſimo Principi *Friderico* Epiſcopo Bremenſi: & propterea ejus editionem non adeò maturandam, priusqvam Præfatiuncula aliqvâ eam ornaſſet. Qvare ſi nondum Typographo ſit tradita, velim penes te aſſerves, donec me literis ſuis, qvid facto opus ſit, porro edocuerit. Scire etiam diſcupit, num feliciter in *Chronologia* excudenda progrediantur operæ, & præcipue *Prolegomenis* num ultima impoſita ſit manus? Nonnulla

etenim non exigui momenti Monita & Obſervationes ſe prioribus additurum ſignificavit. Tuum etiam erit cum *Moltchenio* agere, ut omnes, qvas hactenus excudit philyras, vel ad *Svaningium* transmittat; ut ſi qvæ correctione indigeant, ea ipſe Autor maturè emendet. Vale Excellentiſſime Vir, & ignoſce qvod alieno nomine tibi moleſtiam faceſſam. Soræ, τάχιστα, d. X. Octobris, Anno Chriſti cIↄ Iↄc XLVI.

CCXCII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

QVam nuper communicaſti *Tabellam Svaningii*, excudere renuit *Moltkenius*; remitto itaqve, ut de ea ſtatuat auctor qvod velit. Nihil, à qvo a nobis diſceſſiſti, in *Chronologia* elaboratum: prætendit, alia eſſe, qvæ jam agat, majoris lucri; & deſiderare ſe numerorum notas, & neſcio, qvæ non. Non meum, ſed tuum aut Auctoris, eſt cum ipſo agere, ut, qvas excudit philyras, transmittat. Sat enim mihi in meis eſt, qvod agam. Vale, Hafn. 16. Octobr. 1646.

CCXCIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

DUm nuper apud Sereniſſimum Principem Nycopiæ degerem, inter alia ſermo incidit de Hiſtoria *Friderici III* Avi ſui, ac retulit, ſe accepiſſe in ea extare narrationem de Sirene qvadam juxta Samum in mari habitante, qvæ ruſticum ad Regem ablegavit, ſecreta qvædam ut exponeret; cujus circumſtantias cum ignoraverimus uterqve, petiit, ab Hiſtorico Regio ſcripto conſignatas ſibi ut procurarem. Qvocirca rogo, ut, qvam fieri poteſt maturrime, ad me mittas; Sereniſſimo Principi rem gratam qvin ſis præſtiturus, non eſt, qvod dubites. Alterum adhuc eſt, qvod Te velim. Nuper literas à

Theolo-

Theologo qvodam Lovanienſi Hybernicæ nationis accepi, qvi in procinctu eſt, *Antiqvitates Hybernicas* ſcripto ut comprehendat; qvia vero arbitratur, varia apud nos extare, qvæ eo tendant, rogat, eorum per me particeps ut fiat. Rem totam ex ejus literis, qvas mitto, hauries, qvas ubi legiſti, per communem amicum, rogo, ut remittas, ac ſimul, ſiqvid obſervaveris, qvod huc ſpectare poſſit, communices; non ſine nominis tui honorifica mentione id fiet. Vale.

CCXCIV.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Literas tuas Hafniæ exaratas Pridie Calend. Febr. tandem mihi in ipſo templo Slagloſienſi, dum exeqvias *M. Canuti*, Paſtoris Antvorſchovienſis, proſeqvimur, a. d. 3 Martii de manu in manum tradidit Affinis meus *D. Plumius*. Qvibus ut inter graviſſimas occupationes aliqvid reſponſi loco reponam; de Sirene illa, qvæ circa littora Sami Inſulæ olim Ruſtico cuidam ſe conſpiciendam exhibuit, luculenta extat Hiſtoria omnibusqve illuſtrata circumſtantiis, a *Claud. Lyſchandro* deſcripta, qvam invenies in MS. Codice Bibliothecæ veſtræ, inſignito B*, qvi complectitur *Hiſtoriam nati & renati Chriſtiani IV. Daniæ Regis*. Dictione certè eleganti totam narrationem iſtam expreſſit: unde excerpere eam licebit, & cum Sereniſſimo Principe noſtro communicare. Vel, ſi placet, transmittatur ad me Codex ille; & ego operam in eruenda fabulà an verâ Hiſtoriâ, præſtabo. Cæteroqvin penes me nihil plane eſt, qvo illuſtriſſimi Principis voto in præſens obſecundare qveam. Liber eſt in Folio, & Latine conſcriptus, & forte in Ciſtula oblonga, qvæ in medio pavimenti Bibliothecæ veſtræ ſita eſt, reperitur, niſi ſi Bibliothecarius in Capſa Monumentorum Hiſtoricorum repoſuerit. De *Antiqvitatibus Hibernicis* nec ullum apud me ſubſidium promittere licet: præterqvam qvod ex *Saxone* forte excerpendum haberem de rebus Regum noſtrorum in Hiberniâ geſtis. Inſignem etiam locaret hac in parte operam, qvi ex ſcriptoribus Anglicis, qvæ ad ejusmodi Antiqvitates pertinent, depromere. Hiberniam gentisqve mores & originem fuſius enar-

rat *Staniſhurſtus*, qvi meis in forulis extat. Quare literas *Fr. Ægani* heic tibi reſtituo, & qvod communicare volueris, gratias ago verbis ampliſſimis. Vale, Clariſſ. Vir, & me ama. Soræ *νύχθημα*, d. 5 Martii 1647.

CCXCV.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

QVum non ſis neſcius, qvam vehementer delectari ſoleam variorum florum, præcipue rariorum, amœnitate, ſupplicat tibi hortulus meus, ut ſemina nonnulla illi exornando, per hunc internuncium ſuppedites, vel etiam bulbos & radices. *Chriſtianus Foſſius* edocuit me nomina plantarum, qvarum tibi copia non exigua ſuppetit: ut *Doronici Americani*; *Sangvinis Draconis*, *Biſtortæ*, *Vincetoxici flore albo*, & inprimis *Aſphodeli flore albo*. Harum ſi miſeris ſemina, vel radices, rem feceris gratiſſimam. *Levcojon bulboſum* qvæſo meam in gratiam diligenter inqviras & transmittas. Eſt enim apud nos, qvi de hujus plantæ poſſeſſione jactantius plus juſto triumphat. Exhibeo heic una literas *M. Svaningii* noſtri, qvas nudius tertius attulit tabellarius Samſingius Vale optime Amicorum & me, ut ſoles, ama. Soræ d. 25 Martii 1647.

CCXCVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

EN tibi nunc repræſento, qvam nuper promiſi Ciſtulam, Beatiſſimi Parentis mei manu affabre factam, refertamqve variis viſu digniſſimis; qvorum Catalogum aperta exhibebit Ciſtula. Adjuncta ſunt & alia, qvæ poſt obſignatum Scriniolum inter ἀξιοθέατα mea reperire contigit. Tuum erit minutias iſtas æqvi boniqve conſulere, & Pinacothecæ tuæ inſerere, ceu perpetuum, licet exiguum, amicitiæ noſtræ monumentum. Si plura id genus poſthac ſeſe mihi obtulerint, nullus dubitabis,

qvin

qvin ea tecum ſim communicaturus. Reſtituo hic etiam Horti tui delineationem, cujus mihi copiam facere dignatus es. Ubi nos Deus conjunxerit, certiorem te faciam de plantarum, qvæ maximè placent, ſeminibus, juxta ac de arborum ſurculis, ut *Laburni*, *Lillach*, &c. Sed in anteceſſum peramanter rogo, ut Plantaginem roſeam ciſtulæ incluſam, per *M. Jacobum Bartholinum*, ut primum reditum ad nos adornaverit, tranſmittas. Intereà Vale & Salve plurimum, Vir Excellentiſſime, & de accuratâ apud Qvæſtores Regios pecuniâ vehementer lætare. Soræ, τάχιστα, d. 16 Junii 1647.

CCXCVII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

Ciſtulam cum incluſis tradidit *M. Bartholinus*: gratias ago maximas, nec ſine nominis tui honorifica mentione *Hiſtoriæ Muſei* mei D. V. inſerentur. Sunt qvidem ex iis aliqva, de qvibus dubitari poſſet; ſed ſuis ego ſingula reſtituam claſſibus. *Lapis panem referens*, nunqvam panis fuit. *Chelidonios* nunqvam ex hirundine eruit Virgo illa; ejus enim generis mihi antea fuere complures ex inſula Melita allati, ubi reperiuntur in copia, ac à vulgo *oculi ſerpentum petrefacti* putantur. Monumentum illud, ex qvo petita particula ſarcophagi, non Nemauſi, ſed Pictavii oſtenditur, unde ipſe meis manibus qvidpiam excuſſi. Pyrites eſt maſſa altera, qvam pro *auri minera* venditas, ex qvo non aurum ſed cuprum elicitur. *Lapis oculum bovis referens*, marmor eſt ſui generis, qvo & ludere apud nos ſolent pueri. Interim grata & viſu digna omnia. Dabo viciſſim operam ut hoc Muſeum meum locupletandi ſtudium in ingratum haud collatum fuiſſe agnoſcas. *Plantaginem roſeam* mitto, diligenti cura irriganda eſt & terræ mandanda, ut perennet ac ſemina ferat. Ubi qvid ex horto meo deſideraveris, in promptu erit. Hafn. 28 Junii 1647.

CCXCVIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

QVod nuper mecum communicaſti *Epitaphium Straffor* *Comitis*, en tibi cum debita gratiarum actione reſtitu Vehementer ſanè, ob acumen & elegantiam, placuit, ſimul memoriam tanti Herois, tam benè de Republ. patria meriti, ſ peſſimè mulctati. Hæc ſolent eſſe præmia Virtutis apud bellu multorum capitum, & iniqvos laborum honeſtorum cenſor Deus clementer à noſtris cervicibus tantam avertat peſtem, Remp. noſtram pace & qviete diuturna florentem præſtet! Si tempus carere poteris MS. illo autographo *Er: Læti*, vel ali accurare exemplar, fac qvæſo & hac in parte ſolitum amore tuum & facilitatem experiar. *Chronologiam Danicam* ti qvamprimum tranſmitti expetiit Cl. *Svaningius* auctor. I grave ſit, velim probe aſſervatum huic tabellario ad me perſ rendum tradas. Nam penes te eſſe Codicem illum *Moltcheni* ſignificavit. Peramanter etiam rogo, ut qvæ colligi ex horto tu vel hac occaſione, vel deinceps, poſſint ſemina, diligenter ſcriniolo, vel thecâ, compacta, ut recepiſti, ſubinde mitt: Tantum beneficium gratâ memoriâ,& qvovis officiorum gener viciſſim me proſeqvuturum polliceor. Vale & Salve, Amic rum dilectiſſime, & me, ut ſoles, ama. Soræ a. d. 16 Aug. 164

D. Thomæ Bartholino aurem vellices velim, ut Tractatum *de Armillis*, qvem promiſit, propediem repræſentet.

CCXCIX.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

MItto meum *Eraſmi Læti* autographum, in qvo qvædam no tavi, qvæ in altero offendi, qvod poſſidet Vir qvidam no biliſſimus, qvi eo nullo modo carere vult, & hoc, qvod vide indul

indulſit mihi, tanqvam ſingulare ac rarum κειμήλιον. Ubi uſus fueris, remittes. *Moltkenius* dum dixit, penes me eſſe codicem *Svaningianum*, ſplendide mentitus eſt; nec enim vidi, ex qvo manum præfationi admovit. Sceleſtum hoc hominum genus, ut alios ſuſpicionibus gravet, qvidvis mentiri non erubeſcit. Hoc mendacio qvo tendat, novi; culpam dilatæ impreſſionis in me conjectam cupit: ſed igros ipſi hoc ubi regeſſi, negare factum incepit & neſcio qvibus uti æqvivocationibus. Jam ſe neſcire ait, ubinam ſit opus; ab ipſo extorqvere neqveo. Qvid moliatur, facile conjectura aſſeqveris. Nihil integri eſt in iſto homine, blanditiis homines & inani ſpe lactare novit, incautosqve pecunia emungere, nihil præterea. Semina, qvæ in meo horto ad maturitatem pervenerunt, mitto: ipſe vidiſti, rari nihil eſſe, qvod delectare adeo poſſit. Hoc oblectamenti genus mihi jam ætas & negotiorum multitudo excuſſit. *Th. Bartholinus* domi non eſt: ubi redierit, aurem vellicabo, & promiſſis ſtabit. Vale. Hafn. a. d. 17 Auguſti 1647.

CCC.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

Ignoſcas mihi, qvæſo, qvod Hiſtoricum illum *D. Eraſmi Læti*, de nato baptizatoqve CHRISTIANO IV. tractatum, (qvem nunc cum debita gratiarum actione reſtituo) tamdiu penes me detinuerim. Qvantum etenim temporis à gravioribus occupationibus ſuffurari licuit, id omne libro iſti pervolvendo impendi. Certè digniſſimum judico, qvi per te lucem aſpiciat: ſed omiſſis Præfationibus & digreſſionibus nonnullis, qvæ omnia ἀπροσδιόνυσα videntur. Verum demirari ſatis neqveo, qva fronte *Lyſchander*, qvi tantus haberi voluit Hiſtoricus, alienos labores ſibi vendicare auſus fuerit! Eqvidem inter legendum deprehendi luculenta veſtigia violati candoris & furtivi ac fraudulenti conatus; dum innumeras voces, qvæ alterius autoris hoc eſſe opus, abunde arguebant, eradendo, & mutando, fucum facere Lectori voluerit, & plane perſvadere, ſibi ſoli illud aſcribendum eſſe, non vero autori *D. Læto*. Ne dicam, qvod integras pa-

ginis, qvæ res continebant à ſuâ ætate alienas & longe remotas, lineolis obduxerit. O impudentiam hominis! Sed de eo hactenus. Jam reliqvum eſt, ut de horto meo tecum agam, qvi plura ex tuo Paradiſo poſtulat ſemina, ſi modo plura ſuppetant. Inprimis velim ex *Laburno & Lillach* ſurculos qvosdam ad plantandum idoneos, ſed probè humo coöpertos, transmittas, Simul *D. Thomæ Bartholino* in memoriam revoces peto nupere editum *de Armillis* Opuſculum, qvod ſe communicaturum promiſit. Vale Soræ, Poſtrid. Calend. Octobr. 1647.

CCCI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio

De præſtita nuper in poſtulando ſtipendio meo operâ gratias tibi ago, qvas poſſum, maximas; licet ea prorſus fuerit irrita & fruſtranea. Qvod ſi de Magiſtro Palatii Regii antea conſtitiſſet, eum videlicet pecuniæ ex ærario regio erogandæ leges Qvæſtoribus præſcribere; nec illis, nec tibi ullam hac in parte moleſtiam exhibuiſſem. Tantâ etenim ipſe apud ſummum illum Virum gratia valeo, ut de ſummâ aliqvâ argenti impetrandâ neqvaqvam deſperare auſim. Numiſmata tua nondum perluſtravi omnia, cum propter varias occupationes longe graviſſimas, tum inprimis ob varios labores & curas, qvas ſecum adfert oneroſum illud DECANATUS officium mihi nuper commiſſum; ut ex adjuncto *Programmate* ſatis intelliges. Interim qvantum horis ſubceſivis ſcrutari dabitur, inſcriptiones, qvæ legi poſſunt, eruam, & cujus ſint nationis aut gentis, diligenter indagabo. Eum in finem *Huberti Goltzii Cæſares*, & aliorum qvi de *nummis vetuſtis* ſcripſerunt, Opera è locuplete Bibliotheca Nobiliſſimi Domini *Georgii Seefeldii* exſpecto: quæ ubi accepero, mox labori me accingam, & brevi, ut ſpero, expediam.

Chronologiam ſuam *Danicam* denuo ad me tranſmiſit Affinis meus *M. Svaningius*, qvam penes me detinere conſtitui, donec qvid de ejus Editione ſperare habeam, certiorem me reddideris. Certè Auctor in Belgium hoc opus deſtinavit, ut ſuis ibi ſumptibus imprimatur, ſi *Moltchenius* fidem ſuam maturè non liberaverit. Bene ac feliciter Vale & Salve, Affinis dilectiſſime,

& me

me ſolito amore proſeqvere. Soræ, a. d. VIII. Decem. anno cIↄ IↄcXLVII.

CCCII.

OLAUS WORMIUS

M. Stephano Stephanio Decano Sorenſi.

NOn eſt, qvod de præſtita opella gratias agas, penes me non ſtetiſſet, qvin voti compos factus fuiſſes; gaudeo tamen, Te apud Aulæ Magiſtrum pollere auctoritate, ut aliorum non egeas interceſſione. De collato Magiſtratu gratulor, utqve ſæpius Tibi hic redeat honos, in Academiæ emolumentum tuumve commodum, voveo, ſed officia amicis oblata nollem impediret; ſuffurari gravioribus occupationibus aliqvid otii qvandoqve licebit, qvod ſtudio tam jucundo tribuatur. *Moltkenius* dolet ſibi ereptam *Chronologiam* iſtam, qvum indies typos præſtoletur Luneburgo; ut primum acceperit, ſcies. Hafn. ipſo die Solſtitii hiberni, 1648.

CCCIII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

POſteaqvam Numiſmata tua perluſtrare cœpi, intolerandum humeris meis onus ſubiiſſe me præſenſi; ſed qvod tuam in gratiam leviter ferendum duxi. Sunt etenim multa, qvorum Inſcriptionem ne ipſe qvidem Oedipus eruere aut conjectura aſſeqvi poterit. Sunt itidem non pauca, qvorum licet utraqve rectè legi qveat ἐπιγραφή, ſenſus tamen in obſcuro eſt. Et ut videas aliqvo me perveniſſe, en tibi nunc tranſmitto Schedulas duas; qvæ *CLAUDII Imperatoris Junioris* Nummos XXI. & *POSTUMII* continent XXVII. Eorum Inſcriptiones & Emblemata ſeorſim explicabo, ubi totum hunc expedivero laborem, cui jamdudum extrema manus fuiſſet impoſita, ſi copia fuiſſet Auctorum, qvi *de Vetuſtis Nummis* ſcripſerunt. Reliqvi Nummi brevi

ſequentur. Certè qvidam rariſſimi ſunt, nonnulli auro & gemmis pretioſiores. Ego qvantum in me, ſingula bono ordine diſponam & *Commentario* illuſtrabo, ſi qvid obſervatione dignum ſeſe obtulerit. Interim per amicitiam te noſtram oro atqve obteſtor, ut longiorem moram æqvo feras animo, & illud cogites: Sat cito ſi ſat bene. Tot etenim circumventus ſum in dies occupationibus, ut vix publico muneri vacare liceat. Sed hæc hactenus: De *Chronologia Svaningiana*, qvæ etiamnum penes me eſt, qvid ſperare habeamus, fac me diligenter certiorem. Profecto vereor, ne Auctor aliò hoc Opus ſuum excudendum qvamprimum tranſmittat. Adeò impatiens eſt moræ longioris. Cæterum Vale, Amicorum Optime, & ſi qvid noſti ſcitu dignum, qva Libros, qva Publicum ſtatum, candidus imperti. Soræ, a. d. 7 Febr. 1648.

CCCIV.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Suam.

TUis hactenus qvod non reſponderim, cauſa eſt, qvod, me Fridrichsburgi circa Majeſtatem Regiam curandam occupato, ad ædes meas Hafniam devenerint. Huc vero appulſus, dies noctesqve in horto apud ipſam excubias egerim, nec rebus meis reſtitutus ſim, ante hunc diem, qvi 28 eſt Februarii, qvo placidiſſime inter manus meas exſpiravit Optimus ille Regum, inter qvintam & ſextam veſpertinam, poſtqvam die præcedente ſacro epulo fuiſſet refectus, & ſe totum ad abitum piiſſime præparaſſet. Ecce nova, qvæ petis, nimis profecto ingrata. Deus nos omnes ſoletur, & qvieti publicæ proſpiciat! Cæterum pro præſtita opera in luſtratione Numiſmatum gratias ago, utqve porro data commoditate pergas, rogo; nolo te longis fatiges diſcurſibus, ſuffecerit inſcriptiones legiſſe, ac, cujus ſint Imperatoris aut provinciæ indicaſſe, in commodiorem occaſionem cætera reſervabo. Novi enim oneroſum tibi impoſitum munus multum ſuffurari temporis. Reſtant ſaltem CLII. ſi ſingulis menſibus miſeris XX. qvibus me oblectem, tandem penſum abſolvemus. Ut capſula tua eò citius ad me redeat, remitto, & ne vacua ad te veniret, rotulis pectoralibus ad tuſſim, qvæ hoc tempore

ſione moleſta eſſe ſolet, implevi. Tu boni conſulas. Qvæſo, ne graveris mihi indicare nomen iſtius Viri Conſularis, qvi (ni fallor) Hardevico *Pontano* communicavit documenta Danica, qvæ ſecum avexit *Chriſtianus II.* Rex; Memini enim te olim hæc mihi narraſſe. Nova proh dolor! nulla niſi ingrata & tibi nota. De tempeſtate & terræ motu, qvi tot ædes, tot templa, tot turres, tot naves in Albi & circa Albim dejecit, ac inter 14. & 15. hujus menſis peſſum dedit, non eſt, qvod narrem, tibi enim hæc arbitror nota. Prodiit nuper Amſterodami *Hiſtoria naturalis Braſilienſis*, qvæ curioſa, ſed nondum accepi, editioni præfuit Dominus *de Laet*. *Moltkenius* prima navi, qvæ Lubeca venit, typos ſuos ſe habiturum ait, an nos ludat, ignoro. Omnes, qvi *de Burgundia* ſcripſerunt, auctores uno volumine excudunt Pariſiis; Literatos hic ſollicitant, ut qvi aliqvid habeant peculiare communicent. Ubi catalogum eorum, qvos tenent, accepero, tibi mittam, ut, ſiqvid habeas, in commune conferas. Vale; Hafn. 29. Febr. 1648.

CCCV.

STEPH. JOH. STEPHANIUS
D. Olao Wormio.

POſteaqvam nuper domum rediiſſem, nihil prius habui, qvam ut promiſſi mei memor, ſchedas meas diligenter excuterem, & ſi qvid de Vita Nobiliſſimi *Tychonis Brahe* ſeſe offerret, tecum communicarem. En igitur pauca hæc, qvæ reperire nunc licuit, in præſens exhibeo; nempe 1. Annotata nonnulla MSS. ex *Annalibus* b. m. Parentis mei, qvi inter convictores *Tychonis* fuit. 2. Excerpta ex *Phil. Thomaſini* Elogiis & *Baptiſtæ Lauri* Epiſtolis, 3. *Johannis Jeſſenii Orationem Funebrem*: qvam omnino mihi reſtitutam cupio. Raræ etenim ſunt ejus Exemplaria. De vera ejus diſceſſus cauſa, & aliis, ſcitu dignis, diligentius & accuratius inqviram, ubi domum reverſus fuerit Generoſus Dominus Præſes noſter, qvem plurima narrantem de *Tychone* non ſemel audivi. Vale ſumme Amicorum, & me ama. Soræ, τάχιστα, 1. d. 3. Maji 1648

P. S. Qvi de Documentis Hiſtoricis rerum Danicarum in Cu-

gia *Zirichſeenſi* repertis, *D. Pontano* olim retulit, ſuit *Adrianus Hofferus*, Conſul Zirichſeenſis, cujus nomen extat primo loco inter eos, qvi *Pontani* Hiſtorico Operi verſibus acclamarunt. &c. Iterum Vale.

CCCVI.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

PEr amicitiam te noſtram oro atque obſecro, ut facilis mihi ignoſcas, qvod Hiſtoricam illam *M. Brynolphi de Iſlandia Relationem*, qvam non ita pridem mecum communicaſti, tam diu penes me detinuerim. Per varias etenim occupationes, qvæ me indies circumſtant, prius deſcribere non licuit. Nunc duo mihi officia â te præſtari diſcupio;

I. Pervelim, ni grave ſit, meo nomine Nobiliſſimum Virum Secretarium Regium, officioſe compelles, tuaqve interceſſione efficias, ut inſpiciendam præbeat Tabulam, qvam transmiſiſſe ſe ſcribit *M. Brynolphus*, in qva variæ formæ & ſpecies Cetorum Iſlandicorum expreſſæ ac delineatæ extant.

II. Si *Conjectanea* illa *in Saxonis Præfationem*, qvorum crebram facit mentionem in *Relatione* ſua *M. Brynolphus*, per hujus, aut elapſi Anni, Mercatores transmiſſa ſint: ut & horum mihi copiam faciat Patronus noſter, omnibus contendo precibus.

Cæterum, ignoſcat mihi tam lento debitori Venerandus Senex *D. Finckius!* Etenim, poſteaqvam te Hafniæ vidi, ne teruncium qvidem ex ærario Regio accepi. Sed ſpem amplam mihi fecit Vicarius Regius, *Dominus Joachimus Gersdorphius*, brevi fore, ut reliqvum ſtipendii, qvod ultrà 900 Vnciales excrevit, ſolvendum ſit. Exiguam itaqve moram patienter ferat, qvam vel debitâ uſurâ compenſabo. Bene & feliciter Vale ac Salve, optime Amicorum, & me, ut ſoles, ama. Soræ, Prid. Calend. Febr. Anno 1649.

CCCVII.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

DUm ſchedas meas nuper excuterem, forte obtulerunt ſe mihi Carmina

Carmina hæc de diſceſſu Tychonis Brahei: qvæ qvòd non adeò indigna lectu viderentur, inpræſens transmittenda duxi, ut addantur reliqvis de tanto Viro documentis, ſi tanti ſint æſtimanda. Inprimis obſervationem merentur, qvæ ipſius Tychonis manu aſcripta erant in Exemplari, qvod Lugduni Batavorum mecum communicavit ſummus ille Heinſius, qvæ & hic vides à me deſcripta. Velim autem, ubi perlegeris, aut deſcribenda curaveris, mihi reſtituas. Conjectanea M. Brynolphi in Præfationem Saxonis vehementer deſidero, juxta ac alia ipſius Opuſcula ad Secretarium Regium transmiſſa: qvæ omnia, tua interceſſione me conſeqvuturum plane mihi perſvadeo. Hiſtoria Chriſtiani III. jam finem ſpectat. Eam ubi paucos intra dies abſolvero, ſiſtam me vobis, ſi Deo ita viſum fuerit. Vale Affinis dilectiſſime, & Salve. Soræ, d. XIX. Februarii, cIↃ IↃcxLIX.

CCCVIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

CArmina de Tychonis diſceſſu, qvæ transmiſiſti, probe accepi, pro qvibus gratias ago maximas; ut primum deſcripſerit amanuenſis, bona fide reddam, aut in tuum reſervabo adventum. Domino Gaſſendo communicabuntur, ubi qvietior fuerit Galliarum ſtatus, non ſine nominis tui honorifica mentione. Ex M. Brynolphi conjectaneis nihil ad nos delatum. Tabulam piſcium, qvam tenet Secretarius Kragius, impetrare nondum potui, qvòd Fridriciburgi degat apud Regiam Majeſtatem: cum huc venerit, operam dabo, ut hoc nomine ipſum convenire valeam. D. Cunradi Aslaci Orationem Iubilæum Danicam nec apud Bibliopolas noſtros, nec apud amicos invenire licuit; ſi occurrerit, memor tui ero. Vale, &, ut ſoles, me ama. 3. Mart. 1649.

CCCIX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

UT fidem apud te meam liberem, en tandem transmitto de Muſeo tuo conſecratam cupio Urnam illam Weirumenſem; cujus

cujus mittendæ commoda hactenus defuit occaſio. Eſt certe monumentum citimæ antiqvitatis; qvod adjuncta declarant oſſa & cineres. Manifeſte enim repræſentant nobis primam illam ſepeliendorum funerum ætatem, Rolſøld dictam; qvum defunctorum cadavera cremarent, cineresqve collectos urnis includerent: qva pompa Reges potiſſimum tumulati. Et omnino exiſtimo, Reginæ, aut illuſtris Heroinæ, exuſtum cadaver hac urna fuiſſe reconditum, cum propter urnæ magnitudinem & capacitatem, qvantâ rariſſime tales eruuntur; tum qvod coſtarum fragmenta hic reperiantur minuta & tenuia, qvalia fœminarum eſſe ſolent, juxta ac cranii, tibiæ & aliarum partium reliqviæ, à virorum ſolidis & ingentibus oſſibus longè diverſæ: qvâ de re tuum, ut Anatomici peritiſſimi, accuratius eſt judicare. Ne dicam de ornamentis urnæ, nempe ſuccino aſperſo, & annulo, qvi forte virginis brachiale fuerat, de qvibus te Nobiliſſimi *Högii* literæ, qvas propterea meis adjunxi, abunde edocebunt. Utinam integra & illæſa ad te omnia hæc λείψανα pervenire poſſint. Fidelem ſane hac in parte operam mihi ſuam condixit *Chriſtiernus Lætus*, cui theſaurum hunc ad te deferendum concredidi. Vale & Salve plurimum, Affinis omnium optime cum omnibus tuis Deo commendatus. Soræ, a. d. 8. Septembr. 1649.

CCCX.

STEPH. JO. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

VIx nuper pedem intra limina ædium mearum poſueram, qvum de mutilo illo *Abſolonis* Epitaphio, qvod hactenus in *Chronicis Hvitfeldicis* mire depravatum, Lectorem dubium ac ſollicitum reliqvit, diligentius inqvirerem. Nec mora; dum Schedas Parentis mei, τοῦ μακαρίτου, excuterem, qvi *Antiqvitates Soranas* incomparabili induſtria in unum volumen redegit, en ſtatim occurrit, inter alia *Epitaphia*, in memoriam tanti Herois à variis perſcripta, hoc etiam, de qvo ſoliciti fuimus & qvidem manu parentis, ad marginem ita inſcriptum:

Eſt & aliud Abſolonis Epitaphium in veteri qvodam Libro, rude illud qvidem, ſed qvod tamen aſcribere libuit, ſic:

"Epita-

"Epitaphium Domini Abſolonis Archiepiſcopi, qvi
"ſepultus eſt ante ſuperiorem gradum ſummi
"Altaris, in Oratorio S Mariæ.

Abſalon hic ſpecie, Samſon re, mente Salemon:
Nomine ſub trino tres tegit iſte lapis.
Terror terrarum teritur, nunc terra. Potentes
Terreat hoc ejus Eſſe, Fuiſſe, Fore.

Jam facile intellectu eſt, qvod prima fronte Ænigma videur. *Terror terrarum teritur* (Non *tegitur*, qvomodo Hvitfelis habet;) hoc eſt, Abſalon, qvi vivus gentium erat terror, a tranſeuntium pedibus *teritur* & conculcatur: qvia *terror nc terra* eſt, pulvis, & cinis. Itaqve *hoc ejus Eſſe*, i. e. id qvod nc eſt, videl. putridum cadaver, terra, & pulvis: item *hoc ejus iſſe*, i. e. hoc qvod, dum in vivis eſſet, fuit, nempe, *terrarum ror:* & hoc tandem ejus *Fore*, i. e. id qvod futurus eſt, videl. a vermium, umbra, nihil, &c. jure merito *terreat poten-*, & metum incutiat potentibus, ne potentiâ ſuâ abutantur. ſinitivus hic ponitur pro Subſtantivo, juxta elegantiam iſtius i, & illud: *Scire tuum nihil eſt*, &c. Ita ego explicandum exino. Alii judicent & interpretentur, utcunqve voluerint. eo non vertitur ſalus patriæ! Interim operæ fuerit pretium calcem iſtius Tomi Epitaphium hoc integrum inſerere; & ſi ıri ſit, mei, qvi reſtitui, meminiſſe. Si vero plura id genus due fidei & perplexa, porro inter excudendum ſeſe obtulerint, :, qvæſo, me maturè conſulas. Dabo operam, ut expedita ddam omnia: idqve tuam ſolius in gratiam, non Typographi, 'i non adeò benè de me meritus eſt. Facilis mihi ignoſcas veu, qvod te freqventius non inviſerim, qvum illic eſſemus ià. In cauſa fuit Stipendii mei efflagitatio, cui omne poſt nuptias mpus impendebam: ſed fruſtra. Etenim carbones pro theuro, ſpem pro re, promiſſa pro meſſe aurea, reportavi. Qvid ndem fiet? mihi infamia & inopia relicta eſt! O Deus, in qvæ s reſervaſti tempora! Sed ſat eſt qverelarum, qvæ ne tum qvim gratæ futuræ, qvum forſitan & neceſſariæ erunt. Tu, Affium & Amicorum optime, Bono rei literariæ diu ſuperſtes ve, vige, Vale; & me, vehementer anxium, literarum tuarum aviſſimo alloqvio erige & ſolare. Soræ ſcripſi mœſtiſſimus, ſtridie Calendar Octobris, Anno Meſſiæ cIↄ IↄcXLIX.

Pæne oblitus fueram Carminis, qvod à te vellem perſcribi

T in

in *Hiſtoriam Chriſtiani III.* qvam propediem hic pr
committere conſtitui.

CCCXI.

OLAUS WORMIUS
Stephano Stephanio.

Soram.

RЕſpondiſſem prius ultimis tuis, ſi internuncia reſpon
unſiſſet, ſed abiit, me inſalutato; verum doleo te a
abitum promiſſis non ſtetiſſe, & me non viſitaſſe; erat enim
non levis momenti, de qva tecum conferre coram volui. *Epi*
la, qvam mihi monſtraſti, ab *Avone Bilde* ſcriptam, non q
præferebat, evincere mihi videtur. Video enim, *Chriſtianu*
antеqvam Romam veniret, Eqvites creaſſe duos, qvod d
Hvitfeldius noſter in ejus Hiſtoria *pag*. 238. ubi refert, Re
duos creaſſe Eqvites menſis Martii 13. ſed non Romam app
ante 6. Aprilis; habuit igitur ante, qvod dedit. Altius ig
repetendus hic ordo. Epiſtola iſta famam pro fundamento
hit, qva nihil incertius. Dicam qvid ſentiam. Ordinem iſ
Elephanti ab anteceſſoribus Regibus accepit Chriſtianus I.
ejus inſignia auxit Papa Corona ſpinea & aliis, de qvibus lo
tur *Avo Bilde*. Tu vide, & perpende. *Svaningium* noſtr
mone, ut mature velit huc transmittere, qvæ in opere ſuo
tata cupiat. Pro navata opera in reſtituendo Epitaphio gra
ago; dabo operam, ut non ſine Nominis tui gloria operi i
ratur à te emendatum. *Moltkenius* noſter nulli niſi ſibi ipſi vi
nec meis antiqvitatibus, qvibus aliqvot millia lucratus eſt, ma
admovere vult, nec ullum præter lucrum agnoſcit Deum. N
eſt igitur, in ſua qvod turbes religione. Ne animo deſpond
Videbis, Deo volente, brevi nos auro abundaturos, & qvi j
chartaceus, mox aureus eris. Qvam vellem me aliqvid
dignum opere ludere poſſe; at ſenio & curis exaruit vena;
licitabo tamen, ſiqvid velit, inter olores ſtrepere. Tu va
& bono eſto animo. Mox Jupiter aureo imbre in ſinum tu
depluet. Vale. Hafn. 6. Octobr. 1649.

CCCX

CCCXII.

STEPH. JOH. STEPHANIUS

D. Olao Wormio.

NEſcio qvo fato fiat, qvod primitiæ lucubrationum Hiſtoricarum mearum tam iniqvos experiantur Typographos veſtros. Certè niſi ſi neceſſitas edendi maturè, qvicqvid hoc eſt *Annalium*, urgentiſſima perpelleret, vix indignis illis terræ filiis tantopere ſupplicarem. Totum etenim Belgium Opuſculo iſti procudendo pateret. Interim ſummas & immortales tibi gratias ago cum de tranſmiſſo Epigrammate, qvod vehementer placuit; tum de ſingulari candore, qvem in Obſervationibus communicatis luculenter oſtendis. Pag. 9. *corraſæ cervicis homines*, ad imitationem Saxonis, *Monachos* dixi, qvi ita eos *Lib. XIV.* ni fallor, appellat. Locus jam non occurrit memoriæ, qvem alia vice ſuggeram. Pag. 19. Non legitur *propellere*, qvomodo tu mones; ſed *perpellere*, qvod pro *compellere* uſitatiſſimum eſt *Ciceroni*, *Livio*, aliisqve melioris notæ ſcriptoribus. *Pag. 22. Præbitis annuis*, formula eſt *Suetoniana*. Sic enim ille: *Peculio conceſſo à patre, præbitisqve annuis fraudavit per ſpeciem publici juris.* Plin. Epiſt. 248. *Atqve etiam ut publici ſervi annua accipiunt.* Ita & apud ICtos, *Annuum* abſolute poſitum ſignificat alimenta in ſingulos annos. Et ſi rectè memini, *Livio* etiam non ignota eſt phraſis. Sed Pag. 60. *juvaſſent* pro *juviſſent* facili lapſu in calamum, inter deſcribendum, irrepſiſſe, non diffiteor. Humanum etenim ingenium qvo occupatius, eò negligentius eſſe ſolet. *Graviſſima* verò *delicta* etiam ſunt minima peccata in conſpectu Dei, qvæ nobis videntur nullius eſſe ponderis &c. Sed & hæc vox expungi poteſt. Cæterum qvod locum illum *Aimoini* attinet, in omnibus exemplaribus, qvæ videre contigit, conſtanter legi animadverto *Urſum*, non *Vrnum*, qvod nonnulli in laudem familiæ *Urnorum* trahere: adeò ut omnino exiſtimem *Urſini* nomen eſſe proprium, (qvod pace tua aſſeverare liceat) non cognomen; & eundem eſſe, qvem Hvitfeldius *Orm* nominat. Verum longè à me abſit, ut tuæ ſententiæ me opponere, aut antiqvitati Nobiliſſimæ familiæ qvicqvam detractum velim. Id inter nos pereat. Interim aſtruo cognomina Nobilium longè ante tempora Waldemari IV. apud nos in uſu fuiſſe: qvod ex qvampluribus exemplis à Saxone

allatis liqvido pateſcit. Nonne *Thimmo* Sialandicus, *Bunner*, ob virtutem dictus eſt ſub imperio Canuti Magni? Nonne *Petrus Bos* (Her Peder Ore) *Lib. XIV. Saxonis?* qvid qvod innumeræ familiæ, regnante Waldemaro Primo, cognominibus, qvæ hodieqve in uſu, inſignitæ & diſtinctæ fuere? Ipſe *Cragius* Secretarius à *Rolvone Krake* forte originem deduxerit &c. Ut liberius ediſſeram: Qvid ſi *Vrnorum* familia à gallinis Scanicis, qvæ dicuntur Urhøns, appellationem ſortita? Etenim Inſignia femur & ungves avis cujusdam præferunt. Qvid ſi à foro Jutiæ Meridionalis, qvod Brnetting olim dicebatur? Carmen elegantiſſimum in laudes *Urnorum* edidit ante aliqvot annos *M. Ericus Pontoppidanus*, nunc in arce Antvorſchovienſi verbi divini præco, in qvo multa notatu digna congeſſit de origine gentis *Urnorum*. Epiſtolam tuam ad Nobiliſſ. *Kragium*, qvæ firmiſſimis, ſi locus *Aimoini* ita legendus eſt, nititur rationibus, meos in uſus deſcribendam curaſſem, niſi tam cito repeteres. Qvam jacturam nunc ægre non fero, qvia te propediem editurum promittis. In *Monumentis* certè nihil planè obſervavi animadverſione dignum. Exemplar novæ Editionis à te exſpecto. Vale, optime Vir, & me, ut ſoles, ama. Valetudine etiamnum fruor non adeo proſperâ: præcipue cum debilitate ventriculi conflictor. Soræ, τάχιστα, a. d. XXX. Januar. Anno cIↄ IↄcL.

Facilis mihi ignoſcas qværo, qvod de loco illo *Aimoini* agam tecum paulo confidentius. Si etenim *Urnus* legendum ſit, qvomodo tu ſtatuis, juxta tecum ſentio, id vocis ad originem inclytæ familiæ referendum eſſe. Qvam ſententiam tuam ubiqve tuebor, nec me aliter ſentire præ me feram; licet qvoad alteram lectionem, ſalvâ amicitiâ noſtrâ, nonnihil diſſentire videar.

CCCXIII.

OLAUS WORMIUS

Stephano Stephanio.

Soram.

EFfari neqveo, qvantum negotii mihi creaverit *Holſtius* noſter, antеqvam ad eas redigere ipſum potuerim conditiones, qvas poſtulat; in ære difficilior erat. Tu fac, ut non refragetur Typogra-

graphus veſter; mobilis alioqvin homo eſt noſter, & facile iverſim rapitur. De *Urne* non ſum ſollicitus, dum pro me ment *Pontanus*, *Mercator*, *Cypræus;* nam hujus opinionis ctor ego non ſum. Cognomen hoc non facile traxerim ab rbytis, alioqvin totum hoc nomen retinuiſſent, & non dimi- im ſaltem mutilatum. Pes ille in clypeis aqvilæ eſt, cujus men priſcum eſt *Aurne*, qvod optime qvadrat. A *Bartholino Beringio* carmina exſpectabis, ubi ad umbilicum opus tuum duxerit Typographus. Si unqvam videris *Nithardum*, gva Germanica editum, qvem citat *Hvitfeldius* noſter, mone, ſi habeas, mitte. Nemo enim hic eſt, qvi ſe vidiſſe memine- Vale. Hafn. 4 Febr. 1650.

CCCXIV.

ARNGRIMUS JONAS

Clariſſ. Viro D. Olao Worm.

S. P. D.

Qvod ignotus ego te non ignotum, utpote celeberrima Doctrina & rerum experientiæ fama etiam in extrema Islandia de- edicatum, Clariſſime Domine Doctor, ſalutem, fecit com- mis amicus, Dn. *Thorlacus Sculonius*, ex qvo intellexi ſtu- m hiſtoricum, qvà res Danicas, tibi bona ex parte incumbere. ipſit autem ad me & jam & ſuperiore anno Magnif. Dominus ncellarius de Antiqvitatibus Norvagicis in Islandia reqviren- i. Reſpondi, tantillo temporis ſpatio, qvo in littore noſtro ſtrates hærent, nihil inqviri poſſe, variis & veris impedienti- s cauſſis, & dilationem petivi in annum ſeqventem. Habita tem tot menſium indagatione ſolicita, nihil reperire eſt, qvod te 30 annos, de mandato Sereniſſimi Regis non conqviſive- n, inqve rerum compendia redegerim & Regni, pro tempore, ſtorico tunc communicaverim, ipſius ad me literis conteſtan- us, qvæ extant, prout idem hoc tempore Magnif. Domino ncellario ſcribere neceſſum habui. Sed qvia ipſius Magnificen- etiam de Lingvæ antiqvitate ſolicita eſt, volui denuo per hanc mem & partem æſtatis monumenta qvædam antiqva, olim amvis oblata & uſurpata, acqvirere, & a poſſeſſoribus vix ædam obtinui, qvæ nunc ad Præfectum Inſulæ ablegantur, ſic

 enim

enim is juſſerat, ab eodem repetenda. His autem ad Dn. D rem adjunxi & exemplar literarum ad Magnif. Dn. Cancellar & conſignationem peculiarem eorum, qvæ mittuntur. I rem totam Dominus Doctor intelligit penitius; qvem hoc nixè rogatum volo, ut ipſius interventu, tum navatæ op qvamvis fere fruſtraneæ, tum excuſationi meæ apud Magni Cancellarium a Magnificentia ipſius locus & fides relinqv Nam qvicunqve tandem harum rerum inqviſitionem in Isl ſuſcipere jubeatur, vix ac ne vix qvidem aliter deprehe qvam ut miſcellanea illa olim ad Dn. *Cragium* Regni Hiſtor miſſa, cumqve *Crymogæa* Anno 1609. edita, conjuncta, rice exponunt. Valde autem incertum eſt mihi, an literæ ſive reſolutio ad Magnif. Domini Cancellarii poſtulata an periore ad Magnificentiam ejus pervenerint. Nam ejus mentione facta, idem qvod tunc & totidem verbis hoc ann ſtulatum eſt. De eo ſi proximo anno Domini Doctoris ben certior fiam, eſt, unde præterea gratias agam. Aliqvid t ſponderam de *Rhythmis Islandicis & menſium ac dierum a tione* vetuſta, tum Regnorum, Regionum, Urbium nomi Libellum etiam addidi Rhythmos habentem Latino-Verna cum ſimili *nomenclatore* hic excuſo. Qvod reliqvum e multumqve Dominus Doctor, in florentiſſima Academia ipſe, vivat & vigeat, precor. Dabam in Islandia B 15 Auguſt 1626.

Clariſſime Domine Doctor, ſi qva re humanitatem demereri valeam, gratitudinem pollicerer, ut ſtudium illud in negotio Antiqvitatum conqvirendarum Magnifico D Cancellario per occaſionem commendares. Is ſuperiore an votis ſui ſpem mihi in poſterum exſpectandi benigniſſim Expoſui difficultates meas in vice Domini Epiſcopi ſupplen Diœceſin Holenſem, Agnoſco Domini Cancellarii nutu fact meæ ad ipſum redditæ ſint) ut Præſes noſter *Roſecrantzi* cum convenire, hæredum Epiſcopi nomine, juſſus ſit. ventum eſt, ecce 50 Joachimicis conducor, nec enim apud dem aliter obtinere potui; ſed nihil hac in re ad Magnific Domini Cancellarii hoc qvidem tempore defero, verum nempe dignetur ſpeciali mandato cavere, ne perſonæ S ſticæ Docentium aut diſcentium abſqve meo conſenſu aſſ tur aut dimittantur. Nam ſi qvidem id, ut hactenus, pen Epiſcopum, adhuc bene valentem, fuerat, neſcio, qvo

, cui eâdem inſpectio, Epiſcopi nomine, demandata eſt, eo ..., vel a qvo (niſi ſuperioris Magiſtratus nutu) privari de...; Qvod qvidam intentant, & me refragante Hypodidaſca... Holenſem immeritum excluſerunt, aliumqve me ſpreto ſuf...runt; ut ſciat Dominus Doctor qvid huic petitioni ſubſit, ...ve hæc eſt ſuperioris voti appendix. Rogavi autem præſtan...mum Socerum tuum, ut me ignotum notum jam tibi faciat, ... tenuitate mea ſiqvid officii ſuo tempore proficiſci poſſit, ...licat; ne me his petitis importunum decernas. Iterum te ...te jubet de tua humanitate multum ſibi perſvaſus

Arngrimus Jonas,
Scholæ & Diœceſis Holenſis
Inſpector.

CCCXV.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ:

...iteris tuis, Arngrime Clariſſime, gratius mihi nihil accidere potuit, tum qvod occaſionem de variis, Antiqvitates no...ſpectantibus, conferendi anſam ſuppeditarunt; tum qvod ...nimo in me propenſo profectas animadverti. Cæterum qvod ...oriæ conſcribendæ munus mihi incumbere exiſtimes, ei oneri ...mparem agnoſco, nec eo deduci me qvotidiana praxeos mo... patitur intentio. Sed ubi per graviora licet, nullo ſtipen... conductus, nullo adhuc præmio illectus, Antiqvitatibus no... eruendis me oblector, cujus ſpecimen jam edidi in *Faſtis* ...ris, qvos *Thorlaco* meo miſi, in qvibus & tui factam eſſe men...em honorificam videbis. Hiſce igitur locupletandis ſi Sym...m adjeceris, vel ubi in tantis tenebris aberratum, monueris, feceris gratiſſimam. De *Literatura Runica*, qvæ commen...ſum, prælo ſunt vicina; ſed veſtratem aliqvem horum pe...n prius expeterem cenſorem, &, ni loci impediret interca..., tranſmitterem. Hæc de meo inſtituto: ad tua ut veniam, ...ifico D. Cancellario mihi a te perſcripta retuli, qvi literas ...ſe accepiſſe reſpondit, excuſationem admittere; ſed in pri-

ſtudiis in jam tranſmiſſorum collectione delectari diligentia, favore ſingulari compenſanda; ſe ſaltem cipporum iſtorum, qvorum a te *Cap.* 3. *Lib. I. Crymogææ* fit mentio, accuratam & picturis expreſſam jam exſpectare delineationem, una cum accolarum de iis relationibus. De ᛦ litera, qvam Tu *Y* notare refers, monumenta vero apud Nos extantia per *R* exprimunt, anxius disqviro, nec qvid ſtatuam, video, niſi pro eorum diverſitate poteſtatem variaſſe exiſtimandum. Ac cum reliqvarum literarum nomina rem aliqvam exprimant, ut *Aar* annonæ bonitatem &c. qvid *Yr* denotet, qvæſo edoce. An Litteræ illæ, qvibus ad Magiam abuſi ſunt Majores noſtri, ac *Ramruner* vocarunt, figuris à vulgaribus diſtinctæ fuerint, hæſito; pro utraqve opinione mihi rationes haud deſunt probabiles. Tu qvæſo ſubleva, ac ſiqvid ad hanc rem illuſtrandam habeas, communica. Vides, ut petitionum importunitate Te obruam, cui veniam dabis eò propenſius, qvo a te earum ſuppeditata eſt occaſio major. Interim Vale, Vir Clariſſime, & conatus noſtros juvare perge.

Libri a te tranſmiſſi, ad Magnum Cancellarium pervenere ſed undis ac naufragio adeo laceri, madidi ac ſqvalidi, ut vix literam diſcernere datum: horum uſum aliqvantiſper ſibi indulgeri cupit idem Heros. ann. 1627.

CCCXVI.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

Si *Anacharſis* hoſpitem *Solonis* (jam ſexagenarium, ſi non fallit memoria) amicitiam ambientem adducendo, donum maximum Soloni afferre viſus eſt; Annon magis me dono & beneficio maximo affectum rebor, cui tua, Eximie Vir & Clariſſ. Dn. Doctor *Wormi*, tanto omnibus modis me ſuperioris, qvanto hoſpitem illum ipſe *Solon* præiverat diſcrimine, modicula occaſione data, contingat amicitia, & humaniſſima juxta ac eruditiſſima, a tua parte, commutatio: De qva humanitate & facilitate non ſolum ſummas gratias ago; verum etiam, qvod Magnif. Dn. Cancellarium mea cauſſa compellare, mihi tam clemens Magnificentiæ ipſius reſponſum reſcribere ſumma tua humanitas & in hominis ignoti commoda propenſio gravata non ſit. Sed in ſumma temporis anguſtia, negotiorum turbulentiſſima turba, ad

rem

ſvenio : *Faſtos Wormianos*, vix aſpicere nedum inſpicere li-
t, qvos tamen communis amicus Dn. *Thorl.* Epiſcopalis officii
ndidatus (cum Deo & Rege Sereniſſ.) mihi dono miſerat,
os qvanti faciam, pro tenui ingenii judicio, utinam tam fa-
ſcriberem qvam ſentio, non ſane ultimus collaudatorum fo-
a, ſiqvid tamen collaudationis a canis meis & animo malis
blicis & privatis pene extincto exſpectari poterat: Qvod in
ſtis mei fiat mentio, indigniſſimus omnino eram, interim eo-
n, qvæ ex *Crymogæa* allegare Dn. Doctor eſt dignatus, con-
us ego teſtis. De cippis & eorum delineatione, vix tanti eſt,
poſtuletur, neqve id in totius Inſulæ trepidatione, ob pirata-
n immaniſſimorum pericula, præſtari poteſt. Crede mihi,
Wormi, umbra eſt, imo fumus, qvod haberi a noſtratibus
teſt, de *Runicis*, præ illis, qvæ video in *Faſtis*, præclare *Au-*
libus eruta priſcis. Qvodſi omnium cipporum inſcriptiones
ſtulentur, peragratione & itineribus opus erit, ac tum tamen
nia erunt obſoleta, nec literarum ductus ſatis conſpicui. Nam
duriſſimo Saxo, qvod Blaagriot, eller Blaagryte vocamus, ex-
a ſunt iſta Epitaphia, adeo rara, ut vix 4 aut 5 in Boreali Iſ-
dia numerem; & cum juſſu Magnif. Domini Cancellarii in-
iptiones poſtulo, negant ſe legere poſſe; atqve id de cippis,
colarum vero de iisdem relatio nihil eſt. Venio ad literam
, qvam pro Y expreſſit *Crymogæa* nec aliud inveſtigare poſ-
at, qvum tamen veſtratibus eadem ſit R. Hic, qvia poſtulat
ve injungit candor tuus, dicam, qvod ſentio, conferendi gra-
. Vobiscum autem facit, qvod in qvendam noſtratium inci-
rim, qvi diceret Islandos dictos, eo qvod literam *Yr* valde
rerent, & tamen R intelligendum venit, hæ vero literæ & figura
ſono multum diffident, *Y*, &, *R*, valde probabilis eſt con-
tura a Domino Doctore ſubjuncta, de qva tamen non eſt con-
endi, ut apud me nulla ſcientia, ita nec otium. Significatio-
m literæ ᛦ vel Yr qvod attinet; ſic habent noſtratium anno-
iones, ſiqvidem in hæc me myſteria detruditis: -- *Yr*, i. e. *Y*
bendur bogir, Bardaga gagu, og ſyfvu flyter -- h. e. Yr eſt
ndur i. e. *tenſus*, Bogie i. e. *arcus*: Bardaga i. e. Militiæ,
agu i. e. *commoditas* ſyfvu i. e. *teli*, flyter vel fleiter id eſt *dela-*
vel *feſtinator*, triplex eſt nominis expoſitio, eodem tamen re-
lens, & ſic reliqvarum Runicarum, qvas expoſitiones vocant
r deiler, qvaſi *triplices expoſitiones*, a verbo *eg þri*, tre deile

i. e. *partior*, ut in lingva Danica: Atqve jam dixiſſe videor, ſignificationem literæ ᛦ vel ᛦ, h. e. *Yr*: & niſi ſtatuerem etiam reliqvatum literarum *tricotomas expoſitiones* [bryde ſig] plus ſatis notas, reliqva adjungerem: hæc ad veſtrum poſtulatum de *Yr* litera. Hæc tantum pro temporis anguſtia, & negotiorum turba & turbine, in qvibus eſt morbus Epidemicus, ah! nimium diſſitum morborum terrorem D. *Wormium* inclamans. Ultimum D. *Wormii* poſtulatum de *Ramm-Runis* tale eſt, ut ei vix unqvam ſatisfacturum me ſperem; de illo enim ego, ut cæcus de colore. Ac licet ſint omnino & jam hic magiæ ſuſpecti, nunqvam mihi aut aliis ſua myſteria pandent. Ego interim puto veteres magos literatura aliqva, ac inprimis vulgari, uſos, ſed virgulis & punctis corrupta, qva ipſis illuſit Diabolus, tamqvam alicujus ponderis, cum ſe ipſi antea dediſſent. Qva ratione *Paracelſi* medicina characterum inſolitis notis conſtet, meum non eſt judicare: *Runicas* de origine literas nihil magicum habuiſſe potiſſimum perſvadeor. Depravatæ autem nunc ſunt ulterius primo ſed ſuperſtitioſe, unde Ramm-Runer h. e. *fortiores Runæ*, dictæ videntur, nam Rammur i. e. *validus*, vel *fortis*, ac *robuſtus*; ſic apud nos vocatur vir famoſus Stinbogle hin Ramme. It. dicimus: Rammur ad afle - i. e. *pollens viribus*: Ramm Runer i. e. *Magia validioribus Runicis exercita*, per metonymiam effecti. Siqvid vero, Clariſſime Wormi, expiſcari poſſim per alios (mihi enim minus ſe credunt) ejusdem erit ſeqvente anno indicium. Interim litera ᛦ hic in literis tuis delineata in Crymogæa ſic ᛦ (qvod idem eſſe ſtatuo) nomen *Yr* ſortita, noſtratibus *Y* denotat, ut eſt in *Crymogæa*. Reqviſivi ego adhuc apud unum & alterum *Alphabetum Runicum*, ſed eodem res recidit. Vobis autem literam *R* exprimere ſcribit Dominus Doct. & ſane ipſo ſtridore nominis facile in veſtram deſcenderem ſententiam, niſi obſtaret inprimis, qvod literam R vix alia figura qvam qva *R Faſti* exprimant, & tam veſtrum qvam noſtrum alphabetum Runicum, obſtat etiam, qvod, cum ᛦ veſtram agnoſcatis, interim in *Alphabeto Runico Faſt. libr. III. Cap. II.* non extet: ut neqve altera. *Plâſtur* pro *h* ac *n. ſtunginn biarkan*: pro illa (ut Y denotat) Stunginn ᚱ ie ſubſtituatur. Sed video exceptionem in titulo capitis, de titulis Runicis, qvibus exarati hi *Faſti*: fortaſſis igitur alibi habeatis literam ᛦ cum veſtram, ut dixi, agnoſcatis, & R notare ſtatuatis ex monumentis. Jam vero *Faſtor. pag.* 118. in

Octo-

Octobri Runicus ſcribitur per ᛦ Ergo ᛦ non S ſed *M* notatur ſed id facile ad erratum Typographi refero pro ᛘ ᛦ ſubſtituentis, inverſo typo ᛘ ᛦ per incuriam. &c.

Scripſi ad Magnif. Dn. Cancellarium, de meo aliqvo commodo, data jam occaſione; juva, mi Doct. *Wormi*, ut aliqvali otio literario frui detur: tanto ego facilius & libentius cum Dn. Doctore de rebus antiqvis conferre potero. Inprimis hoc conſulo, ut aut Princeps, aut Dn. Cancellarius ſerio injungat Præfecto Inſulæ, uti volumen vetuſtum de rebus Dan. & Sveticis ab Hæredibus *Theodori Logmanni* & qvibusvis aliis extorqveat, & mihi in manus tradat, illud inqvam volumen, qvod mihi ante viſum & oblatum eſt. Tuus ero, Doct. *Wormi*, aut index ex hoc volumine, aut aliqvalis interpres. Qvod reliqvum eſt, vale Doct. *Wormi*, hominum, una cum meo *D. Finckio*, humaniſſime, & ab hoc *Arngrimo*, ſi non penitus ad raſtra res redeat, tam animo qvam literis perpetuum colende & conſalutande. Vale. 23 Aug. 1627.

CCCXVII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

Gaudeo, Clariſſime Arngrime, tibi *Faſtos* meos non diſplicuiſſe, ſed inprimis gratias ago, qvod tam candide de qvibusdam tuam communicare ſententiam volueris ac in tantis tenebris titubantem erigere. De nota illa qvæ communicaſti, valde grata: Mihi enim in *literatura* mea *Runica* negotium haud exiguum faceſſebat, an videlicet decimam ſextam conſtitueret veterum literam, an vero, ut Svecus qvidam exiſtimat, excludenda, ut qvindecim ſaltem ſint primævæ. Sed poteſtatem qvod concernit, video eam longe aliam apud nos fuiſſe, qvam apud veſtrates. Nam in monumentis adhuc apud nos duriſſimis in cautibus extantibus, inter alia hæc reperio: in *Trygveldenſi* ᛋᚢᛋᚢᛦ *Syſtur*. Item ᚢᚠᛋᛏᛁᛦ *Uſtir*, in Valkerano item ᚢᚠᛏᛁᛦ in Opagrienſi ᚠᚠᛏᛚᛦ, in qvibus non per *Y*, ſed per *R* neceſſario exprimenda venit, de qvibus plura in mea *Literatura* videbis. Cæterum multum ad mei negotii Illuſtrationem facient ᚦ*rydeilur* (qvorum mentionem facis, & qvos hic habere a nemine potui,) ſi per te mihi fuerint communicati. De *Ramrunis* in eadem fere

tecum

tecum ſum ſententia. Qvod faſti R non exprimant niſi per R, & in aliqvibus veſtris non reſpondeant literarum ductibus, ipſemet probe ſatis doces. Non enim animus fuit, omnes literarum Runicarum varietates eo in loco proponere, ſed eas ſaltem, qvas ex *Faſtis* excerpſimus, reliqvas vero literaturæ noſtræ reſervare, qvæ, ut ſpero, tibi in hiſce abunde ſatisfaciet. Eam igitur hic tranſmitto, obnixè rogans, ut, ſi tantum tibi otii, perlegas, ſententiam candide exponas, ſi alicubi aberratum, in viam reducas, ac, ſi qvid habes, qvod ad ejus illuſtrationem facere poſſit, communices. Neminem enim in toto ſeptentrione melius te de eo judicare poſſe certus ſum. Pro eruditiſſima tua communicata *Apologia* gratias ago. Te interim Deo & bonâ conſcientiâ fretum feliciter hos ſuperaſſe ſcopulos gaudeo. Qvantis hic nos jam premamur bellorum malis, ex aliis malo Te, qvam ex me cognoſcere; interim literarium hoc colloqvium ne abrumpamus, cum ſperem olim tranqvillioribus affulgentibus ſolibus, patriæ, cui nati ſumus, profuturum. Vale. 1628.

CCCXVIII.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

PRæclarum & rarum (qvidni ratum, cum prorſus novum?) *Runicæ Literaturæ* opus *Wormianum* ad me allatum eſt: dico iterum indignum me, cui talia mittantur, allatum interim eſt, verum adjecta conditione, ut per mercatorem adferentem remittatur. Sed qvam hoc factu ſit impoſſibile, dicet ipſe mercator, niſi non inſpectum remitti deberet; qvod ego non immerito, ſvavitatis abſtruſæ avidus, ægre ferrem. Glacies Grönlandica (an Islandica) littus Boreale cinxit in Auguſtum usqve jam adultum, & Mercator vix dum portum ingreſſus abitum molitur: ſed nos interea fœni defectu laborantes, & aëris ſumma intemperie oppreſſi, mercatorum tam negotiis deſtinemur & tantum non rumpimur. Prædonum metus accedit. Nihil proficitur, cum otium nullum & vix ad docendum & orandum reliqvum ſit. Igitur exemplar putavi retinendum, ut non niſi inſpectum remitteretur, ubi ſi delictum a me eſt, Excellentia tua in optimam partem interpretabitur. Nam, ſi mihi interea aliqvid humanitus contingat, Deus clementer permittet, ut illud

hoc

e idem exemplar meo munitum ſigillo ad Auctoris manus ſervetur.

Jam de *Faſtis*, qvorum perlectioni otium liberalius per ...mem impendi, ſed exiguo cum fructu, qvantum ad collatio... n aliqvam vel ſymbolam, qvam *D. Wormius* poſtulavit. Illud nen, qvicqvid eſt, ſemel aut iterum inſpectum meus *Wormius* ...leaniæ cuſtodiæ tradat.

Illa de *Cyclis Dionyſ.* & *Qvinqvageſim.* commentatiuncula ndum ſatis adparata fuit, qvia exemplaria diſcordantia ſubin... exſpectantur, qvorum nulli cyclus Faſtorum penitus reſpon... t; qvem omnino credo per literas non numeros exponendum: inqvirendum, an puncta illa ſeu virgulæ nunc ante nunc poſt ...ram in autographis, vel non extent. Codices receptos norit ...riſſimus Worm, qvos gaudens accepi, propter qvendam Aſi... m, ob eorum abſentiam calcibus me malè ferientem. *Eddam* conjunctam *Skalldum*, qvia meus codex eſt, *D. Wormio* liben... concedo, qvamcunqve volet diu.

Þrideilur (tricotomias) ſi qva ratione tempus ſinat, his ...ungam; ſunt etiam Fimmdeilur, Ridellur, Tolfdeilur, ...nihil dicunt, niſi qvod *Þridilur*, h. e. *rem eandem mutatis* ...*bis intricant*. Qvod in relectione Operis Runici commodum notare potero; qvod confidentia favoris tui fretus (ut dixi) re... ...endum putavi. Qvicqvid meo commodo in Aula ſucceſſit, *Wormii* interceſſione & Magnif. D. Cancellarii favore per... ...hum agnoſco, & agniturus ſum indefeſſa cum gratiarum acti... e. Illud vero Dominos meos non lateat, optatum & expeti... n beneficium dimidia parte, interpretum prudentia, eſſe im... nutum, contra qvam ſcribit *D. Reſenius*, qvi ferme æqviva... s ex verbis optimi Cancellarii pollicetur Sed abrumpo; nihil m ad faſtidium tantis cum viris agendum.

Epigramma meum, rude qvidem illud, ſed tuæ, *D. Wormi*, ...tutis & ſapientiæ amore fuſum, peto boni ipſa illa tua virtus ...ſulat: Si forte videatur, licet non merearur, ad calcem ali... us horum operum ponendum, ut te talem non incolas modo, & accolas, etſi ſpretos & remotos, magni feciſſe poſteritas in... ...ligat. Nihil enim Monarchæ derogatum voluit, qvi dixit: ...i *ſerviat ultima Thule*. Ubi interim de *Thules* nomine aut ...nihil a ſuperiorum Annorum conceptis diverſum innuo, ſed ...mparatis me excuſo.

Si forte *Jonas Ottonius*, cognatus meus, ſe offerat, teſti...

monii

monii bonis inſtructus, valde amem, qvicqvid ejus commodo bene factum ab amicis fuerit. Atqve his ita qvam feſtinatiſſime exaratis, Excellentiam Tuam feliciſſime valere opto. 4. Sept. 1628. ex Islandia Boreali.

Sed eſt etiam adhuc, in qvo Domini fautoris reqviritur opera. Ego jam provectioris ætatis diſceſſum ex lachrymoſis mundi hiſce miſeriis per gratiam Dei meditor; & ſucceſſorem in laboribus Eccleſiaſticis cum optarem, qvi jam aliqvantiſper collegam egit, Dn. *Illhugonem Ingaldi f.* Qvod ut a Superioribus impetratis literis eo ſpectantibus obtineatur, niſi Dominus D. providerit, fruſtra expeto, igitur & hic ad favorem veſtrum confugio, & exemplum optatæ indulgentiæ conceptum hic includo.

Hoc ſive Regis ſive Cancellarii literis injungatur, a Præfectorum, munera Eccleſiaſtica ſeculi more divendentium, difficultate liberi erimus; & ego me novo beneficio affectum reputabo, ac, ſi ullis obſeqviis demereri poſſem, eadem polliceor. Illi enim viro prædicto æqve cupio ac fratri aut filio, ac interim de felici rei Eccleſiaſticæ adminiſtratione, Deo propitio ſecurus ſum. Hæc jam ſi gratia impetretur, qvæ nullo cum damno aut expenſa Regiæ Majeſtatis conjuncta eſt, eam Dominus Fautor ſuis ad me literis includet, qvo Politici ejus minus conſcii fiant. Sit jam inæſtimabilis Fautor & Dominus meus omnia boni conſulere dignetur.

CCCXIX.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ, Islando.

EXoptatiſſimas tuas in *Faſtos* meos notas, una cum literis 4. Septembr. anni præcedentis exaratis, 4. Aprilis hujus anni demum accepi, per hyemem enim in Norvegia latitaſſe affirmabat Mercator. Me tamen accepiſſe, ex animo gaudeo, ac pro præſtita ac navata opera gratias ago ingentes. Sphalmata agnoſco haud pauca, partim à me ad calcem libri annotata, partim nunc demum animadverſa. De aliis maxima ex parte meam ſententiam in *Literatura Runica* expoſitam invenies, qvam doleo te diutius tecum non detinuiſſe. Sed cum adhuc ſpe teneat haud

levi,

ti; te per otium eam adhuc percurſurum, doctisqve tuis cando-
i & amoris notis, patriæ commodo, exornaturum, ecce re-
itto, tuæqve diſcretioni & commoditati committo; non dubi-
ns, qvin cum fœnore ſuo tempore ad me ſit reditura. Nec
im feſtinatione opus, cum ſævus Martis furor Muſas noſtras
hac ſilere faciat, ac triſtiſſima rerum mearum facies, ob amiſ-
m Conjugem dilectiſſimam, omnem harum rerum in me peni-
s exſtinxerit ardorem. Deus Opt. M. ſolatii inopi conſilio &
xilio adſit ſalutari! *Jonam Ottonium* tuum nondum videre
ntigit, ad me ſi venerit, qvævis humanitatis officia exſpecta-
t. Quam vellem me aliqvid in cauſa *Hugonis* præſtitiſſe, ſed
sſentia Cancellarii obſtitit, qvò minus votis potiri datum; qvin-
s enim jam agitur menſis, à qvo Lubecam, cum Regni Pro-
ribus, pacis negotia tractaturus, diſceſſit, unde necdum rever-
s; quanquam ſpe nos lactent, brevi, re ex voto confecta,
diturum. Faxit DEus opt. M. ut tandem exoptatiſſimo frui
eat pacis bono, qvo præſentiſſimo noſtro cum periculo hacte-
s fuimus deſtituti. Monumentorum apud nos extantium
itto ſpecimen, quod, popularium judicia exploraturus, in
cem prodire paſſus ſum; ſi æqva expertum fuerit Cenſorum
dicia, ultra trecenta ejus generis, qvæ in meis ſervo archivis,
o tempore, Numine favente, dabo. Tu quæſo, pro tuo can-
re, ut ſoles, in iis quid deſideres, exponere haud graveris,
gito, qvò malum id emendari facilius qveat. Vale, *Arngrime*
aviſſime, & à doloribus ac curis confecto animo tumultuariam
nc ſcriptionem boni conſule. Te ſervet incolumem Chriſtus
ſus, quò, ſi ipſi viſum, literarium hoc commercium, magno
triæ noſtræ bono, diu ſalvi exercere valeamus. Iterum vale,
importunitati ignoſce. 1629.

CCCXX.

ARNGRIMUS JONAS

Cl. Viro D. Olao Wormio Salutem.

Non poſſum non eâdem oberrare chordâ, eandemque canere
cantilenam, D. Wormi clariſſ. & fautor perpetuum colende.
ænam illa, inquis, chorda, quæ cantilena? illa, inquam,
Domini Fautoris humanitatem, plus fere quàm humanam, &

beni-

benignitatem plus quam bonam (Divinam igitur utra quantum in homines cadat) tum ſuperioribus annis præſ tum hujus anni literis faventiſſimis exhibitam, agnoviſſe & denuò agnoſcere teneor. Nam quod meo commodo Magnif. Dominum Cancellarium Dominus Fautor profudi quam ulli oblivioni dabitur, & qvod humano animo Vir & liberali amore meas ſuperioris anni excepit literas cum tulis, non poſſum animo, nunquam delendo charactere infixum ſervare. Etſi autem de quibusdam ſpeciale reſp expectaveram (ut de *Cyclis* illis ingenioſiſſimis &c) illud quod deſideratur, temporum iniquitati, rerum omnium di tati, luctus domeſtici acerbitati (cui DEus opt. max. be medeatur) totum adſcribo. Belli metu & incommodis libe Daniam [quod ex *D. Brochmanni* oratione intelligo] libe mè audio & gaudeo. Nos hic interim piratarum metu & dine, ut anteà nunquam, [ſi proximum biennium ab diris maleficiis elapſum excipias] diſtinemur. Sed DEus & exoratus providebit.

Rediit ad me Opus veſtrum Runicum bona fide a G ro *Biörnonis* exhibitum [cum literis] in an. ſeqventem D Fautoris juſſu detinendum. Sed abſque fœnore, ita me ament: Adeò enim elaboratum exiſtimo [nunc qvam ſup Anno maturius allatum] ut vix ſperem vel minutiſſimum juſſu & voto Domini Fautoris annotari a me poſſe. Inte lectione eorum, quæ capere poſſum, Autori parebo: qvid ad meam ignaviam Hebræis & Græcis fontibus eruta diſſimulare non poſſum, qvod ad expoſitionem *Kimkii* (veſtra eſt) vocis, *Rinna*, contra *Etymologiſtam*, neſcio directam, noſtrum doioma valde qvadret, ſi alterum *n* adi & *R* initiale ad noſtri ævi conſvetudinem non aſpiretur; avis noſtris uſitatiſſimum fuit, qvòd *R* & *L* vix unquam bant initiales ſyllabæ. *Rina* igitur (modernis *Hrina*) vo tionem profundo pulmone emiſſam (tali affectu qvem n non literarum ductum, ſive *Runas* denotat. Pluraliter (vel *hrinur*) ɔ: vociferationes, a verbo, *eg Riin* (vel ɔ: *clamo, vociferor*, etiam incondita voce, qualis eſt eq ferocior hinnitus, ſuum acerbior grunnitus &c. qui les voces non edunt. Sed iſta ſaltem; jam vacat.

Si pro *Illbugone* ad ſuperiorum literarum vota aliq tineri poſſet, Deo ità diſponente, licenter accepto.

iſſis ipſe ego, ad mea obtinenda, vel potius retinenda, con-
ato Magnific. Domini Cancellarii favore, mox egeam.
it enim (ut fama muſſitat) qvi meis commodis inſidientur,
lam, & medicamenti panchreſti interventu, Verris alieujus
r, Seculares noſtros delibuturi, ut id qvod Regis clemen-
im obtinui (parochiolam) poſtea jubente Rege, ut Domini
randi coadjutorem agerem, partito cum Sacellano eodem
lio; & hic in vicinia tenuiſſima conditiuncula conceſſa, nunc
itrum deſeri jubeant: Qvi ſucceſſus ut illis non procedat,
tent, magnopere Dn. meum Fautorum apud Dn. Magnif.
ellarium providere rogo. Negotium iſtud non diſtinctius
mo, ſperans rem per juris aut proceſſum aut prætextum
lam; ubi ſi viribus, non juribus [ut ita ſolet] vincar, ap-
ioni locus erit: Nec enim me, etſi annoſum & pannoſum,
n tamen experientur.

Vitam Du. Gudbrandi p. m. noſtratis Epiſcopi deſideratiſſimi
Thorlaco edendam, ſcripſi & in manus tradidi. Iterum vale.

CCCXXI.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

bona fide *Literaturam* meam *Runicam* accepiſſe ex ani-
mo gaudeo; nec dubito, qvin jam egregiis tuis obſervatio-
ış & notis locupletata, ad me ſit reverſura. Singularis
tua, toties mihi jam probata humanitas, & Patriam ju-
ſtudium indefeſſum facit, ut de voluntate tua nihil dubi-
multa mihi jam pollicear, non ſine honorifica tui mentio-
is inſerenda locis. Pro *Illugone*, magnatibus noſtris igno-
otinere nihil licuit. Sed te de tuis reditibus ſecurum plane
eſſe Magnificus Cancellarius; ſe vivo, fruſtra laboraturos
s tuos ſive æmulos ſive adverſarios, certo promittit, ini-
ratus, Virum de Patria, de bonis omnibus tam bene
im, a qvoqvam premi, multo minus opprimi. Primum
Crymogææ librum, inter alia antiqvitates ſtatumqve comple-
a Regni noſtri, in Belgis elegantiſſimis typis nuper edidit
Stephanus Johannis noſtras, neſcio, an videris? Vitam Dn.
randi, a te conſignatam, videre unice geſtio; ſi veſtra eam
ſlerint præla, ab Epiſcopo *Dn. Thorlaco* exſpecto. Nu-
ıcas Runicas tanta commendatione vir tantus qvod digne-

U tur,

tur, gratias ago ingentes; ut & cum pró cæteris in meritis, tum pro tranſmiſſa effigie, mihi auro cariore, ac i κειμήλια mea diligenter reponenda. Vale, amice deſiderat me, & diu Patriæ bono vive ac vige. 1630.

CCCXXII.
ARNGRIMUS JONAS
D. Olao Wormio.

ÆTas & ſcribendi deſvetudo faciunt, clariſſime Dn. Do Fautor omnibus modis honorande, qvod humaniſſi literas tuas his incultis pro temporis & occupationum rati excipere cogar. De eo tamen minus ſolicitus, ſi expectat Domini Fautoris ulla in parte, in relegendo Opere *Runico* ſi facere potuiſſem. Qvod tam longe abeſt, qvam qvod giſſime.

Delphinos enim natare doceat dotetqve Argum oc qvisqvis ad Runas *Wormianas* aliqvid momenti afferre ter Qvid igitur a me talpis cæciore hic expectari poterit. Det igitur Opus Runicum tot menſibus, cum nulla reſtitu copia daretur; ſed absqve fœnore ad Autorem redituro. I rim ſumma cum admiratione & delectatione ex his, qvæ cunqve capere potui. Ut vero qvam ſim notarum & obſerva num inops appareat, ſeqventia exaravi; qvorum, niſi can Wormianus aliud ſvaderet, me puderet merito.

Cap. II. (*Niſi obſtare videtur, qvod a Runa extet d nutivum Rulla, vomeris detergendi inſtrumentum*) Si *Rulla* f ram habeat aut triqvetram, aut etiam ſtimuli cuſpidati (ut *Pl* minus obſtare videtur, cur a telo ducta ſit appellatio methap tica, & *rullæ* interim ſua conſtet ſignificatio. Erat mil qvoddam genus Veteribus, qvod triangulum qvempiam rep ſentaſſe crediderim; illis Gaſlok.

Cap. V. (*Voce Runer adeo delectati ſunt Veteres, ut pro mulierum nomina inde deduxerint, ut apparet in Guthrun*) A ri poterit, ſi libet, hic paragraphus pluribus mulierum prop ut Hugrun (Hugur *animus* eſt) item Solrun, & reliqva, anni ſuperioris Notæ ſuppeditant. Qvin etiam reperiuntur rorum propria a Runis deducta: ut *Runulfur*, ex duobis i

conſtatum: videlicet *Run* & *Ulfur*, lupus. Hujus diminutivum eſt *Runke* etiam, qvaſi blandientis, ut a Peiter Peiterken, manis. Qvid? annon etiam in media Germania ejus veſtigia extant: Ut *Run-ger*, veteribus *Run-gen*, ſimiliter duobus integris ut Runulfus. Etenim *Geir* ſimplex, viri eſt prium, enſem vel gladium denotans.

Cap. eodem [*Guthrunus, ſuſcepto baptiſmo Ethelſtanus Rex ...iæ* &c.] Guthruni ejus nomen ignotum prorſus eſt: Qvi, ...terim Regnum Angliæ aliqvando adeptus eſt, crediderim ...oſtris Antiqvitatibus *Adalſteinum* vocari, qvi filium *Haraldi ...ricomi*, Norveg. Regis, in Regia ſua educari curavit. Unde ...*vinus* ille Norveg. Rex poſtmodum *Hacon Adelſteins Föſtre* ...us eſt qvaſi *ab Adelſteino nutritus*. Porro ut dictum, *Gu...mi* nomen nobis ignotum, qvum *Guthrunæ* appellatio omni... ſit freqventiſſima.

Ibid. (*Neſcio an eadem, de qva Arngr. Libr.* 2. *Crymog.* ...) Paginas libelli iſtius citare, ob Typographi incuriam ...is turbatas, minus tutum eſt. Sed chartulæ in Alphabetum ...ibutæ (& libri ſecundi Genealogiæ, loco capitum) commo... allegari poterint: *Gudrunæ* igitur peſſimæ fœminæ; ſed ...ili Baronum Norv. ſtemmate oriundæ, ſed in Islandia natæ ...tio fit, *Crymog. Libr.* 2. *Genealogia* 8. *T. ult. pag. priore.* Cu... dolus erga *Kiartanum* e medio tollendum ſuperius ibidem ...itur, *Genealog.* 4. *ſ.* 3. *pag. Poſteriore.* Vixit autem *Kiarta...* [ut ibidem legere eſt) ac proinde iſta *Gutruna*, tempore ...i *Tryggonis* Norv. Regis. Nec idcirco eadem cum illa ...*onis libr.* 8. commemorata fœmina Danica eſſe poterit; ...e verba illa (*Neſcio an eadem* &c.) commode omitti ſunt.

Cap XI. (Sprengd Mans Hök) Dicterium illud v... ...enus ita redditur:

Ruptum *viri mentum*.
Sprengd Mans Hök [vel] Haka
Averſatus eſt igitur pilam.
Flyde tol Böll.

Innuit autem qvempiam *pilæ ludo mento vulneratum, pilam* pilæ ludum *fugiſſe* vel averſatum eſſe. Eſt autem, Sprengd, ...rticipium præteritum a verbo, at Sprenge, varie uſurpato ... Sprenge Bulle i. e. *aperire hulcus*. Sprenge Blaſen i. e. ...*mpere veſicam*; ſic at Sprenge Pannen: hagen: eſt pro *vul-*

 nerare

nerare (non vel gladio vel enſe) ſed obtuſo aliqvo & duro interim corpuſculo, ut pugno, ligno, lapide, pila, qva olim lignea, non ſcortea uſi ſunt, illis **Knöttur**, unde **Knotleiken** i. e. *pilæ ludus*.

Exempli gratia, qvum nihil haberem, hæc tetigi: Qvibus etiam addo: poſt datas ultimas, ſeveriore & ſagaciore indagine apud Runiſtas noſtros, Runarum qvandam appellationem, extra ſuperiorem Runarum catalogum, emerſiſſe: Videlicet Dum-Runer, qvaſi *mutas Runas*. Nam dum, vel dumbe, *mutus* eſt. Dum-Runæ, nobis nova appellatio, Harum appellationem dum intentius cogito, videntur illæ Maal-Runis, a *ſermone* vel *loqvela*, rectiſſime opponi. Non qvod mutæ prorſus ſint, ſed qvod minus qvam *Maal-Runæ* loqvantur. Hinc primam Theſin, in ſuperiore Runarum diviſione paulo aliter informandam cenſeo. Ita fere:

Runæ dividi poſſe videntur in *ſcriptas* & *non ſcriptas*: qvas *Klapp-Ruuas* vocitant.

Runæ *ſcriptæ* aut ſunt *Maal-Runæ* aut *Dum-Runæ*. Hæ *mutæ* (inſtar mutarum conſonantium,) illæ *vocales* vel *loqventes* exponi poſſunt.

Maal-Runæ, ſuperioris anni notis, qvod ejus fieri potuit, explicatæ, ut etiam ipſæ *Klapp-Runæ*, hic repeti neqveunt. Superſunt itaqve *Dum-Runæ*, ſuperioribus illis opportune inſerendæ.

Dum-Runas igitur a vocaſium freqventiore Ecclipſi dictas exiſtimo. Conſtare enim videntur utplurimum ex ſolis fere conſonantibus, nulla ſæpius expreſſa vocali (niſi ubi vocalis ſola qvandoqve ſyllabam efficit) qvæ tamen Vocalis ex poteſtate [non autem nomine vel appellatione] conſonantis (ſive ejus mutarum numero illa ſit, ſive ſemivocalium) intelligi & exprimi debet, ut ſyllaba efficiatur.

Exempla ipſis Regulis magis diſerta erunt: Qvemadmodum in 2do latere *Monumenti Leriagrienſis* &c. ᚢᚦᛡᚱ Vocalis qvidem ᚢ exprimitur, qvæ facit ſyllabam cum ſeqvente conſonante [qvæ in tota *Literatura Runica* ſingularis eſt, qvam nec mutam, nec ſemivocalem dixeris] integram vero dictionem, *Udbar* legendam putant, eo qvod poteſtas literæ ᛡ [non vero nomen; *bagall*] vocalem *a* (ut *ha*) ſuppeditet.

Ita ſeqvens dictio ibidem ᛡᛒᛡᛋᛒᛡ fuerit *Habebasbba*. Niſi enim ita ſit (ajunt) vocem vel ſyllabam nullam illinc elici poſſe,

e. Illic ut ᛡ vocalem *A*; ita *B* vocalem *E* includit, ra-
it dictum, poteſtatis, non appellationis (*Eiarkan* & *Hagall*)
ex his reliqvum iſtius dictionis patet. Interim voces iſtæ
penitus ignotæ ſunt.

Hic porro ſcribendi modus, dum vulgatis Runis ſive Ru-
eris conſtat, minus negotii fecerit, vocalium illam ecclipſin
m occultationem vel interclusionem illam vocalium vo-
iceat) obſervantibus. Ut vero peregrinas Runas accer-
unarum varietate ludit, plerisqve hodie inextricabilis eva-
æſertim ſi qvid lingva etiam peregrina (Hebr. Græc. Lat.
) admixtum exaretur, id qvod occultationum & involucro-
dioſos affectaſſe & factitaſſe nullus dubito: & res ipſa for-
qvetur. Interponere hic conjecturam liceat.

lummos, arma, clenodia, imo auri bonam copiam con-
variis monumentis veteres invidiſſe poſteris, etiam
s & agnatis: eoqve non ſemper propriis ſepulcris con-
ſed nunc hic, nunc alibi ſatis profunde defodiſſe, aut
iltis demerſiſſe.

Qværam nunc à ſagaci Lectore & talium rerum æſtimato-
on poterit circa literam vel literaturam Runicam idem
e, ut admiratione & impoſſibilitate qvadam legendi, vel
aſſeqvendi, voluerint ſibi æſtimationem & ſcientiæ opini-
conciliare.

ut hoc non in omnes cadat, qvorum monumenta faci-
lvuntur; fuiſſe tamen hoc ingenio & animo præditos ali-
ibus inextricabilia illa adſcribi poſſint. Sed qvid ine-
o & ſolitarius conjiciam?

Qvod jam de 2do *Latere Monumenti Leiragrienſis* dictum
m de primo latere ejusdem valere volunt: Non poſſe
ratione ſyllabas aut dictiones indidem erui.

Qvod latus, in bene prolixa inſcriptione duabus ſaltem
is aliqvoties expreſſis conſtat: nempe ᚢ ſepties &
i tantum ter: punctato autem ſexies iterato. Siqvidem,
nudarum conſonantium congeries muta & alogos

ed & prius illud *Monumenti Leiragrienſis* latus præter
unarum naturam, h. e. Vocalium freqventiorem (& ali-
nuatam) illam qvam vocavi Ecclipſin, duas inſuper re-
ectori objicit: Lingvam [ut autumant] 1. peregrinam,

 & for-

da in laude ponenda, & neſcio cujus literaturæ exempli
ſanda.

Redeo ad 1. Latus *Monumenti Leiragrienſis* (ſi d
errem, Dominus Autor corrigat) cujus primam diction
„ ſtri (qvos vocavi) Runiſtæ legunt *Rhamdhqt* [obſervat
„ licet ſuperiori regula,] & ſeqventes ita *Beharut*;
„ *hamplet*, *hebadem* [putant valere, *eadem*] *mibam* [put
„ lere *meam*] [tum voculam ſeqventem intactam relin
„ ſeqv. *halham*, *miba*, *Rux*, *hambardhad*, *mufeldhakam m*
„ *berg*, *meba re dumru per aeer n*.

Eſt autem *Idberg*, *Idbiorg*, Islandis nomen fœmina
fœminæ monumentum illud putatur.

Hæc omnia ex lingvis peregrinis petita & literis,
bitu excogitatis obſcurata eſſe firmiſſime ſtatuimus. Q
acumen Wormianum lucem aliqvam adferat, non fac
exemplaris expertes ut nec editi 1. libri *Crymogææ* in Bel
jus exemplar avidus expecto, qvod niſi per *D. Wormium*
gat nunqvam continget. In omnium rerum difficult
exaravi, nautis ſub ipſum abeundi tempus appellentibu
& calamus & atramentum me deficiunt.

Multa adhuc ſcribenda forent: & ego dum am
literis ſcribendis inhæreo, voluptatem aliqvam percipio
qvam priori pagina attigi, nautarum obſtat importunita
etiam deplorata. Nam mora, qvam hic faciunt, in a
& redeundo, ac rurſus adeundo, tota conſumitur procul

Valde doleo, non datam occaſionem exemplar *Crymogææ* videndi ante editionem Belgicam: tot enim & tantis ſcatet rratis typographicis, ut me primæ editionis pigeat. Interim atæ editionis ſi a *D. Wormio* fiat copia, erit longe gratiſſimum. ro favoris aura, qvam a magnif. Domino Cancellario literæ Vormianæ ſpirant, in conſpectu Dei ero utriqve gratiſſimus. Iabebit Vir ille, utut excelſus, in hoc humillimo cliente, ar-dentiſſima pro ipſius Excellentia ad Deum vota. Majorum eſt niſereri. Interim conſtet, nihil hoc anno tentatum contra mea commoda. Sed ſuperiore anno Præfectus datis literis, ſatis humanis, aliqvid attentavit. Nihil tamen ille, pro qvo tum intercesſit, hactenus obtinuit, nec, ut ſpero, obtinebit. Vale Vir Cl. 17. Auguſt. 1630. Dat. Melis Midfiordenſium, in Islandia Boreali.

Deſii eſſe inſpector Islandiæ Borealis, poſtqvam Epi-ſcopum *Dn. Thorlacium* nacti ſumus. Unde hic titulus mihi non competit.

CCCXXIII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

PRo notis Tuis in meam *Literaturam* gratias ago ingentes, operamqve dabo, ut omnes Literaturæ noſtræ ſtudioſi ſciant, ngenue me fateri, per te me tantum profeciſſe, qvod non ſine onorifica tui mentione publice extare volo. *Crymogææ* tuæ editionem Belgicam curavi ut Auctor Ipſe ad te mitteret: qvod ltro ac lætus facit, eo qvod vir ſit antiqvitatum noſtrarum ſtudioſiſſimus, qvi tuam vehementer expetit amicitiam & operam. rofeſſorem jam agit Eloqventiæ in nova noſtra Sorana Academia. Occupatiſſimus hæc ſcribo, te jam longe ac qvam optime valere jubens. Prodierunt hiſce nundinis Commentaria ꝑſta Joannis *Iſaaci Pontani* de *Hiſtoria Danica*, in qvibus tui entionem crebro facit honorificam; ſed circa finem, de *Islan-dia* agens, ſuas redarguit (modeſte tamen) rationes, qvibus

Thulen eſſe Iſlandiam negas. Sed mihi omni ex parte non ſatis facit. Vale. 1631.

CCCXXIV.
ARNGRIMUS JONAS
D. Olao Wormio.

S. Clariſſime Dn. Doctor, Domine & fautor multis nominibus honorande, colende. Nihil porro eſt novi, qvod ad *Literaturam Runicam* afferri poſſit. Qvin potius Opus iſtius Literaturæ Wormianum, ſive jam editum, ſive edendum, expecto: utpote ipſius ſcientiæ Runicæ apicem, a nullis prætereà tentandum. Huic ſi Dn. Fautor adjungat exemplar *Lib. I. Crymog.* in Hollandia nuper excuſi (qvod indicatum fuit anno ſuperiori & ego tum obnixe rogabam) erit inprimis gratiſſimum. Intelligo prodiiſſe *Hiſtoriam D. Pontani Danicam* (Danice an Latine, neſcio:) Facite, Viri longe Clariſſimi, abſentem amiculum harum rerum non tantum conſcium, ſed etiam compotem per exemplaria compacta. Mercator ſolvet. Nos qvibus malis premamur, ad Clariſſ. *Finkium* attigi, ut & ad Rev. *D. Reſenium.* Jam vero Dn. *D. Wormium* ſupplex rogo, ut Laconiſmo meo ignoſcat, atqve paucula hæc ne deſpiciat. d. 7. Auguſt. 1631. Ex Iſlandia Boreali.

Vitam Rever. *Dn. Gudbrandi*, p. m. typis Hamb. exſcriptam, memini Dn. Fautorem poſcere: ſed an exemplaria inter Dn. Dn. Profeſſor. Haſn. diſtracta ſint, nondum certior factus ſum. Tot autem & tam magnis mendis Typogr. chartæ illæ ſcatent, ut me illarum pigeat. Dn. Superintendens Exemplaribus abundat, ut cujus nutu iſta Hamburgi edita ſint.

Herba, qvam alii *Indicam*, alii *ſanctum* (vulgus Tobak) alii *Nicotium*, & *Nicotianum* &c. vocant, qvid præſtet, per tubulum (intruſa) hauſta, ita ut fumus per os & nares exhalet, libenter proximis a Dn. Fautore edoceri cupio, & qvæ doſis, ac qvoties [jejuno an aliter] iteranda, eo modo, qvem ex nautis didicimus

nus. Alii fumum iſtum ita hauſtum dicunt capiti & pectori prodeſſe. Alii buccellam maſticatam probe & deglutitam ajunt alvum reſolvi, & etiam per vomitum purgare. Hæc eſt medicina nautica, ex hac herba lora confecta afferunt, & pro ubuli uſu, minutim confecta & denuo exſiccata, ut ignem concipiant.

CCCXXV.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

Doleo, *Arngrime* amiciſſime, meas anno præterito ad te non delatas, iis enim adjunctæ a *M. Stephano Stephanio*, qvi tuam edidit in Belgio *Crymogæam*. Tradidi eas Civi cuidam noſtro *Jacobo Petri*, qvi diu in Islandia vixit, & Epiſcopo veſtro ſemper familiariſſimus extitit. Cum hac de re ipſum hic convenirem, dixit, ſe ad Epiſcopum Veſtrum & tibi & aliis amicis deſtinatas ſimul miſiſſe. Forſan jam exhibitæ ſunt. Has per Dn Gislavium, nuper hic in Epiſcopum Scalholtenſem ordinatum, tranſmitto, idqve juſſu Magnifici Domini Cancellarii, qvi petiit, ſibi *Cantilenas* priſcas hiſtoricas, tam in *Hiſtoria Norvagica* qvam alibi extantes, (Kiolbunga Viſer, ni fallor, vocant) cum interpretatione integras transmitti; qva in re ejus Magnificentiæ operam tuam ſi addixeris, gratiam inibis ſingularem. De eo, velim, te etiam cum *Dn. Magno Olavio* conferre, cui, cum ordinario mercatore, etiam juſſu Magni Cancellarii, ſcribam. Qvod ſi hiſce *Cantilenis* notulæ addi poſſent, ut harmoniæ qvoqve conſtaret ratio, eo forent gratiores. *Literatura* mea *Runica* nondum lucem vidit. In monumentis priſcis enucleandis jam verſor, in qvibus præſentem tuam implorarem operam. Specimina qvædam hiſce adjungo, de qvibus tuam avidus exſpecto ſententiam, ut & de baculo, apud nos invento, cujus exactam delineationem in ligno, ejusdem magnitudinis, qva verus conſpicitur, tranſmitto. Ad proximas tuas, cum ordinario mercatore, Chriſten Joenſøn, Deo volente, uberius reſpondebo. Hæc ſaltem, ut mature Dn. Cancellarii mandatum inſinuarem, feſtinus exaravi, Vale. 1632.

CCCXXVI.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

QVamvis, ante dies non ita multos, per Dn. Epiſcopum ad te ſcripſerim, non poſſum tamen, qvin iterato te jam compellem, & ea paucis addam, qvæ in proximis meis deſiderare jure poſſes. *Pontani Hiſtoriam*, ut & *Crymogææ* tuæ editionem Hollandicam mitto; illa 5. thaleris imperialibus, hæc tribus conſtitit marcis, à mercatore ſolutis, *Literatura* vero mea nondum lucem vidit, nec ſcio, an brevi viſura; ubi prodierit, actutum ejus participem te reddam. Mitto *Norvegiæ Topographicam delineationem*, hic nuper excuſam. Mea cura, ſub prælo fervet *Snorronis Sturlæ filii Hiſtoria Regum Norvagicorum*, cujus, qvantum perfecit Typographus, tantum addo, ut, qvid de ea Verſione tibi videatur, mecum communices, ac ſiqvid ad ejus illuſtrationem teneas, publicæ utilitati haud invideas. Opus abſolviſſe non videtur auctor; in noſtro namqve codice ultima *Hiſtoria* eſt *Haqvini Haqvini filii*: reliqvæ deſiderantur. Qvas ſi ad *Margaretam* usqve habere liceret, opus extaret omnibus numeris abſolutum. Si igitur in pluteis tuis qvempiam habueris, qvi *Snorronem* noſtrum continuaverit, boni publici ergo, ut communices, rogito. *Nicotianæ Hiſtoriam* perſecutus eſt *Cluſius*, & nuper integro Commentario Bremenſis qvidam, *Johannes Neander*. Planta eſt frigidis & humidis conſtitutionibus apprime ſalutaris, modo uſus ejus fuerit moderatus, ut aliorum medicaminum. Per tubulum hauſtus ejus fumus, more nautis conſveto, pituitam e cerebro & organis ſenſuum evacuat, cerebrum exſiccat, catarrhos & deſtillationes tollit: Per noctem in vini hauſtu macerata qvantitate nucis moſchatæ infuſioni vim largitur emeticam; ſed in ſubſtantia, neſcio, an tuto intra corpus ſummi poſſit. *Cantilenas*, de qvibus nuper ſcripſi, ut & *Schioldungicas narrationes*, avide exſpectat Cancellarius. Fac igitur voti per te ut reddatur compos. Patronum ſingulariter tibi hoc officio demereberis. Vale. 1632.

CCCXXVII.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

PEculiare negotium, & ipſi Epiſtolæ ſubtractum, peculiari continebitur chartula. Eſt autem ruſticum, de piſcium qvorundam captura longe difficillima. Eſoces ſunt vel Salmones, interdum mugiles: ſed omnium hac ætate valde rara captura: in amnibus vel rivis: nulli fere in mari: niſi qvi in ipſum littus reti extrahuntur. Salmo hamorum ineſcatorum ſtructas inſidias ſpernit. Amnes autem qvibusdam locis ſtagnant vel leniter fluunt: alibi torrentem rapidiſſimum efficiunt interqve inacceſſos ſcopulos ruunt qvam fluunt verius. Aſt piſces huc vel maxime congregantur. Unde ſi ullo conſilio aut ratione abigi poſſent in alium piſcationi commodiorem locum, alicui emolumento nobis foret. Hæc nuper ut mecum revolvo; in mentem venit de herbis, qvarum alias piſces odoratu allicere Phyſici tradunt: alias arcere eosdem. Qvale etiam de Caſtoreo ſcribunt, qvod balænas, abigat. Similia ſunt, qvæ de herbis hic meminiſſe juvat: Iʼχθυέθηρος (dubium Lexicis, an Iʼχθυόθηρον) herbam eſſe ad piſces necandos idoneam, qvam Romani *Raptum terræ & umbilicum terræ* vocitent. Item *Lactucæ* ſponte naſcentis primum genus eſt ejus, qvam *caprinam* vocant, qva piſces in mare dejecta protinus necantur, qvi ſunt in proximo. *Plin.* libr. 20. c. 6. & Lib. qvoqve 25. c. 8. *Piſcatores Campaniæ* (inqvit) *radicem eam (Ariſtolochiæ rotundæ) qvæ rotunda eſt, venenum terræ vocant, coramqve nobis contuſam, immiſta calce, in mari ſparſere: Advolant piſces cupiditate mira, ſtatim exanimati fluitant*, & ſimilia: Qvæ non tibi, Domine D. ſcribo, qvi Naturæ cunctam aſt variam ſuppellectilem, & ſecreta, uno contuitu diſcreta tenes; ſed ad refricandam hebetem mihi & collapſam memoriam. Et ut ad iſtam rem conſilium aliqvod ac pharmacon conficiatur, ad piſces odoratu ſuo vel enecandos (ſi poſtea in cibariis innoxii ſint & ſine veneno) & inebriandos qvaſi: vel e locis intricatis & pene inacceſſis arcendos, vel qvo commodum ſit, alliciendos & congregandos. Et cur non poterit tale pharmacum ſæculo

culo vel pertuſa arcula, vel corbe raro vimine contexto, in aqvam demitti, & impacto fune retrahi. Nam ſi piſcibus projectum in cibum eſſe deberet, vel guſtum &c. magna copia opus foret. Solvet autem Mercator vicinus, ſiqvid tale venale procuretur; idqve ad Domini Doctoris præſcriptum. Hæc ita feſtinanter, qvibus ut ignoſcatur oro. 25. Junii 1632.

CCCXXVIII.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

Binas hoc Anno abs H. T. Clariſſ. Domine Doctor, Domine & Fautor exoptatiſſ. accepi literas, ſingulari favore, ut ſolent, refertas: priores qvidem miſſas per Dn. *Gislaum* Epiſc. Schalhollt. Qvibus tum ut & ſuperioris anni literis intempeſtive ſane poſt omnium navium diſceſſum) e veſtigio reſponſum. Scripſi diligentius de ſingulis, tum qva Magnif. Dn. Cancellarii poſtulatum de Skioldunga Viſer: tum qva Dn. Fautoris voluntatem de *bacillo Runico* & adjunctis *aphorismis* etiam *Runicis*. De his qvidem; judicium de coloribus a cæco peti (qvod antea Domino meo ſatis conſtat:) qvamvis interim ſumma T. eluceſcat humanitas, harum rerum mecum aliqvid conferre dignantis. Dabo autem operam per hiemem, ſi diligentiſſ. inqviſitione facta reperiatur, qvi ex intricatiſſ. iſtis aliqvid conficere qveat, ut id qvicqvid erit Domino Fautori proximo anno innoteſcat. Ubi interim monendum, noſtros homines timidius mentem vel notitiam ſuam aperire: Qvod Runica tractantes in ſuſpicionem magiæ veniant, præcipue apud Præfectos Danicos, & parum abſit, qvin in qvæſtionem arripiantur. Idem de Saxis Runis inſcriptis, qvorum typum annis ſuperioribus miſeras, dicere habeo. Nempe ſuſpicionem illam a qvibusdam in excuſationem prætendi: ſic qvidem illi: ſed ego literaturæ iſtius meram ignorantiam interpretor. Jam de *Scholdungorum Rythmis* etiam reſpondi: eos hic, qvod ſcire adhuc poſſim, ne qvidem fando auditos eſſe. Interim *Chronico Regum Norv.* Affixi qvi apud vos reperiantur, interpretor eſſe Regum encumiaſtica Carmina: Nam a *Schioldo* illo Dan. Rege factum eſt appellativum, ut omnes ubiqve Reges,

, noſtra lingva præſertim Rhythmiſtis, *Schioldungar* dican.
. Qvod ſuperioribus meis literis, per Dn. *Gislaum* procuran-
, inſinuaveram. Sed nuperime audivi vixiſſe in remotiſſimis
ſtris oris anum qvandam, hujusmodi antiqvitatum non igna-
n. Ea ſi adhuc vivat, mittam nuncium, eumqve poëtam,
i talia ab ipſa percontetur; qvod hactenus, per temporis
guſtiam, minime omnium fieri potuit. Optaſſem iſtorum car-
num exemplar, ac inprimis autographum, ad me miſſum fu-
. Nec qvod ad *Snorronem* noſtrum [an veſtrum potius, qvi
s lucem & ſe ipſum profunda oblivionis nocte erutum, debe-
] continuandum puto apud nos repertum iri. Reges ab *Ha-
ino Haqvini f.* ad *D. Margaretam*, in *Crymog.* nomine ſaltem
tati leguntur. Et ego exiſtimo aliqvid ſimile ex Norv. monu-
ntis a Dn. *Hvitfeld.* editum Danice, *forma*, ut vocant, *Octa-*
. Sed qvid eſt, mi Domine Doctor, qvod iſta hic qværantur,
m Norvegiæ Topographus (an v. veſter Bibliopola) qvem
nigne communicaſti, abſolutiſſ. Norv. R. R. hiſtoriam polli-
itur in Epilogo operis? illinc igitur hæc petenda ſunt. Nam
i vobis iſta inviderem? utinam haberem ſaltem. Qvicqvid
rum compilaveram, de mandato Regis Sereniſſimi, ad Hiſto-
um R. Doct. *Nicol. Kragium* olim miſeram: prout ſuperio-
ıus annis, cum beneficium aliqvod a Reg. Maj. peterem, inſi-
atum. Nec ullum mihi eorum exemplar reliqvum. Qva-
niones aliqvot ad Hiſtor. Nor. a Dn. *Hvitfeldio* editam, cu-
modo memini, notata continentes, pluteos everrenti
vii fuerunt; qvorum jam piget & pudet. Qvos mit-
tamen ea lege, ut inſpecti aut Vulcano tradantur,
t mihi remittantur: nec ullius niſi ſolius D. *Wormii* conſpe-
m ſubeant. De D. *Pontani* Opere Hiſt. Dn. Fautoris opera fa-
m me voti compotem, gratias ingentes ago: qvamvis tam
lo opere, tam gravi Hiſtoriographo ego indignus ſim. Nec
; aliud qværo, qvam qva ratione meam & plurium ſenten-
m de *Thule*, qva Islandia non eſſe perhibetur, infringat, di-
rem. Qvas pagellas ex toto Opere vix inſpicere temporis
uria & miſeriarum noſtrarum plauſtra permiſerunt. Potu-
t autem magnus ille Vir meam ſententiam ſatis redarguere,
que tam gravi & tribunitia deciſione, qva *meæ narrationis* to-
fundamenta evertere ſatagit, alias indignum me nimis ho-
ifice compellans. Qvod ſi ipſius eruditionem vel minima ex
te fuiſſem aſſecutus, minimamqve partem ipſius auctorita-

tem

tem adeptus; oſtendere fortaſſe conarer, ſat mature & mea triumphaſſe ſententia. Achilleum ipſi argumentum eſt ab æra *Ansgarii*, & Diplomatibus Regis *Ludovici* & Pontificis. &c. Ad qvod ſi exceptio aliqva reperiri poſſit, non penitus meum fundamentum ſubrutum jacebit, ut ille loqvitur. Nam ad omnia alia facilior foret reſponſio, etiam aliqva, ex diſcurſu illo *Pont*. petita. Non minimum robur ſtatuit in iſto, qvod *Thule Ptolemæi*, & *Islandia*, ſub eodem ſint parallelo. Hic abs Hum. T. erudiri cupio, an Argumentum hoc ſit neceſſarium? Foret enim hæc propoſitio: *Qvæcumqve terræ parallelo conveniunt, eadem ſunt.* &c. ſed non eſt jam diſputandi locus, ac ne animus qvidem.

Supereſt ut præfatus veniam, votum meum pro Dn. *Illbugone* hic renovem. Ille ad miniſterium Eccleſiæ a Dn. *Ottone* p. m. Epiſcopo Schalholltenſi, cum inſpectionem Diœceſis Holenſis, decumbente & tandem defuncto noſtro Epiſcopo, Dn. *Gudbrando*, ſolus ſuſtinerem, a me, ut meæ parochiæ labores ſublevaret, in Collegam adſcitus eſt: qvamdiu ſc. ego inſpectionis cura diſtinerer, ipſoqve propterea indigerem, ac ille agamus viveret. Suffecto autem in Epiſcopiam Holenſem Dno. *Thorlaco*, Collega ulterius non indigebam, & dictus *Illbugo* uxorem duxit; ita ut jam libros & familiam alere cogatur. Rogavi itaqve Dn. Epiſcopum, ut ipſius rationem haberet: nec qvod, dum Inſpectoris partes agerem, Collega mihi fuiſſet, ipſi fraudi foret. Verum bonus Epiſcopus auxiliandi moras nectit, qvaſi ego, qvi in meum ſubſidium nuper ruſcula pauca Eccleſiæ Holenſis, a Sereniſſimo Rege, impetrare opus habui, Dn. *Illbugonem*, meum antea Collegam, etiam deinceps ſuſtentare valeam. Fruuntur Paſtores qvidam tenuioris ſortis Annua Regis Sereniſſ. Eleemoſyna centum daleris conſtante, ipſis diſtribuenda. Sed iſtorum nemo eſt, qvi præterea vel parochiam unam & alteram, vel reſidentiam paſtoralem, qvantumvis tenuem, non habeat; hoc *Illbugone* excepto, qvi nec Eleemoſynæ parte, nec parochia ulla, nec paſtorali reſidentia ulla gaudet. Præterea ſunt ex Eleemoſynariis Paſtoribus illis, qvi Eccleſias Divitum adminiſtrant (Kaldes Bonde Kirker, ſom Riige Bøndere ere Patroni og Eyener Mænd til) ſatis locupletes, ita ut ſuum Paſtorem commode alere poſſint, ne aliis Eleemoſynam Regiam decerperent; qvanqvam harum Eccleſiarum

ſive

ſive patroni ſive poſſeſſores, ut ipſi jactant, id ita haberi malint, qvo ſuarum Eccleſiarum reditibus ipſi liberius fruantur. Hinc eſt qvod Dn. Epiſcopum rogem, velit ad Dn. *Illhugonem*, omni ſubſidio Eccleſiaſtico deſtitutum, aliqvam Eleemoſynæ Reg. partem pertingere: præſertim cum Diploma Reg. qvo Eleemoſynæ Regiæ diſtributio, pro ratione & inſtructione illorum temporum, continetur, in Epiſcopi arbitrio relinqvat, ut, pro varia temporum & perſonarum conditione, præſcriptam licet Eleemoſynæ diſtributionem, etiam de conſilio Præfecti provincialis, variare faciat. Epiſcopus autem, qvanqvam de hac re mihi humaniter reſpondeat, qvod nullus Paſtorum Eleemoſynam, hactenus retentam, libenter amittat: [tanqvam illorum arbitrii res ſit, etiam hactenus non raro mutata;] nihil exoratur. Ego igitur, pro dicto *Illhugone*, ſuperiorum auxilium implorare cogor, ut cum ipſo commiſerationem habeant: qvi nec docendi facultate, nec diligentia, nec probitate aliis ceſſerit, multos autem ſuperet.

Supereſt, ut Dn. Fautorem, adeoqve totam Domum Wormianam, Deo ter Opt. maximo commendem: utqve ſuum *Arngrimum*, jam ſenem, ſuo favore Clariſſ. Wormius nunqvam deſtituat, ad extremum rogem. V. 18. Aug. Melis Midfiordenſium in Islandia Boreali. 1632.

CCCXXIX.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

QVas ad me præterito anno dediſti literas, probe accepi omnes, easqve Magnifico Cancellario oſtendi, ut, me bona fide curaſſe ejus mandata, te vero ad exſeqvendum paratum, intelligeret certius. Ab Anu tua jam qvædam exſpectamus, ut & transmiſſorum dubiorum enodationem. Qvæ communicaſti *Hiſtorica Commentaria*, remitto, ſimulqve pro affectu gratias habeo. Extant eadem inter Manuſcripta noſtræ Bibliothecæ, unde in uſus meos aliqvoties deſumpſi; ac nolo tuis igitur ulterius te defraudare laboribus, ſiqvidem inde, cum lubet, petere mihi integrum ſit. Addo *Hiſtoriæ*, qvam ante annum miſi, *Norvagica*

gicæ ſupplementum, ſeqventi anno tuum exſpectans judicium. Magnificum Cancellarium in cauſa *Illugonis* conveni: ſe literis ad Præfectum Inſulæ ut & Epiſcopum Veſtrum effecturum promiſit, voti compos ut fieret. De Salmonum captura, qvæ expetis, talia ſunt, ut, etſi multa de ea ab Autoribus ſcribantur, talia tamen ſint, qvibus parum fidei tribuendum. Aqvis ſtagnantibus qvædam induntur, qvæ aut ſtuporem aut vertiginem inducunt piſcibus, qvi eſcam talem deguſtaverint; ſed in majoribus fluviis, aut impetu magno ruentibus cataractis, vix locum habebunt, eo qvod vis medicamenti, nova ſuccedente aqva, abluatur aut diſſipetur. *Ariſtolochia rotunda* (de reliqvis non conveniunt Botanici; Ἰχθυοθήρων maxima pars ciclaminum eſſe putat, non capiendis ſed necandis deputatum) mitto radicem, ut & baccas qvaſdam, qvæ præ omnibus in hunc finem commendantur; in pulverem rediguntur, cum veteri caſeo, melle & farina miſcentur, atqve ex iis fiunt pilulæ minores piſo, qvibus deguſtatis, piſces in vertiginem aguntur, ac manibus facile capiuntur. Apud nos Salmones non hamis, ſed reticularibus decipulis capiuntur, varie pro loci commoditate fabrefactis, de qvibus me melius piſcatores noſtri. Hæc, in ipſis Comitiis variis diſtrictus, ad tuas brevibus reſpondere habui. Vale. 1633.

CCCXXX.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

S. Excellentiſſ. Vir, Domine & Fautor ſummo æſtimationis affectu honorande. Mercatores noſtri Boreales, magnam æſtatis partem, glacie Gronlandica portu prohibiti, in Auguſto demum appulerunt. Litteræ redditæ: cum adjunctis liberaliter communicatis. De qvibus omnibus & ſingulis gratias qvas concipere poſſum maximas ex animo ago. Nam ut referendo ſim, vix unqvam ſperem; exhauſta hac hyeme tota fere Islandia, commerito (fateor) Dix. Majeſtatis flagello. Sed nunc ordine ad ſingula literis Hum. V. contenta: qvantum qvidem per miſerrimum & anguſtiſſ. temporis licebit ſpatium.

Evacu-

Qvacumqve ratione, Ao. ſuperiore aut alias, me indignum in Magnif. Dn. Cancellarii favorem inſinuare Dn. Fautor ſtuduerit; tam mihi gratum, qvam qvod maxime: unde etiam Magnificentiæ ipſius auram ad noſtrum *Hugonem*, Præfecto & Epiſcopo commendandum, ſpiraſſe intelligo, qvamqvam illud nec Præfectus nec Epiſcopus, ullo manifeſtiore indicio, hactenus deſignavit. Speramus tamen ſucceſſu temporis futurum: ut veſtræ benignitati tanto plus debeamus. Jam ad transmiſſorum ſuperius dubiorum enodationem qvod attinet, & qvæ Dn. Doctoris literæ commeminerunt, valde doleo me nihil afferre poſſe, qvum & bacillum & adjunctam literaturam multis oſtenderim. Nec facile hic repertum iri credam qvi explicet: ſed ſoli D. *Wormio* relictum eſſe. Etiam *Hiſtoria Norv.* Veſtra arte & judicio, in perpetuum Regni Norvagici ornamentum, concinnata, gratiſſima venit. Qvod porro meum judicium Ao. ſeqv. Dn. Fautor exigit, indignus ego & ineptus ſum, qvi in cenſu habear. ſed qvid mihi veſtra non tribuit Humanitas?

De ætate Dn. *Petri Cl. Undalenſis* (qvem jam in fata conceſſiſſe intelligo) certior fieri velim; Ad ipſius appendicem *Deſcriptionis Norv.* qva Islandiam & Gronlandiam tangit, qvædam annotanda forent, & tecum communicanda. Apparet enim Dn. *Undalenſem*, vulgi errore inductum, de *Thule* & *Islandia* in D. *Pontani* ſententiam deſcendere: qvamvis ut in his conceptis, qvæ nunc mittuntur Dominis & Fautoribus meis, D. D. *Finkio* & *Wormio* inſpicienda, qvibus ad ſubrutum (penitus) meum fundamentum aliqvid reſpondetur, non attingam.

Mitto interim, Viri Clariſſ. pagellas aliqvot, *Speciminis* titulo inſcriptas, Clariſſimo Dn. D. *Pontano* amice opponendas, circa *Thulen* & *Islandiam* etiam, ſi per ſuperiores liceat, aliqvando edendas. Nihil Qvæſtio illa, ſive negata ſive affirmata, veritati aut dignitati Hiſtoriæ Danicæ detrahit: Unde ſpero, ſupremum Magiſtratum non inhibiturum hujus libelli editionem, qvin miſeris Islandis ſuos Annales propugnandi libera relinqvatur venia. De qva re proximis a Dn. Dn. Fautoribus certior fieri cupio. Qvicqvid enim hic veſtra preſtiterit benignitas, ut a Præceptoribus & Magiſtris, humili ſubjectione recipiam.

Pharmaca Salmonibus deſtinata, vaſculo incluſa & Hiſpanica obſignata (ſic vocant, ut credo, Lak,) reddita ſed non radices, qvarum meminit Epiſtola: & mercato traditas negat, ſed hujusmodi, in media negotiorum turba, le negliguntur. Utinam reliqvis pharmacis aliqvid proficer monſtrarem ſeq. Ao. exemplum. Sed mellis nihil aff mercatores. Caſeum putridum forte noſtrates adhibere val Facillime, ut capio, horum uſum non eſſe poſſe niſi in ſtagnantibus.

Non jam ſinit 27. Auguſti Dominum meum ult interpellari. Qvo circa ad vota converſus Te feliciſſime v ex animo jubeo. Dat. ut appar. 1633. Melis Midfiord um ex Isl. Boreali.

Sed omiſeram de *Monocerote dimidiato*, qvorun clypeo, exhibito. Inſtrue, edoce & informa me, mi Dn. D hoc hieroglyphico. *Hieroglyphicorum* ſcriptores, præter *Pier* nullos vidi, qvi hic nimis parcus.

CCCXXXI.

OLAUS WORMIUS
Arngrimo Jonæ.

PEllegi per otium eruditiſſimam tuam *pro Thule Apologi* ſolidis adeo ſuperſtructam fundamentis, ut non videam, bus machinis ea evertere valeat adverſarius. Niſi enim omr antiqvitatem, omnem chorographiam, omnem gentis ve hiſtoriam, omnes locorum, portuum & prædiorum nomencl ras, de incolarum & inventorum nominibus & rebus geſtis a ſtantes, una litura inducere velit, vix hinc ſe expediet. S qvi, ante te, in aliorum ſententiis recenſendis, candorem in deſideraverint. Qvæ de *Grönlandia* ſcribis, plane docent, nachos iſtos Islandiæ nomen infarſiſſe diplomati, utinam non ſto. Qvid enim non tentarunt, ut Sanctorum ſuorum leg das redderent probabiliores, ac divis ſuis auctoritatem conci rent majorem. Formulam Diplomatis, ex *primo Tomo Hvit dii* deſumptam eſſe, liqvido ei conſtat, qvi antecedentia & co qventia plane ex eodem tranſlata vidit; Autographum vi

P

tanum, non credo. *Caſaubonus*, qvem mihi inter antiqvio
referre videris, recens auctor eſt; cum eo enim ante anno
citer 20. in Anglia familiariter non ſemel locutus ſum. Me-
de *Thule Scanica* non ſatis aſſecutus videris opinionem, ſi-
dem non Vir, ſed lapis monumenti dictus *Thule*. Fuit cæte-
qvi in Dania magnæ auctoritatis Heros, *Thule* Bogſön dictus,
qvo etiamnum cantillant noſtrates: Lever hand Thule Bogn
og det Tal hennes. *Telemarchiam Saxoni* non fuiſſe *Thu-*
colligere mihi videor ex ejus *libri gvi* initio, ubi exercitum
numeraturus, qvem contra Haraldum in aciem produxit Ringo,
Telemarchos a *Thylenſibus* diſtingvit & qvidem *Thelemarchos*
Norvegienſibus ſecernere videtur. Primo recenſet *Thelemarchos*,
os fortiſſimos vocat, mox *Norvegos*, hinc ex *Yathrica* regione
tos, demum a *Tyle*, cujus etiam pagos vel provincias qvas-
m enumerat, *Mithfridi* nempe, *Skierum*, *Scaba Fyrki*. Con-
e locum, ſi placet. Sed qvia omnia illa ex *rhythmis Starka-*
ri deſumpta fatetur, ſi illi adhuc ſupereſſent, rem omnem
peditam redderent, ac clare docerent, qvid per *Thylen Saxo*
ſter intellectum vellet. Inveſtiga, qvæſo, & ſi inveneris,
participem redde. Idem *Saxo* paulo ante in Haraldi exerci-
qvendam *Blend*, ultimæ *Tyles* incolam militaſſe refert. In
rnaculo qvid *Tyles* loco extat, doceri velim. Unicornu for-
udinis plerumqve typus fuit, vide *Pſal.* 21. *Eſaiæ* 34. qvan-
qve æqvitatis & integritatis, *Deuter.* 28. exultationis etiam,
alm. 91, 28. & 77. Pinxerunt veteres unicornem ſe in gremi-
Virginis demittentem, amoris vim indicaturi. Qvidam Pa-
, ut *Clemens VIII.* & *Paulus III.* in ſuis Symbolis unicornem
ixerunt, indicaturi exultationem, fortitudinem, juſtitiam &
iorem in ſubditos. *Sambucus* in *emblematis* depingit cum ho
nmate: *Pretioſum qvod utile*, ad vires, qvas ei adſcribunt,
ſpiciendo. Longum eſſet ſingula recenſere. Vale diu ſoſpes,
vive. 1634.

De *Undalenſi* hiſtoriæ Norvagicæ translatore qvæ habui,
lebis in præfatione circa finem.

CCCXXXII.

OLAUS WORMIUS
Arngrimo Jonæ.

NAufragio periiſſe ea, qvæ anno præterito nobis deſti non ſine dolore accepi. Non enim dubito, qvin ſi a nus noſtras veniſſent, grata multa, priſcam noſtram Lite ram illuſtrantia, vidiſſem, & *Apologiam*, ex voto edendam buiſſem. Nolui jam ſilere; ſed commune malum deplorans, re, iterare concepta ut haud graveris, & ut tantam jact minori moleſtia feramus, efficere. Fuit hieme præterita me Vir doctus, *Johannes Elichmannus*, Medicinæ Doctor, ſius, qvi totum ſe dedit Lingvis Orientalibus & Arctois lendis, & tua impenſe æſtimat, &, ut ad *Apologiam* (d ipſi multa dixi) edendam hortarer, petiit: Is tecum fami tatem per literas colere, me mediatore, geſtit. Priſcæ n linguæ multum tribuit, & cum Perſica ſummam habere affi tem ait, adeo ut ejus dialectum eſſe arbitretur, & Aſianos qvi huc cum Otthino venerunt, Perſas fuiſſe ſuſpicetur, ſe demonſtraturum promiſit. Ex priſcis locorum nominibus tua exprimit Apologia, ſe multum ſubſidii habiturum ſp Qvocirca ejus rogatu hæc ſcribere volui. Jam inter Litera Lugduni Batavorum degit, Vir candidus & modeſtus. Tuas fœnore, circa autumnum exſpecto. Vale 1635.

CCCXXXIII.

OLAUS WORMIUS
Arngrimo Jonæ.

QVid dicam? mi *Arngrime*, etiamnum ita ludit in manis divina potentia rebus, ut me plane tuo allo ſpoliatum velit? Capitur a piratis mercator noſter, eos mortem oppetit, nihil tuarum video. Heu, qvam infortunium! Nolui interim tacere, cum te locutum p confidam, ſed nil eſt, niſi *Literaturam* meam affectus in te teſtem ut capias, habeas, cenſeas. Memoriam tui colam ſ

ni

us, etſi manu & mente ſpolier. Interim tu favere perge, etiamnum aditum ad nos per literas moliri haud deſine. le. 1637.

CCCXXXIV.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

Audeo, ſvaviſſime *Arngrime*, tandem poſt tot naufragia & infortunia literas tuas ad me deveniſſe, una cum elegan- & nervoſo *Apologiæ* tuæ tractatu, qvem magna cum delectati- : evolvi, aliisqve amicis oſtendi. *D. Meurſio*, *M. Stephanio* nia arrident, qvi editam percuperent. Sed hæc eſt typogra- ɔrum noſtrorum ſordities, ut in proletariis qvibusdam char- potius, qvam in bonis auctoribus cudendis, operam locare lint. Fateor, tempora eſſe difficilia ob continuatum in Ger- nia belli tumultum, libros non diſtrahi, chartam care emi, devaſtatas molas chartaceas, omniaqve ferme ſepulta jacere rcimonia, ut non ſit de nihilo, qvod prætendunt. Ipſemet *eraturam*, meo ære eoqve haud levi, prælo ſubjicere ſum ctus, nec, qvi gratis excuderet, inventus. Qvocirca, qvod dum exſpectationi tuæ ſatisfiat, vehementer doleo. Reverſo nos Cancellario librum tuum tradidi, qvi eum adhuc tenet. ſan non abs re eſſet, eum per Epiſtolam a te rogari, ut editi- m procuraret, qvod ipſi futurum eſſet facillimum. Ex lite- tuis colligere non valui, meas anno præterito, una cum *ratura*, ad te transmiſſas, ad manus tuas veniſſe, qvas ta- i juveni Islando, *Svenoni*, Epiſcopo veſtro familiari, bona curandas tradidi. Si ad te non delatam ſcirem, iterato erem. Jam cape *Hiſtoriam Norvagicam* integram, qvam tis. Boni conſule, & ſiqvæ præterea in iis occurrant, obe- igna, mone. In transmiſſa charta, *Eddæ* auctorem videris ſtituere *Sæmundum Froda*, cum tamen *Crymogæa*, qvam ſecun- ſum *pag. 92. Snorroni Sturlæ filio* id operis attribuat. Qvid iendum, diſertius edoce, rogo. Percurrens *Apologiam* tuam, di in deſcriptionem glutinis cujusdam, qvo, loco atramenti, ſunt veteres. De eo ſi plura habeas, communica qvæſo; in- ito enim meo apprime inſervit. Qvod de *Balænarum* habe-

 dentibus

dentibus, mihi dubium ingerunt, annon hi iidem ſunt, q pro *unicornu* venditat vulgus, de qvibus vide, qvid comm tatus ſum ad diſputationem nuper a me hic habitam. Si tibi ſint, qvæ hiſce lucem afferre poſſint, communica qvæ plura enim de iis meditor. *Epitaphia* tranſmiſſa excudenda ravi, qvæ una mittuntur. Typographi addo ſchedulam, qvantum expoſuerim, videas. Mercator tamen veſter n mox ſatisfecit. Vale, mi *Arngrime*, & qvam diutiſſime ge. 1638.

CCCXXXV.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

Literam noſtrarum, aliqvot retro annis fatum ſiniſtru licet fruſtra, multum deploravi (neqve enim absqve n datis annus præteriit) & etiamnum deploro, utpote non m Dn. Fautori moleſtum, verum mihi qvoqve damnoſum, ut ob meas licet datas, aſt non acceptas, de favore T. pericli poſſem, niſi ſuperiore Ao. 1637. oblatæ inſperato Hum. literæ aliud ſvaderent, meqve in ſpem meliorem erigen De qvibus idcirco ſummas ac infinitas ago agamqve grat neqve minores de adjuncto literis munere chartaceo, Op videlicet *Literaturæ Runicæ* conſummatiſſimo, planeqve divi & cujusmodi a ſolius *D. Wormii* genio expediri & expectari terat; canente veriſſime *Weſthovio.* Qvod vero inter nobili artis ſuæ encomia meum illud ſalebroſum Epigramma loc habere Dn. Fautor paſſus ſit, præter ſpem meam eveniſſe c teſtor: ac interim, qvia publicum jam factum eſt ſummæ I manitatis T. argumentum, acqvieſco. Jam qvod cenſur me poſcit &c. Vir tantus; inter impoſſibilia cenſeri pote Nam

Si niſi qvi RUNIS, Criticum ſe præſtet OLAI,
Me duce nullus erit; me duce, nullus erit.

Interim, qvia cenſuram poſtulor; noto me verſiculo exp am: qvia in antiqviſſimo Runarum negotio.

I

Tute ſapis ſolus: volitant alii velut umbræ.

Id qvod diſertiſſimus nervoſe extulit *Weſthovius*: *Cura uit* (aliis Runarum ſtudioſis,)

GENIUS defuit ille tuus.

Jam qvod reſponſum ad has ultimas hactenus deſideretur, n cauſa eſt tabellarii vilis & ſegnis procuratio, ita ut nulla, oſt easdem redditas,oblata ſit ſcribendi occaſio poſt omnium avium diſceſſum, id qvod his paucis Dominum F. ſcire volui. nterim ad meas proximo autumno datas reſponſum cupide xpectans, qvæ etiam *Specimen Islandiæ* &c. reviſum, adjunctum abuerunt. In qvam occaſionem, ſi qvæ erunt reliqva, temoris hic articulus nimis arctus cogit rejicere. Vale, vir diine & excellentiſſime, atqve in ſenium jam vergentem tuum Clientem ſolita favoris aura in poſterum recreare & complei digneris: nova gratiarum actione digniſſime, qvod *Arngrimum* T. Operis Runici pagina non una, immeritis laudibus umulare non piguerit, qvibus etſi me longe indigniſſimum gnoſcam, meum tamen fuerit, in tanti viri judicio & favore cqvieſcere. Ult. Jun. Ao. 1638.

Habuerunt tam proxime elapſi autumni literæ: qvam uperiorum, *Schiolldunga Wyſær* (qvos Rythmos ſic vocari poſſe rbitratus ſum) connexas cum aliqvali commentario. Utinam tantum redditæ ſint.

O Neptunum, o piratas noſtrarum literarum commerſio invidentes! Sed erit poſt nubila Phœbus.

CCCXXXVI.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

QVidnam obſtiterit, Clariſſ. Dn. Doctor, qvo minus ad ſuperiores An. 1637. literas conjunctam *Literaturam Runicam* habentes, reſpondere potuerim, ex meis hoc An. 1638. in Julio ineunte (ſi probe memini) datis cognoſcitur: qvas etiam nunc redditas ſpero. Qvum vero plura ſint, ad qvæ hujus An. Dn. Fautoris Epiſtola, ut humaniſſima (more *Wormiano*)

ita optatiſſima, reſponſum poſtulet; Libellus meus apologeticus primum occurrit: Qvem qvod nec Dn. Fautor, nec alii magni nominis Viri, qvibus eſt communicatus, aſpernati ſint, qvin eundem probarint; id totum Tibi Tuæqve commendationi debere me agnoſco. Sed auget maxime debitum, qvod Magnif. Dn. Cancellario ſit oblatus, & qvicqvid cum ipſius Magnificentia, pro tractatu iſto, a Domino Faut. actum eſt: ut admonitio tua de eadem, editionis cauſa, interpellanda & implorandа; id qvod mihi nunqvam in mentem veniſſet.

Jam Epitaphiorum cura, adeo benigna, debitum confeſſum non imminuit, ſed accumulat: in qvibus Typographi menda nonnulla conſpiciuntur, qvæ in acceptis Exemplaribus penna emendari poterint; ſed annotanda tamen propter Typographum, ut, ſi forte exemplaria qvædam ſibi retinuit, illa ipſe in peculiari chartula notata videat, ac corrigat.

Jam eo ventum eſt, ubi Literæ præſentis Anni indicant, *Svenonem Jonæ* noſtratem, egregium juvenem, Anno ſuperiore, Opus Runicum cum Epiſtola, in ſuam fidem ſuſcepiſſe. Qvem neſcio qva abripuerit incuria &c. qvum ſit alioqvi mei etiam ſtudioſiſſimus, & Diſputationem *Spormanni*, non rogatus communicaverit, propterea qvod illa alicubi *Arngrimum* nominet. Deinde a me per literas ſalutatus, reſpondit prolixe & familiariter, & qvum de iis interrogaſſem, qvæ in *Programmate prælectionum publ.* veſter *Spormannus* pollicetur, retulit *Sveno*, promiſſis non ſtetiſſe, relicta Academia. Nec minus anixie apud eundem noſtrum *Svenonem* inqviſivi, qvod in ejusdem anni dicto jam Programmate (qvem ipſum Annum programma illud integrum ſatis exhibet; meum exemplar, lacerum, æræ jacturam fecit) a D. *Wormio* promittitur, his verbis: *D. Olaus Worm. Medic. P.P. & p.t. Academiæ Rector, abſoluta Therapeutica, Hora III. variorum & mirandorum, qvæ in muſeo tenet, tam Naturalium qvam Artificialium, ſuccinctam exhibebit Hiſtoriam* αὐτοψίᾳ *ſingula confirmaturus &c.* ſed affirmat *Sveno* ante ſuum ex Academia diſceſſum, Dn. Doctorem id laboris non exorſum eſſe. Sed interim de miſſo ad me D. *Wormii* libro aut literis, verbum nullum.

Non eſt vero diſſimile, a Svenone, alio divertente, eſſe Holis relictum, unde tam lento gradu ad me delatus eſt, ut reſpon-

ſpondendi non facta ſit copia. Neqve in *Svenonis* fidem ultra inqvirere viſum eſt, qvum id non ſtudio aut voluntate, ſed caſu ita eveniſſe ſciam.

Porro, *D. Wormi*, illa intimatio de *Mirandis* &c. qvantam mihi ſitim, qvamqve aviditatem eorundem cognoſcendorum excitaverit, non facile dixero. *Salomonis R. ſervus viſu & auditu beatos* &c. Regina illa, non Regnum & divitias, omnibus aliis præferens, aſſerebat; Ego *D. Wormii* Auditorium. &c.

De Autore *Eddæ* objectum ſcrupulum, illo eximendum ſentio, qvod in monumentis Noſtr. manifeſte legitur in hæc verba: Snorre Sturluſſon var i dagum Gunnlaugs Muck8. Hann (Snorre) jok vid þa Eddu, ſom Sæmundur præſtur hin frodi hafde adur ſamſett &c. hoc eſt, *Snorro Sturle vixit tempore Gunlaugi, cogn. Monachi* [ſc. Thingorenſis Cœnobii, qvi An. 1219. mortuus eſt] *Ille* [Snorro] *Eddam, a Semundo Presbytero,* den frode [*multiſcio*] *primum delineatam & digeſtam, adauxit* &c. Hinc eſt, qvod *Edda* utriqve, *Sæmundo* & *Snorroni*, in Antiqvit. adſcripta reperiatur; ita ut *Sæmundo* initia & fundamentalia; *Snorroni* locupletatio & opuſculi abſolutio debeatur. Non aliter ac *Chronicon Carionis* etiam *Melanchthoni* imputatur.

De *dentibus Balænarum* peculiari glutine &c. inſcriptis, ſtatuendum, fuiſſe ſatis vulgares & in qvalibet Balæna dentata, tannfiſk dicta, obvios. Nam qvos pro Unicorni cornu vulgus habet, admodum rari ſunt, nec in antiqvit. admodum notati, præter unicum, Naahvalstann dictum, qvem beſtia marina ex Balænarum genere, habeat unicum talem, unicornis non diſſimilem cornu. Dicta eſt illa beſtia Naahvalur, a Morticiniis (naar, *cadaver & morticinium* eſt, præſertim *humanum*) qvibus illa potiſſimum gaudeat; & etiam qvia comeſta lethalis eſt, & ex vivis morticinium vel cadaver faciat, qvum reliqvæ Balænæ, ſine noxa, in eſcam humanam pleræqve vertantur. Illa vero [Naahvalur] præter dentem unicum illum, nihil utile, imo, ut dixi præſentanea nece, noxium præbeat. Dentem vero ipſius putant cum cornu monocerotis magnitudine & virtute, ſive efficacia, certare. Habent etiam ex phocarum genere, ſeu potius vitulorum mari-

norum, qvidam, *Roſtungar* dicti, mandibula prominentem dentem, ulnæ vel duarum longitudine; ſed inutilem, ac ita duræ materiæ, ut nihil indidem, ſicut ex communibus Balænarum dentibus, affabre fieri poſſit. Eo tamen, in petrarum rimas impacto, ſuſpenſus dormire fertur *Roſtungerus*.. Eſt enim cum ſui generis aliis minoribus, & dente illo carentibus, amphibion, ad tempus bene longum in ſicco commorantes. Sed phocam dicere non veritus eſt Poëta: *Stertentes litore phocas*. (nec enim ſemper, & non niſi dente de rupe penduli, dormiunt) in littore autem, undis deſtituti, facilius capiuntur: qvorum hic jam copia nulla eſt piſcium: ut nec fere Balænarum, undis in littus projectarum. Qvæ commoditates terræ noſtræ ademtæ peccati obſtinati mercedem arguit.

Qvod Balænas dentatas dixerim, ad differentiam dixi reliqvarum, qvæ edentulæ deprehenduntur & præſtantiores habentur; qvasqve pro dentibus Natura branchiis armavit: unde *Skiidfiska* vulgus vocitat, & *Skiid* (tam ſing. qvam plur.) *Branchias*. ita qvidam vulgo & in Scholaſtico Vocabulario ſive nomenclatore. ſed Lexica majora non conſentiunt. Vellem ſaltem intelligere, qvid illud ſit, in Balæna non dentata, qvòd vernacule *Skiid* appellatur, piſciqve dentium vicem præſtat: ſunt autem veluti bracteæ qvædam, valde flexibiles, ſolidæ [numero plurimæ cornu duritiem non prorſus adeptæ] unde multa confici ſolent, ut pyxides, item [viminum loco vaſorum aſtrigmenta (Baand paa tønder og ſtore kar) tum flagella eqvorum, qvin etiam puerorum, ſive ferulæ, in volam utramvis impactæ, ſive virgæ ad dorſi caſtigationem deſtinatæ. Hujus bracteæ raſura (facile enim ſcalpitur & raditur) adeo intractabilis non eſt, qvin tenuioribus plumæ uſum ad cervicalia & grabatos ſuffarciendos ſæpe præbeat. Colore omnis hæc materia eſt nigricante, ſive nigello. Islandice, ut dixi, *Skiid*: item *talke*. *Plinius*, ut exiſtimo, Balænæ nomine anguſtiore, qvam nos, ſignificatu utitur. Noſtræ enim lingvæ, **Hvalur**, æqve late patet, ac *Cetus* Latinis, qvi ſic definitur: *Cetus eſt nomen majoribus omnibus marinis piſcibus commune, iis præcipue, qvi animal pariunt, non ovum: cujusmodi ſunt* Balænæ, Orcæ &c. *Plinius* vero Balænas ſolas vocat, qvæ Branchiis careant, i. e. dentatas &c. unde omnes Ceti non dentati Balænarum numero excluduntur. Sed vide, qvam dentium

Balæ-

Balænarum glutine ſignatorum injecta mentio in littus propemodum me detraxerit. Cæterum glutinis iſtius, vel atramenti glutinoſi, arte ſic contemperati, nulla ulterior contigit indagatio, ſupra eam, qvæ tract. apologetico viſitur.

Diſputationem Dn. Fautoris publicam de Balænarum dentibus, qvam miſſam literæ tradunt, faſcem chartaceum Epitaph. ſcrutans, nusqvam reperi. Qvam caſu relictam doleo, Nam etſi ad hanc rem nihil contulero; occaſionem tamen alios ſciſcitandi, accepta præbuiſſet illa jam deſiderata Diſp.

Miranda illa veſtra, qvæ nomine tenus in prædicta intimatione, auditoribus offeruntur, mihi tenacius memoriæ inhærentia Qvæſtiones Problematicas unam & alteram, de nonnullis, hic mirandorum numero habitis, elicuerunt. Qvas etiam ſingularis chartula exhibet. Jam, qva eſt humanitate, Dn. Fautorem, rogatum obnixe volo, ut hæc indocta & confuſa boni conſulat: ac clientem remotiſſimum ſuæ curæ, ut hactenus, commendatum habeat: ac DEO opt. maximo viciſſim in æternum commendatiſſimus vivat & proſperrime valeat. 11. Aug. 1638. Melſtadio Midflordenſium, in Islandia Boreali.

Qvæſtiones.

I. Qvi fiat, ut pupilla ovis, pleno undarum maris acceſſu, rotunda ſit contemplanti: recedentibus autem & decreſcentibus undis, oblongam formam vel figuram acqvirat? Unde remotiores a littore, qvam ut maris fluxum & refluxum cernere qveant, de eodem, ex ovium pupilla & hirqvis certiores fiant?

II. Qvi fiat, ut pingvedo Balænarum, phocarum, vitulorum marinorum (Hvaltraan, Haffalle-traan, Sæl-traan) ac forſan piſcium qvorumvis, cum mari tantam habeat ſympathiam, ut ſi, in undarum acceſſu ſummo, vas qvodvis dicta pingvedine (fluida enim eſt) repleatur, in undarum receſſu (Naar det er Ebbe) notabili differentia pingvedo illa in eodem, antea repleto, vaſe ſubſideat: Redeuntibus vero undis (Naar det er Flod igien) ipſa qvoqve vaſe contenta pingvedo creſcat, ut labrum vel oſculum vaſis, ut antea, contingat?

III. Qvi fiat, ut gregis domeſtici Aries, qvum tempore hiberno potiſſimum latus ſiniſtrum, inter procumbendum,

pre-

premat; appetente vere, & Sole in arietem ingreſſo, domeſti-cus hic aries latera mutet, &dextro libentius incumbat? De Ovibus Upiliones; de piſcium pingvedine piſcatores ruſtici, teſtes ſunt oculati.

CCCXXXVII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

Melſtadium.

QVam doleo, mi *Arngrime*, votis tuis reſpondere eventum non potuiſſe. Libellum tuum ſupplicem Magnifico Domino Cancellario obtuli, ut apud Regiam Majeſtatem cauſam tuam ageret; ſed id obtineri, qvod petis, nullo modo poſſe regerebat, tum qvod res foret mali exempli, tum qvod Regiæ ordinationi & conſvetudini receptæ adverſum. Effecturum interim ſe ſpopondit, ut ſi tibi humanitus qvid contingeret, viduæ ac liberis alio medio proſpiceretur. In qvo reſponſo acqviеſcendum erat mihi. Jam *Apologiam* tuam qvod attinet, de ea monuit *Pontanum* communis noſter amicus, *M. Stephanus Stephanius*, qvi ejus reſponſum legendum Sora huc miſit, in qvo inter reliqva hæc continentur, qvæ charta ſeparata transmitto, ut videas, qvantopere ipſum jam facti pœniteat. Scripſit ad me ex Anglia amicus meus, *Henricus Spelman*, cujus in *Literatura* injectam eſſe mentionem vides, te officioſe ut ſalutarem. Hæc enim ejus ſunt verba: *Cupio, ut, ſi obvius tibi venerit Arngrimus Jonas Islandicus, eum meo nomine ſalutes.* Exiſtimat bonus ille Vir, res noſtras ita eſſe comparatas, ut coram congredi & de antiqvitatibus noſtris ſermones miſcere ſit conceſſum. Qvod utinam fieri poſſet. Vides ſaltim, qvo Nominis tui famam deduxerit *Literatura* mea. Hiſtoriam rariorum in Muſeo meo contentorum qvod ſpectat, eam nondum ad umblicum perduxi. Collegi in peregrinationibus meis, ac indies ex Indiis aliisqve locis remotiſſimis ad me adferuntur varia, terrarum, lapidum, metallorum, vegetabilium, piſcium, avium, animalium terreſtrium ſpecies, qvas diligenter aſſervo, eum in finem, ut, cum

n ſingulorum hiſtoriam breviter auditoribus propoſuero, rem
um illis manibus palpandam ac oculis videndam objiciam, ut
rebus congruant, qvæ dicantur, ipſimet judicent, ac omnium
ntiam ſibi acqvirant exactiorem. Ex veſtra Islandia lapidum
dam ſpecies mihi ſunt, ſed non dubito, qvin qvamplurima
nt, huic inſtituto inſervientia, ſi curioſe inqvirerentur. Ubi
ı ſuppetit integrum animal, ejus pars de toto teſtabitur.
ita mihi, qvæ de *balænarum dentibus* addis, meæ hiſtoriæ
loco ſymbolam collatura. Qvia vero ſpaſmo te detineri
ındoqve conqvereris, ex eo phocarum genere, qvod *Ruſtin-*
vocas amuletum petere potes eximium; annulli enim ex
s dentibus fabrefacti & digitis geſtati hic commendantur
xime. Ad qvæſtiones tuas problematicas fuſe reſponderem,
tium ſuppeteret. Tribus igitur verbis me expediam: Pri-
& ſecunda a Lunæ domino dependere videntur. Hæc enim
moribus omnibus cum imperet, & in dictis vires ſuas exer-
:; Sic oſtreas, cancros, gammaros, mytulos, creſcente lu-
, ſucci plenos invenimus, decreſcente, exſuccos, flaccidos
nauci fere. Nil eſt ad tertium, qvod addam, niſi inter ari-
m cæleſtem & terreſtrem ſympathiam qvandam ſtatuere lice-
Nam defatigatus in altero latere, cur ſe potiſſimum tunc
nporis in alterum convertat, rationem aliam non video;
amvis de qvæſtionum harum τῶ ὅτι non minus dubitari
ſſit, qvam de τῶ διότι. Diſputationis neglectæ iterum mit-
exemplum, cui addo reliqvas qvæ eo pertinent. Qvæ enim
ſunt ad integrum Syſtema complendum, DEO vires & va-
udinem largiente, ſuo tempore addendæ. Fuſius tecum age-
hac vice impediunt negotiorum tam publicorum, qvam pri-
torum curæ, qvibus hoc tempore, qvo hæc ſcribo, nimis
ſtrahor. Vale, & me porro amare perge. 20. Jun. 1639.

CCCXXXVIII

ARNGRIMUS JONAS
D. Olao Wormio.

TE Virum excellentiſſimum, & de me, ut paupere clien-
te, qvotannis bene merentem, nunqvam ſatis honorifice
&di-

& digne compellare potero. Ne vero tamen nihil ſit,
ago, etiam de proximi anni mearum rerum & petitic
ta & ſtudio. Qvæ licet negentur, *Wormii* tamen mei
lentiæ perpetuus ero debitor. De illo autem, qvod
tur mali exempli, nec non contra ordinationis decre
cum ſuperioribus diſputare veritum, conticeſcam, &
M. omnia mea committam. De *D. Pontani*, ad *M. St*
aliqvali (circa *Thulen* & *Islandiam* &c.) reſponſo, i
mulo, me manum illam nimis indiſcretam legere & aſſ
poſſe: ut cui idcirco, vel privatim ſaltem ad Dn. Fautc
ſpondere minus qveam. Miror autem, qvod clariſſimu
(nam qvædam ex apographo olfacere videor,) navigati
Norvegia in Thulen pro ſua ſententia (ſi mea inſpex
pta) identidem urgeat. Deinde: Cur mirum illi ſi
antiqvitatem Thules, Islandiæ derogare tantopere c
Qvaſi incerta antiqvitas Thules, veritati primum hal
landiæ ac Annalibus noſtris, eorumqve certitudini p
re debeat: & nobis Islandiæ antiqvitas, Hiſtoriæ c
mento, mendicanda ſit. Utinam tantum meæ mihi r
tur chartæ, utut nunqvam publicam in lucem en
Qvas forſan, ſemel reviſas, ad ipſum *D. Pontanum*, vi
tente, mitterem; ut ipſe judicium ferret, qvam inc
ſit hic a me exceptus, aut qvam non agnoverim, qva
mii clementia, mei ſæpius, licet immeriti, mentionem
in Opere ſuo laudatiſſimo. Nam id utrumqve, apogr
bis poſtulari qvodammodo intelligo. Certe prior li
pars, *de Islandiæ chorographia*, ſine veritatis injuria
non poterit. De reliqva parte alias: qva Clariſſimo
ne ſupplex factus ſum, ut hanc ſententiarum collation
ferret animo, ſuamqve mutaret. Illa vero excuſatio
in inſerto prolixo operi doctorum ingenioqve valentium
catalogo me præterierit Clariſſ. *Pontanus*, nihil op
Neqve illa verba, niſi ab integerrimo Viro profecta
dextre interpretarer: acſi aliqvod ambitioſi animi indic
aut alio loco præ me tuliſſem: cum tamen doctorum h
tenuiſſimam & viliſſimam umbram, me & agnoſcam,
ſoleam, etiam alicubi typis publicis. Nam, ut doct
non ſim meritus, ſcire tamen videor, qvis vel qvid ſi
ctus. Unde illorum Virorum catalogo ac numero, c

D. *Pontani* verba meminerunt, me longe indigniſſimum
›, & dum vivam, agnoſcam, idqve ſine fuco. Multa in
pographo intacta cogor relinqvere, ob cauſam ante di-
'orſan proximis emendatior manus contingat. Qvin id
ſcupio; an libellus iſte meus integer ad *D. Pontanum*
:rit: an vero rumor ſaltem & fama, per *M. Stephanii*

lobiliſſ. *D. Henricum Spelman*, (cui, ut aliis forſan,
io *Literaturæ Run. Dn. Wormii* innotuerim) ſaxis obſe-
literæ tuæ, prima qvaqve occaſione, meo nomine reſalu-
em & ipſe propria manu ſalutarem, ſi de ipſius in Anglia
io conſtaret, aut per aucupes Anglicanos exqviri poſſet.
le *Johanne Elichmanno*, poſtqvam in Bataviam con-
ıihil audio.
:rgo ad viciniora, ex remotiſſimo interim orbe, India-
liunde &c. acqviſita Naturæ myſteria; qvibus te, *D.*
, Virum omni commendatione majorem, abundare intel-
go vero jam, urgentibus annis, unicam εὐθανα-
ıram (juvante me Deo) mihi imperavi. Unde qvoqve
ɔd lapillorum alicujus momenti, qvi hic reperiri credun-
lla me cura poſſit tangere; qvæ nec hactenus tetigit:
go ſane rariores exiſtimo. Interim alia alibi proveni-
landiæ Meridionalis crebra ignis montani eruptio fortaſſe
nunc aliqvid hujus generis eructavit: ſed illius Inſu-
tus incolis tantum notum: qvod, ſi qvid ſit, ægerri-
nmunicant, ipſis licet nulli ſit uſui. Sed Epiſcopus
tenſis, a *D. Wormio* rogatus, de his, ut auctoritate &
valens, inqvirire poterit. Ætitem puto a qvibusdam
illum, mihi aliqvando viſum, poſſeſſum nunqvam, for-
ında, colore ſubfuſco, ponderis pæne nullius: & tamen
:ro qvaſi prægnans exaudiatur. In littore repertus, pu-
ɔdem ab undis ejectus. Is prægnantium & jam parturi-
fœmellarum amuletum habetur, ad dolores mitigandos
entium facilitatem juvandam, ſi potui tantum inje-
integer & incorruptus. Unde multas ætates durare
detur &c. Sed tædet me incerta referre, qvum Dn. Fautor
ınc Ætitem, cum exactiore ejus hiſtoria jam, ut cre-
ntea nactus ſit.

Con-

Conſilium de Annulo, ſpasmi medelam habituro, eti ab aliis audivi. Sed dum Annulum talem mihi pollicentur ſe al laturos, fallunt. Mitto igitur dentium balænæ qvædam fr gmenta, qvorum unum (ſi non omnia) putatur *Roſtungeri* nihil ab illis ſperans, niſi ut tua benevolentia jubeat talem an nulum apud vos confieri, (nam hic artifice deſtituimur,) mihi deſtinandum. Fragmenta ſeu particulæ qvatuor ſunt: qvamcunqve Roſtungeri noveris, exigua ſui portione huic p tito inſerviet. Sed hoc mihi valde magnum eſt paradoxum qvod talis annulus digito geſtatus, coxarum, pedum, & reliqvo rum interiorum ſpaſmum amoliatur. At qvis experientiæ co tradicat?

Ergo tandem, qvod ſupereſt, Naturalis ſcientiæ novum & incomparabile θαῦμα, D. Olaus Wormius, fautor, Mæcenas; ac tandem, permittente ejusdem humanitate, amicus ſummus & ſinceriſſimus, etiam a paupercula Conjuge, ſeptimum, hujus decennii, meditante puerperium, humillime ſalutatus, valeat. Ex Islandia boreali d. 24. Auguſt. 1639.

Cæterum dubiorum anni ſuperioris, de qvibus Dn. Doctorem conſulueram, promptiſſimam enodationem, pæne neglexeram. Hoc ſenectutis & turbarum œconomicarum vitium eſt; & cerebri, per totam fere vitam cum hemicrania conflictantis, imbecillitati donandum. Interim Humanitatis Tuæ facilitatem ad ſubveniendum meis dubitatis, imo & ignoratis, prolixiori memoriæ mandabo.

CCCXXXIX.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

NOn ſine dolore te percepiſſe arbitror, Optimum noſtrum Mæcenatem *Dn. Chriſtianum Friſium*, Magnum Regis & Academiæ Cancellarium, diem ſuum obiiſſe, ſuiqve deſiderium nobis reliqviſſe magnum. Hinc eſt, qvod de tui deſpondeam autographi reſtitutione: petenti tradere coactus ſum, (qvis enim

ci

dpiam negaret?) jam cum ab Hæredibus depoſco, ne.
conſtanter in ejus Bibliotheca reperiri; hinc ſuſpicor, ad
inum (qvem etiam fuerunt jam in Belgio e vivis exceſſiſſe)
niſſum eſſe. Doleo certe, fato tam ſiniſtro obnoxium exi-
hoc opus, qvod exoptaſſem typis toti mundo communi-
ı fuiſſe. Deum teſtor, mea non factum culpa, qvod ad a-
devenerit manus, nec reſtitui ex voto poſſit. *Spelmannum*
er literas ſalutavi verbis; vivit enim adhuc ſenex ſeptuage-
s ſenarius Londini in Anglia in vioo Barbacan, ac anno
rito edidit *primum Tomum Conciliorum, Decretorum & Con-
ionum Eccleſiaſticarum orbis Britannici*, opus certe laborio-
& grande, cujus, qvi reſtant, Tomos duos utinam feliciter
em perducere poſſet. Habet filium, paternæ virtutis æmu-
Johannem Spelmannum, a qvo etiam præclara exſpectamus.
mannus hoc anno Lugduni Batavorum fatis conceſſit, ma-
eipublicæ literariæ detrimento. Qvem tu vocas *Ætitem*,
l dubio ille eſt, qvi a vulgo etiam noſtrate pro ætite ven-
ır, cum nihil minus ſit; Fabæ enim marinæ genus eſt, a
sdam *cor D. Thomæ* dictæ, qvod ad Inſulam D. Thomæ co-
reperiatur. Cordis figuram æmulatur, colore caſtaneæ
reſſæ. Ejus mihi aliqvot ſunt exempla, etiam involucris
ertæ. Ex transmiſſis dentibus Roſmari nemo Artificum
rum annulum ejus figuræ, qvam expetis, fingere potuit;
potuit maximum eo, qvo vides, modo qvidam non ſine
ſtate concinnavit. Lapideam ferme duritiem qvidam ex
traxerunt, & operi inhabiles ferme ſunt effecti. ** 21 Ju-
640.

CCCXL.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

tuoſiſſimum nuncium, luctuoſiſſima Dominica, qvæ eſt X.
rinitatis, accepi, inſpectis tuis literis, de lugubri regno &
æ calamitate, ob ereptum nobis fato Magnum Dn. Can-
um, illum omnium bonorum perfugium, privatorum et-
entum, (in qvorum adſcriptum me fuiſſe numerum, ſæ-

prius mihi gratulabar,) Patronum & præſidium. O vere calamitatem publicam! Jam qvæ & qvanta mei privati luctus inde exiſtat cauſa, ob ademtum mihi tantum Mæcenatem, inſenſatus ſim & ingratiſſimus, niſi agnoſcam: Ubi hoc unicum relictum mihi eſt, qvod videam dimidium ſpei meæ in Dn. D. Wormii favore eſſe repoſitum: qvi pariter, ut olim, apud ſuperiores prodeſſe poterit. Qvod vero ad adverſaria illa mea de *Thule* & *Islandia*, ſpectat, abalienata, hominum ego qvorumvis, nedum Bonorum, conſortio & commercio indignus forem, ſi id Tua ulla culpa factum ſuſpicer. Deum teſtari poſſum, mihi tam ſiniſtræ ſuſpicionis, de tua fide, nihil in mentem venire. Neqve vero, ſuſpiciende Fautor, amiſſas illas chartas doleo: utinam ad *Pontani* noſtri manus perveniſſent, ille reſponſum aliqvod, ſed magis exqviſitum, qvam qvod habuit ſuperioris anni chartula, mihi ex amicorum literis tuo communicata beneficio, perſcripſiſſet, aut jam editum aut brevi edendum: de qvo Dn. Fautoris cura, edocendus forem. Qvis ſciet? Annon publicandi aliqvando *Speciminis* &c. occaſio ſatis neceſſaria videretur? Qvanqvam, absqve eo ſit, editionis illius, ſatis magna ſit occaſio & neceſſitas. Ego de conqvirendis & recolligendis iis, qvæ in pluteis meis ſparſa adhuc reperiuntur, animum non deſpondeo, & forſan aliqvot locis auctioribus, qvæ ſcilicet ad *ſpeciminis* illa adverſaria ſpectant. Id ſane tem optarem, ut interveniente tua prudentia & conſilio, veniam libellum publicandi, ſi typographum aliqvando invenire obtinerem: licet tum qvædam, uno aut altero loco, mutanda & ad præſens tempus accommodanda forent: modo fama de D. *Pontani* obitu vera ſit. De qva re, hoc tempore, ſatis.

Nunc lapidem mitto, (modo lapidem) forma ſive figura, tum colore, pondere & duritie aliis, meo judicio, differentem. Ille in littore ſinus maris vicini, ſolus hujus generis repertus, ad me delatus eſt. Et ut ea, qvibus ab aliis videtur differre, obiter repetam; illorum dixi figuram mihi animadverſam peculiarem: ut qvæ *Cordis* aliqvam formam repræſentet, non qvidem animalium terreſtrium plane: nec aqvatilium vulgarium, præterqvam *Canis marini*, (Sål vel Sålhund) qvæ ab una parte plana fere eſt, ab altera nonnihil convexa, qvum animantes & piſces vulgares cor gerant teres & oblongum, magisqve ſuperne acuminatum, pyramidi non diſſimile. Color autem

.em, qvem viſus optime diſcernit, commentatione non eget, neqve pondus: quo ab aliis paris magnitudinis, vulgo cente, hunc in exceſſu diſcrepare exiſtimem. Duritiem vero ısqvam adamantinam non immerito miramur, quæ nulli vi ſeriori cedat: ignem excipio, de qvo periculum factum non . Verum ſaxis illiſus grandioribus, infragilis manet: neqve tis aut chalybis attritu ullum in ipſo veſtigium relinqvitur. »c qvicqvid eſt lapidis, aliis deſtitutus, ad te transmitto, ut o inſcitia mea non pertingit, eo me penetrantiſſimum acumen tuum, vix aliqvid, ut credo, in Natura rerum inſcrutam relinqvens, qvantulum ad hujus lapilli cognitionem attiıt, perducat. Ad qvam ſi Chymiſtarum forte ars vel uſus reıiratur, neqve illorum experimentum tui ſcrutinii indagatioem effugiet. Tu interim, Excellens Vir, votis ardentibus EO commendatus, feliciſſime valeas. 14. Auguſti 1640.

CCCXLI.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

HAc vice de negotio meæ curæ commiſſo ſaltem tecum agendum duxi, ut reſtet, de quo cum ordinario veſtro mercaorc ſcribere valeam. Supplices tuas literas Cancellario noſtro, ſiro Optimo & literarum Patrono inſigni, oſtendi: Is tanti nomenti negotium hoc eſſe non exiſtimabat, ad Regiam Majeſtatem illud deferri ut neceſſum eſſet, cum ſufficienter per Inſulæ Præfectum expediri poſſit, qvocum ſe acturum promiſit, voti compos ut fieres ſine ullo diſpendio. Ipſe qvoqve, juſſu Cancellarii, Virum illum Nobiliſſimum conveni, remqve totam ex præſcripto ſupplicationis expoſui, qvi in chartam memoriæ illam conjici, me præſente, curabat, tuæ exſpectationi ut fieret ſatis. Qvin imo, ne Ipſi hoc excidat, incluſas haſce ad ipſum exaravi, qvas ubi obtuleris, non dubito, qvin promiſſorum memor, in noſtra vota facilis ſit futurus. De tuo contra *Pontanum* ſcripto Dn. Cancellarius ita ſentit, ut inſtitutum tuum approbet, tantumqve abeſt, hos labores ſepultos ut velit, ut potius optet, prima commoditate typis mandari poſſe. Ego

 hiſce

hiſce diebus de *Aureo cornu*, in cimbria invento, rogatu Sereniſſimi Principis, Diſſertationem edidi, qvam mitto, ut legas, deqve ea tuam candide proximis exponas ſententiam. Non dubito, qvin dudum tibi innotuerit, adverſarium tuum e vivis exceſſiſſe, ſuamqve *Hiſtoriam Danicam* mancam reliqviſſe. Vale. 1641.

CCCXLII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

ITerato te hoc anno literis meis fatigo, tum qvod id pollicitus, tum ut reſpondeam iis, qvæ adhuc in ultimis tuis reſtant. De *Specimine* tuo data opportunitate cum novo noſtro egi Cancellario, qvi, ubi ejus a me percepit argumentum, indoluit periiſſe, ſiqvidem dignum, qvod manibus doctorum tereretur, utpote ad originem gentis veſtræ & Inſulæ antiqvitates illuſtrandas maxime neceſſarium. Si potes, pluteos excute, chartas diſperſas collige, fac ut qvem juvenem gentis veſtræ vindicem hactenus ſalutarunt, ut optimum, exterorum ſapientiſſimi, ſenem ingenio non minus validum agnoſcant. Mitto ſucci Liqviritiæ tantam portionem, qvantam hoc anno tibi ſufficere exiſtimo; boni conſulas, ſiqvidem non eſt, qvod mercator qvicqvam eo nomine a te exigat; ipſe perſolvi. Addo annulos ex dente Roſmari, qvales apud nos confici potuerunt; majores non tulit oſſis conſtitutio. Gratiſſimus mihi fuit transmiſſus lapis, qvi e genere *Pyritum* eſt; aliqvid æris hujusmodi lapides continere ſolent, qvidam vero ſteriles ſunt. Sed forma, durities & elegantia e genere vulgarium eum eximit. Inter rara mea diligenter aſſervabo, & titulo *Arngrimi* mei ſuperbiet. De negotio commiſſo nuper ad Te ſcripſi, & *Cornu* meum transmiſi, de qvo jam exſpecto judicium. Vale, & ut ſoles, ama. Hafn. 21. Jul. 1641.

CCCXLIII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

BInas a te anno præterito accepi literas, ex qvibus dolenter percepi, te nec meas, nec Liqviritiæ ſuccum, (cujus ibram miſi) nec annulos ex dente Roſmari confectos accepiſſe. Neſcio, qvo fato ad vos tendentes naves crebrius periclitentur, qvam qvæ aliis deſtinantur, noſtra per literas colloqvia ut toties turbentur. Sperabimus poſthac meliora. Invenimus tandem in Bibliotheca Magnifici Cancellarii Manuſcriptum tuum, qvod *Johannis Janſonii*, Typographi cujusdam Amſterodamenſis, famulo, apud nos tum forte commoranti, tradidi, ut cum hero de ejus editione ageret. Nuper Amſterodamum ſcripſi, ut, qvæ ipſi mens eſſet, expiſcarer. Reſcripſit ſe editurum, ubi illa, qvæ jam ſub prælo fervent, abſolverit, & de conditionibus tractaturum. Ægre Auctori pro labore qvicqvam concedunt illi homines; exſpecto adhuc ulteriorem reſponſionem. Interea de Dedicatione & alias, ſi qvæ ſint, qvæ mutata velis, cogitare poteris, ac mihi proximis transmittere; Valde enim dubito, ipſum qvicqvam tentaturum ante mercatorum noſtrorum ad nos reditum. Qva forma editum velis, una indicabis. Titulos Cancellarii, qvos petis, addo, dedicationi forſan inſerviturus: *Viro Illuſtri, Magnifico, Strenuo, Dom. Chriſtiano Thomæo, Domino de Stougard &c. Cancellario Regio, Regni Daniæ Senatori primario, Academiæ Hafn. Conſervatori Summo, &c.* De reliqvis ipſe videris. Ad priores tuas in Auguſto datas ut veniam, de literis Exſpectantium, ut vocant, ne ſis ſollicitus: cum Magnifico Domino Cancellario hac de re egi: qvi morem hunc vehementer improbat, ſeqve effecturum promiſit, ut poſthac huic obviam eatur malo. Qvocirca ſecurum te eſſe jubeo. De prole egregia gratulor, ac ſi contigerit filios tuos huc venire, iis ſi Deus vitam largiatur, conſilio & auxilio haud deero. Vale. m. Jun. 1642.

CCCXLIV.

OLAUS WORMIUS
Arngrimo Jonæ.

QVia, an ad te Amſterodamo delatus eſſet liber tuus ibid
excuſus, ignorabam, hoc, qvod mitto, exemplum a
pographo comparavi, tibi ut mitterem. Spero bona tua
ctum venia, ſtridulum qvod ei appoſuerim carmen, qvod
dit iners mihi vena in tui amorem rapta. Strepit & anſer
ter olores. Maturius miſiſſem, ad forum nempe veſtrum gene
le, ſed huc non appulerunt Bibliopolæ Amſterodamenſes a
mercatorum noſtrorum ad vos abitum. *Muſei* mei *Catalog*
qvod ſpectat, is non librorum ſed rerum eſt qvas aſſervo,
ob raritatem aut ob uſum eximium commendabilium, quibu
etiam ſymbolam olim contuliſſe meminiſti? eo vero fine m
ut ſi qvid ejus generis apud vos occurrat, qvod in Catal
non extet, boni publici cauſa communices. Mitto jam *Mo*
mentorum Danicorum nuper a me editorum exemplum, qvod
pellegeris, rogo, tuum de iis judicium ne me celes, & ſi q
notanda obſervaveris, candide, ut ſoles, perſcribas, ut
in iterata editione, ſi opus ſit, ratio habeatur diligenti
Plura jam non licet. Vale, & bono publico diutiſſime vi
Hafniæ, 14. Jun. 1643.

CCCXLV.

ARNGRIMUS JONAS
D. Olao Wormio.

* * *

PRæſtitam circa editionem *Speciminis* mei operam, ac m
torum annorum curam & ſolicitudinem, benignitatis &
voris raro exemplo, functus ſim, ſi non animo longe gratiſſi
& gratiarum actione exquiſitiſſima excipiam. Ubi cum ex
parte ſumma ſint omnia, Virorum, qvos ſol vidit, human
me & beneficentiſſime, excellit tamen Epigramma, divina

ma & incomparabili fuſum: qvo vel ſolo Lector allectus, tenuem meam opellam inſpectione dignabitur. Additum etiam literis tuis, nuper redditis, præclarum & diu præparatum *Antiqvitatum Danicar.* opus, pretioſiſſimum illud, rerumqve dignitate excellens, Europæ totius in ſe converſurum oculos. Qvo munere, utut indignum me agnoſcam, fama tamen patriam complebo.

Nihil nunc apud nos eſt novi, aut qvo ſymbolas Bibliothecæ tuæ locupletare poſſim, tantum viſendum telum, an ſagittam, vix unguem longam aut latam, mitto; ex lapide lydio, ut conjectura fert, factam. Hæc ſe obtulit in lardo *Vituli* marini, bene magni & annoſi; (nam & in dentibus annorum indicium habere ejus generis animalia dicuntur) Beſtiam illam Ruſticus vicinus ſagitta uncinata confixit, & alligato ſagittæ fune, peremit. Beſtia dum mactatur, reperitur, ut dictum, lapidea illa ſagitta, in media laridi ſpiſſitudine: qvæ propterea beſtiæ innocua fuit, ut alias deprehenditur. Niſi enim larido penetrato, interiorem carnem contingat, non fit lethalis, interior illa caro *Kveſte*, hanc circumplexa pingvedo ſive laridum, *Spik*, cum Danis & Germanis, vocatur. Repertam ſagittam lapideam ruſticus piſcator, dentibus primoribus tentavit, atqve inſulſus cuſpide exarmavit, ut videre eſt. Hujusmodi vero materiæ ſagitta cum in Islandia nusquam uſurpetur, conjicimus eſſe Grönlandicam, aut neſcio ex qva circumjacentium terrarum, habet latior ſagittæ finis exiguum foramen, qvod forte filum, ex ſubtilioribus balænarum fibris, beſtiam lethaliter ictam attrahendi fine, infixum habuerat.

Epitaphium, his adjunctum, a Typographo veſtro, accurate editum, & exemplaria 60. (qvorum unicum in membrana imprimatur, opto) ſeqvente anno ſuo pretio redimam, ſed & hoc neglexeram, ut Dni Fautoris indicio reſciſcam, qvo animo Dedicatio *Speciminis* excepta vel admiſſa ſit. Qva vero occaſione exemplaria huc deferantur aliqvot, æqvo pretio redimenda, vix ſatis invenio. Poterit autem Typographus, ſi e re ipſius foret, per *Johannem Mummium*, civem Roterodamenſem, huc mittere aliqvot *Speciminis* exempla, per ipſum diſtrahenda, cui etiam, nomine typographi, meam operam locabo. *Mummius* ille auceps eſt (*Falke-Fænger*,) & privilegio munitus, falconum capturam, multis jam annis, per

totam fere Islandiam magno ſuo commodo obtinuit exercen-
qve. Jam ut hæc craſſiore Minerva ſcripta Dn. Fautor, a
mea omnia connivens, placide excipiat, etiam atqve etiam ro-
go. V. 29. Auguſt. 1643. cum ex moleſto itinere, mei paru-
compos, domum eram reverſus.

Proſapiæ

ARNGRIMI JONÆ

consignatio,

Qvam tabulæ operculi facie exteriori

contineri voluit deſcriptam:

ARngrimus Jonas & Sigritha Bernhardi, facti ſunt ann. 1628. Conjuges; ille qvidem, ſecundum maritus; ætatis robuſtioris Anno 60. Hæc virguncula, annos nata 27. Qvibus ex novena ſobole, Liberi 7. ſuperſtites relicti ſunt; nempe mares 4. & tres fœmellæ: qvorum Nomina & nativitates, ad patris ætatem accommodatæ, ſic recenſentur:

Thorchillus, natus anno 61.	*Bernardus* æt. pat. - 70.
Thorlachus - - - 63.	*Gudbrandus* - - - 71.
Jonas, vixit dies 50. natus 64.	*Hilda* - - - - - - - 75.
Solvega, nata - - - 66.	*Gunnerus*, vixit dies
Ingeborga - - - - 67.	91. nat. - - - 77.

Qvum prædictus *Arngrimus Jonas* ex priore 31. annorum matrimonio, liberos tantum 4. ſuſcepiſſet. Nec enim Germaniæ philomela abs re cecinit:

Abdita res eſt

Conjugii ratio: FATO CONNUBIA FIUNT.

Utrosqve ſolatus, divites nempe, prolis inopiam lugentes: ac viciſſim inopes, ob prolis abundantium pene deſperantes. Aſt poſterioribus Pſal. 127. animum addit.

Æmula

Æmula certabit gravibus tua Vitibus uxor,
Quæ repſere domus per latus omne tuæ
Quam multus placidæ ſuccreſcit fructus Olivæ;
Tu qvoqve tam multa prole beatus eris.
Gaudebis propriæ ſpectans convivia menſæ,
Delicias menſæ, pignora chara, tuæ

CCCXLVI.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

PRo transmiſſo telo lapideo, vere raro, gratias ago; de eo in eadem plane ſum ſententia, hoc nempe armatam fuiſſe agittam, qva beſtiam petiit piſcator. Qvos lapides vocas *Ætites*, nihil minus ſunt; *fabæ* namqve *Indicæ* duo genera vidi, qvorum majus *Cor D. Thomæ* vocant, eo qvod ad Inſulam hoc nomine celebrem, in magna creſcat freqventia; ſunt mihi loculi fracti, ſeu lobi fructu hoc prægnantes. Nucleus exſiccatus, & a cortice abſciſſus, concutiendo ſtrepitum illum excitat, qvem a faba provenire ſomniat vulgus. Succi Liqviritiæ & Zinciberis conditi, ut petis, mitto portiones, per annum, ut puto, ſpatium Tibi ſuffecturas. Epitaphium typis expreſſum addo. In ſumma temporis anguſtia & occupationibus qvam plurimis, plura ſcribere non licuit. Vale. 20. Jun. 1644.

CCCXLVII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

TUrbatus & anceps rerum noſtrarum ſtatus ſolitam ad Vos navigationem non modo incertam ſed & minus tutam reddidit. Hinc, licet qvomodo, per qvos, aut qva commoditate ad nos literas dare concedatur, vix conſtiterit, non potui tamen, qvin fortunæ aleam experirer, atqve has exararem, incertus, tuas ad manus an unqvam ſint perventuræ. Qvæ per

mercatorem Hans Simenſön transmiſiſti, recte accepi, qvamvis non ſine difficultate. Exſpecto jam animadverſiones tuas in *Monumenta* mea, qvas diligenter, rogo, mercatori commendes; multum enim tuo in hiſce tribuo judicio, nec ſcio jam qvemqvam alium, cui Antiqvitates noſtræ adeo ſunt curæ, ut iis operæ aliqvid tribuere velit. Eſt apud nos Legatus Gallicus, Dominus *de la Thuillerie*, Vir humanus & eruditus, qvi in ſua familia Virum alit egregium, *Iſaacum Peyrerium*, mihi familiarem, qvi magna curioſitate colligit, qvæ auditu vel ſcriptis de Islandia & Grönlandia habere valet; ei Opera tua mutuo dedi, ex qvibus decerpſit, qvæ amicis in Galliis per literas communicaret de ſtatu & conditione Septentrionalium. Vehementer delectatur lectione *Speciminis* & *Crymogææ*, mecumqve de non intellectis confert. Is cum reſciret, me jam ad te literas daturum, juſſit, officioſe ut ſalutarem, qvod hiſce facio, & ſimul valere jubeo. Hafn. Cal. Jul. 1645.

Hærent adhuc in confinio utriusqve Regni Legati noſtri, de pace tractaturi, qvorum expeditionem felicem indies præſtolamur. DEUS corda utriusqve partis ita diſponat, ut exoptata pace frui benigne valeamus!

CCCXLVIII.

OLAUS WORMIUS

Arngrimo Jonæ.

EX ultimis tuis conjicio, ad te, cum eas exarares, non devenisse, qvas tibi miſeram per ſtudioſum, qvem tamen ingenui hominis officio jam defunctum credo. Pro transmiſſis *Animadverſionibus in Monumenta* mea gratias ago maximas, eorumqve ut non ſine Nominis tui grata memoria habeatur ratio, ſi qvando rurſus ſint exudenda, operam dabo. Non mihi ſolum ſed & toti Patriæ rem gratam præſtitiſti. Nam mihi, tum Antiqvitatum tum idiomatis priſci haud ſatis gnaro, non potuit non contingere, labi, errare ac cuncta non adeo accurate aſſeqvi. Voluntatem candidi pro facto interpretabuntur; & erit forſan aliqvando, qvi qvod in meis deſiderari poſſit, ulto-

ori diligentia expoliat, ut non penitus pereant nobis a-
:ibus relicta fortitudinis & gloriæ rudera.

Jam aliud indicare neqveo, qvod ad te ſpectet, qvam
›ſe a Legato Gallico apud nos per me conqviſita fuiſſe
ı Opera tua, ut Bibliothecam *Cardinalis Mazarini* Pari-
tornent; ex qvibus, qvanti te tuaqve faciant ejus natio-
iterati, colligere licet. Vale, & magno Eccleſiæ & Rei-
ıæ literariæ bono diu vige ac vive. Hafn. 18. Jun. 1646.

CCCXLIX.

ARNGRIMUS JONAS

D. Olao Wormio.

um habeo *Torchillum*, annos natum 17. is in ſchola no-
ſtra Holenſi aliqvantiſper Grammaticæ rudimentis operam
, ſimulqueLogicæ & reliqvarum præcepta deguſtavit, poſt ali-
ræceptore uſus eximio viro *Runolpho Jonæ*, Acad. veſtræ a-
o, per biennium, & adhuc in æſtatem ſeqventem, Deo volente,
ır. Hic ſi vivat meus filius, ad veſtrum Athenæum, jam
naturæ inſtinctu, nec invito parente aut præceptore, an-
: nam licet hic vita tantum degatur ruſtica, informan-
ımen erunt, qvantum cujusqve ferat conditio, vel prima
:, alicujus ſpei ingenia, qvibus progreſſu temporis, in mi-
rio Eccleſiaſtico uti DEus deſtinaverit: ad qvod etiam fa-
qvod ſubſidiorum ſpes, omnino neceſſaria, diplomate Re-
iis (etiam ex noſtratibus,) præcidatur, qvi inſalutata Aca-
a promoveri cupiant. Itaqve filii, ad vos ablegandi, pro-
:um ut ſuccedat, Dn. Fautoris providentia & conſilio,
:imis literis impertiendo, mihi (ſecundum Deum) ſum-
›pus erit. Eorum enim, qvæ huc ſpectabunt, notitia
nulla eſt, de conditione & ſtatu ibidem degere volen-
: qvanti ſcil. iſtic apud cives vulgares (præter veſtitum,)
:ur? & an DD. Profeſſores convictores ſtudioſos alant?
: ſpes aliqva Eleemoſynæ Reg. ut olim? & qvam cito no-
:s ad ingreſſum Communit. Regiæ admittantur? Nam
Regia

Regia Indulgentia Islandi mox adventantes primi erant ex[...] ſtantium, *Doctore Paulo Matthiæ* hoc illis privilegium proc[...]rante, qvanqvam murmur & invidiam ea res habuit apud vulgu[...] ſtudioſorum. De his per epiſtolam conſilii tui compos ut f[...]rem, cum navi in portum occidentalis Islandiæ *Kumbarav*[...] prima æſtate appulſuræ, optarem &c. Ex Islandia borea[...] & domo mea Melſtadenſi anno 1646. 16. Auguſti.

ARNGRIMI JONÆ
ISL. W.
Monumentum, ab ipſo annum æt. 79. ingreſſo, & DEI beneficio adhuc ſuperſtite, licet valetudinario, ſibi confectum, tabulæ ligneæ mandandum, & ſepulcro proprio ſuo tempore apponendum.

NOn caret exemplo, ſibi qvando epicedia vivi,
 Mortales mortis conficiunt memores.
Mos ſane egregius, qvem non piget undiqve canum,
 Arte licet metrica ſim nihil ipſe, ſeqvi,
Nubivagam jungas ſi AQVILAM cum CASSIDE, nomen
 Arngrimi proprium Lector amice, tenes.
Barbarici ratio, nunc nominis ominis atqve
 (Reddita qvippe alias,) non repetenda, jacet.
Vis patrium? monſtrat cognominis ille Propheta,
 Cui vice navigii vaſta Balæna fuit.
Hocce loco exuvias animæ poſuiſſe caducas
 Allubitum eſt, reqvies oſſibus unde venit.
Ut ſic faginea moriens abſconditus urna,
 Parte mei cœlo ſim meliore ſuper,
Auſpiciis, bone CHRISTE, tuis: tibi gratia, teqve
 Gloria Laus & Honor perpetuo maneant.
Ecce Eccleſiolam, cui me prodeſſe volebas,
 (Qvod, modo ſic factum, eſt nominis omne tui.)
Hanc tibi diſcedens commendo, Sancte Redemtor,
 Ne lupus omnivorus fœdet ovile DEI.

Pign[...]

gnora chara mei, caſta cum Conjuge, lecti
Suſcipias alis, CHRISTE, tuenda tuis.
ıpillis PATER affulge, viduæ ſimul Idem!
Hæc ita cum nutu Numinis evenient.
ɔs reliqvi dulces, multum valeatis, Amici,
Qvos mihi ſincerus conciliavit amor.
e me præmiſſum valde doleatis, amuſſim
Verbi divini rite tenente fide.
t ubi lætemur poſt mortem, nubila noſtra
A facie ad faciem diſcutiente DEO.
oilus in vita nobis fuit unus & alter,
Hos etiam cælo, Rex benedicte, bea.
lec levis his obſtet, nihili facienda, ſimultas,
Qvos nunc ut fratres, corde animoqve colam.
nte obitum, iſta meo poſt apponenda ſepulchro,
Præcentor panxi funeris ipſe mei,
xemplo inductus Gravium qvandoqve Virorum,
Dum teſtamentis funera præveniunt.
t vel eo pacto lethi memor, omnia COELO
Poſthabeam mundi gaudia ut & lachrimas.
pius immodicas funebria carmina laudes
Cogunt: me pietas ſimplicitasqve juvent.
t, mihi qvando ſolum Cœlo mutare datum ſit,
Qvæſumus hæc addat, ſi qvis amicus erit.

Hoc Epicedium meum in Tabula lignea, ſive qverna am cedrina pretioſior eſt, & nimio conſtabit) ſive alterius ligduriſſimi ſolidiſſimiqve, præſtanti minio inſcribendum curet ıigniſſimus Dn. Fautor. De magnitudine tabulæ pictoris conum reqviratur pro characterum modo & numero verſuum, n titulo. Addatur catenula dimidiam ſpithamam longa, ex ili electro probæ materiæ, quæ in circulum congruentem deat, Tabulæ ſuperne ad æqvilibrium innectenda, unde hæc ſelchro apponenda ſuſpendatur. Mercator noſter omnem rei jus ſumptum præſtiturum ſe eſt pollicitus. V.

CCCL.

CCCL.

OLAUS WORMIUS
Arngrimo Jonæ.

QVanta fieri potuit & res ipſa poſtulavit induſtria, qvæ injunxiſti, curavi. Tabellam, qvam Epitaphio deſtinatam voluiſti, longe ampliorem deſiderabat capacitatem, ſi tot verſus excipere deberet, qvot miſiſti. Et tantæ latitudinis aſſerem reperire haud datum fuit, qvantum res poſtulabat. In ea, qvam fieri curavi, qvamqve mitto, tabula ita compaginata ſunt omnia, ut omnem ſpernant tempeſtatem & aeris injuriam, tuoqve ſperem deſiderio ſatisfacturam. Tota ſtructura mutanda fuit, ſcopum ut aſſeqveremur. Pro minio aurum ſumpſimus levi impendio; pluris enim laborem pingendi æſtimabat artifex, qvam aurum ipſum; quocirca hoc illi prætulimus; ſi qvid præterea inſcribi velis, valvis inſcribi poteſt. Catenula qvia tanta moles ſuſpendi neqvit, clavos addo qvi ad baſin & latera ſtructuram firmabunt. Qvanti ſingula conſtent ex adjuncta ſchedula videbis. Addidi tuis in charta impreſſis, leve Epigramma: qvod ſi minus arrideat, deleri facile poteſt, philyra chartæ mundæ ei ſuperagglutinata. Amor in te meus hoc extorqvebat; qvem tibi ad rogum volo illibatum. Contra ſcorbutum vix ſufficiet ungventum, qvod tu præſcribis. Ex herbis appropriatis, *Cochlearia becapunga*, *Naſturtio Aqvat.* ejusqve generis aliis, qvas non dubito apud vos creſcere, ſi potiones, ſuccos, condita, præparaveris, iisqve uſus fueris, melius tibi proſpicies. Supra vapores calidos decocti harum plantarum ſi crura & pedes poſueris, atqve ita ſudores elicueris, tibi melius foret conſultum. Annulos duos mitto ex dente Rosmari ad præcavendum ſpaſmum. Filium qvod ſpectat, cum huc ubi miſeris, qvocunqve poſſim officiorum genere juvabo, atqve eleemoſynæ Regiæ prima qvaqve commoditate particeps ut reddatur, laborabo. Unum eſt, cujus enodationem hac vice a te deſidero, ſiqvidem ipſe hinc me extricare neqveo. Invenies ad calcem meæ *Literaturæ Runicæ*, ut & *Hiſtoriæ Norvagicæ*, nomina Scaldrorum Danicorum, Sveticorum & Norvagicorum, Principum item qvorundam, inter qvos hi ſunt, de qvi-

qvibus certior fieri cupio: *Eiſtenus Sanctus* qvis ſit & qvalis? *Biorno ad Hauge? Ericus Tæfelif.? Sturbiornus fortis? Jonas Baro Sverchiæ f.? SonoBaro Ivarif.? Carolus Baro Sonæ filius?* Qvando hi vixerint, & qvales fuerint, apud Svecos annotatum non invenio. Si qvid igitur de iis habeas, communica qvæſo. Plura tecum diſſerendi non datur hac vice mihi occupatiſſimo commoditas. Vale igitur, & bono publico diutiſſime vive. Hafniæ a. d. 13. Junii 1647.

Lignum transmiſſum remitto. De omnibus certiorem te reddet mercator: qvi mihi pro expenſis omnibus juxta ſchedulam ſatisfecit 17. daleris vilioris monetæ cum marca una & 12. ſolidis.

CCCLI.

Cl. Viro.

D. OLAO WORMIO

S. P.

CLariſſime Vir: Duæ ſunt cauſæ, qvibus moveor, ut ignotus & longe abſens, te hiſce literis compellare non erubeſcam; qvarum prior humanitas ſumma, cum aliarum amabilium virtutum excellentia, mihi a meo *Dn. Thorlaco Scultonio* de te ſæpius prædicata, qvæ mihi animum auget, ut poſteriorem liberius exponam, qvæ eſt filii mei *Benedicti*, peregre abeuntis præſentesqve exhibentis, neceſſitas, qvi animum literis excolendi gratia celeberrimam veſtram Academiam inviſere cupiens, de Patrono aliqvo, cui commendetur, vehementer eſt ſolicitus. Etſi enim audacter & inverecunde facere videar, qvod obſcurus ego tantum Virum de hoc negotio ſolicitare non dubitem, tamen, qvia Dn. *Thorlacus* author mihi hujus rei exſtitit, & affectus paterni verecundiæ limites aliqvando egrediuntur, humanitatem tuam hunc affectus exceſſum facile condonaturam, facile mihi perſvadeo. Fateor eqvidem, tenuiſſimos illum feciſſe profectus, utpote qvi proximis hiſce annis ob rei familiaris anguſtias, â ſævitia hyemis annorum 1623. & 1624. & pecudum ſtrage potiſſimum ortas, non literis, ſed laboribus ruſticis, ut miſeræ hujus terræ fert conditio, inſudaverat.

verat. Ne vero literarum initia fruſtra delibaverit, in illis inceptis ſibi pergendum ſtatuit, confiditqve, favente DEO, Præceptorum ope & propria diligentia, qvam pollicetur, parvis hiſce initiis accedere poſſe majora, ideoqve re anguſta domi a propoſito ſe retrahi non patitur: qvod etiam ipſi in nomine JEſu Chriſti indulgeo. Hunc igitur Filium meum *Benedictum*, ut unicum, ſic dilectiſſimum & obedientiſſimum, humanitati tuæ ſecundum DEum, qva poſſum paterni animi ſubmiſſione commendatum cupio, & opto, vir Clariſſime, ut eum in diſcipulorum tuorum numerum, inter poſtremos recipere, ad pietatem & diligentiam in artium liberalium ſtudiis crebro adhortari digneris, inqve ſtudioſorum album receptum, data occaſione promovere, ut menſæ liberæ, in communitate Regia, eleemoſynam conſeqvi in primis poſſit; alias ob ſubſidiorum inopiam ægre ſe ſuſtentabit. Hujus beneficii remuneratorem largiſſimum habebit humanitas tua Deum Opt. Max. peregrinorum ſupremum Patronum, Parentis etiam pauperis animum, jugi voto Te DEO commendantem, & in qvacunqve re poſſit gratificari paratiſſimum, inqve reſurrectione juſtorum pium hoc opus prædicaturum. Interim in JEſu Chriſto feliciſſime precor, ut valeas anima & corpore, Vir præſtantiſſime. Lauſaſii an. 1626. 13. Cal. Septemb.

Humanitatis Tuæ

obſervantiſſ.

MAGNUS OLAVIUS

Eccleſ. Lauſaſinæ ad ſinum Borealis Islandiæ *Eyafiörd* indignus Miniſter m. pp.

CCCLII.

OLAUS WORMIUS

Magno Olai Islando.

GRatæ mihi tuæ fuerunt, mi *Magne*, vel eo nomine qvod de te bene merendi, deqve ſtudiis, Antiqvitates noſtras illuſtran-

bus conferendi occaſionem ſuppeditarunt commodam; , cui mox ab adventu de Menſa Regia ut & Muſeo libero xi, de nota meliori mihi habebo qvam commendatiſſimum itiar, ut meam ulla in re deſideret operam: ſed vellem, vantulum eum admonere officii, neſcio enim, qvomodo iſus ſit ad pocula aliqvanto proclivior. Cæterum, qvia ɾaturæ noſtræ antiqvæ peritiſſimum intellexi, cui enucle- ac in lucem proferendæ horis ſucciſivis, me devoverunt orum juſſis obtemperare æqvum eſt, ut me de qvibus udire haud graveris, amice contendo. De eadem hac *tura* librum conſcripſi, qvem, ni locorum impediret npedo atqve amiſſionis metus, tibi cenſendum mitterem. ɥvæ habeas, qvibus rem hanc illuſtriorem reddere poſſis, a ea communicare ut haud graveris, rogo. *Eddam* ac iteris Runicis exaratos te poſſidere libros intellexi, qvo- ſum per ſemeſtre mihi indulgere ſi non graveris, ſincere ɛor, bona fide per mercatores noſtros remittendos aut filio adendos fore. De *Ramrunis*, qvibus in Magicis uſi ſunt tes, hæſito, an eædem fuerint notæ cum vulgaribus, an liverſæ? Tu, qvæſo, mentem tuam aperi. Extant apud nos monumenta qvædam ſaxis inſculpta, diverſam a vulgata præ ſe ferunt literaturam, de eminem adhuc reperi qvi me erudiret. Ea igitur iitto, ac obnixe contendo, ut, qvid de iis ſtatuas, nis tuis indicare haud graveris. Trygveldenſe illud, qvam- ibusdam in locis non usqve adeo ſit obſcurum, attamen n deſidero explicationem. Vobis facilior multo eſſe poſſet bor, utpote qvibus antiqva noſtra lingva adhuc familia- Aihi ejus imperitia remoram crebro injicit, ac doleo, iiror, neminem ex veſtratibus hic degentibus reperire, opera in hoc negotio uti valeam. Hac in re navatam à eram, honorifica in monumentis meis mentione, depræ- , tibiqve viciſſim qvævis mea officia paratiſſima eſſe. 627.

CCCLIII.

MAGNUS OLAVIUS

D. Olao Wormio.

VIr Clariſſime, fautorqve debita obſervantia plurimum colende. Qvod literas meas anni ſuperioris apud te pondus habere oſtenderis, filioqve meo de menſa Regia & libero Muſeo proſpexeris, qva poſſum animi devotione gratias ago immortales, Deumqve peregrinorum patronum, ut tibi hujus beneficii largiſſimus ſit remunerator, ſedulus precabor. Cæterum, qvod Clariſſ. Dn. D. de priſca illa literatura ſcribit & mittit, fruſtra eſt; illius non ſum peritus, ſed nunc magno meo cum dolore, qvod in re tantilla prodeſſe non valeam, fateri cogor. Nunqvam enim illam didici, certa qvadam de cauſa, neqve ullos libros litteris Runicis ſcriptos poſſideo, alias multo lubentius tibi illorum uſum, imo poſſeſſionem indulſiſſem, qvam unqvam optare potuiſſes: deſiit etiam apud plurimos vel ante meam ætatem iſtius literaturæ ſtudium. Interim juvenis, vetuſtæ ſcriptionis Norvegicæ vulgarisqve & in ea abbreviationum variarum, ut & obſcuritatis veterum Rhythmorum, qvi difficultatis aliqvid habere videntur, ſtudioſus inqviſitor exſtiti, utpote a natura ad rem Rhythmicam aliqvantum inclinatus: Idcirco & hoc negotii aliqvando mihi injunxit præceptor meus honorandus *Dn. Arngrimus Jonæ*, ut *Eddam* noſtram antiqvam ſine ordine congeſtam, in aliqvem certiorem redigerem, qvam ex vetuſtiſſimis aliqvot, qvæ haberi potuerunt, exemplaribus, omnibus tamen mutilatis, ita conſcripſi, ut nunc a plerisqve noſtris Rhythmiſtis uſurpatur. Nec *Eddam* unqvam, aut in illa qvicqvam, Runicis literis exaratum vidi; ſed mira illius abyſſus atqve intricandi & obſcurandi ſenſus ratio deprehenditur: qva in re enucleanda aliqvid forte operæ conferre poſſem, ſi utilitati eſſet. Verum, qvod *Runicas* illas *Literas* attinet, duo puto illarum haberi Alphabeta, diſcrepantium characterum, idqve pro certo auſim dicere *Ramrunas* illas, qvibus præcipue in magicis uſi ſunt noſtrates, diverſarum eſſe ab utroqve illo notarum; præter qvod vulgaribus Runis uni

eam

eam compoſuerant aliqvam literam, additis ex aliis apicibus, integram dictionem, qvæ illorum propoſito inſerviret, conficientem. Ejusmodi etiam nominis proprii intricatam ſcriptionem per unicam literam vidi aliqvando in priſco ſepulchri aſſere. Puto etiam veteres illos, neſcio qvo conſilio aut ſuperſtitione, data opera ſtuduiſſe, ne facile legi poſſet, qvod ſaxis ſepulchralibus inciderant; alioqvin a vulgari literatura non receſſiſſent aut peregrinas miſcuiſſent notas. Sed nunc nihil in hiſce expedire poſſum, niſi, volente DEO, proximis literis fieri poſſit. Hæc enim tempora, dum apud nos Boreales præſtolantur naves Hafnienſium, adeo ſunt inqvieta, ut nec reſpirandi, ne dicam ſcribendi aut meditandi locus ſit. Concurrunt opera fœnilia, crebra & difficilia itinera ad negotiandum cum extraneis, qvi hac æſtate ad nos & ſero venerunt, utpote circa 10. Augusti, & nunc maxima feſtinatione rem agunt, ob metum imminentis periculi a piratis, qvi, novo hic mali genere, Islandiam latrociniis & homicidiis ferociter infeſtant: Qvinqve etiam naves Danicas, nautis aliis interfectis, aliis captivis abductis, ſurripuerunt, ut magnopere nobis, præcipue maris accolis metuendum ſit. Graſſatur adhæc morbus qvidam epidemicus per totam fere inſulam, multos paſſim proſternens, ut nunc ille nunc alius inviſendus ſit ægrotus. In hac itaqve temporis anguſtia, & rerum perturbatione, rudem epiſtolam ut ignoſcat Clariſſimus Dn. D. humilibus votis contendo, utqve me in peregrinorum amicorum numero habere, filio favere, ad ſtudium pietatis ipſum hortari, a negligentia in diſcendo & ebrioſorum conſortio deterrere, ad optima qvæqve crebro incitare, qvaſi paterno jure pergat, propter Deum ex animo oro; ut exiguum hoc temporis, qvo in veſtra vivere datur Academia, bene & in bonis rebus collocet; *ſtultus* ſiqvidem *eſt labor ineptiarum*, ut inqvit ille. His mihi meus Dominus rem fecerit propria vita gratiorem. Et te Domino vitæ JEſu Chriſto cum anima & corpore commendo, Vir Clariſſime, fautor æternum colende. Lauſauſii in Boreali Islandia 6. Cal. Sept. anni Chriſti 1627.

Ad
D. D. OL. WORMIUM
de
SKAKIS
ad
eum miſſis:

1.

Latrones *. ad lites
Ludicras haut rudes,
Cavea clauſos levi
Clare vir duc in lares.
Cura campum dari
Cominus ſe promant,
Getice graves rotet
Gens diſcolor, enſes.

2.

Tranſtulit in monſtri
Thyrſo plectenda Cyrce,**
Sermone, ſic, formas
Satellites, atro,
Poſtqvam *Vidas* vir caſtus
Verſu cecinit terſo,
Forte qvod confertim
Canam læſerint anum.

* *Skäkur* ſive *Skäkmadur* in veteri lingva Norveg. idem eſt, qvod *Latro viaticus* (Schächer etiam Germ. *Latro* dicitur,) item *ad Skäka* (infinitiv.) eſt *Interficere*, nunc abuſive utimur, in jurgio convitio aliqvo mordaci alterius famam vulnerare. Hann ſkäkar honum i. e. *convitium dicit*. Qvare mihi *Ludus* non *Scachiæ*, ſed *Scachi* appellandus videtur.

** *Y* pro *I* mutatio litteræ licentia vetus in hoc genere Rhythmi, ut directæ conſonantiæ qvam orthographiæ major habeatur ratio.

Talis forma Rhythmi generaliſſima olim fuit in Lingva Norveg. ut etiam Danica, qvam appellabant *Dröttqvætt*, qu. *vulgo cantabile*; *Drött* enim *turbam* ſignificat. Hac etiam Heroum facta decantabant.

Vides, Vir Clariſſime, qvantum confidam humanitati Tuæ, qvod adeo pueriliter ineptire audeam & plus ſane auderem, niſi nunc temporis anguſtiæ & occupationes metam ponerent. Vive & vale.

CCCLIV.

OLAUS WORMIUS
Magno Olavio.

Literas tuas una cum tranſmiſſis Seacchis probe accepi, Vir eruditiſſime, pro qvibus gratias ut ago debitas, ita occaſionem de te viciſſim bene merendi oblatam iri unice exoptarem. *Literaturam* noſtram ut & Poëſin elucidantia qvæ communicaſti, exoſculor; De iis enim librum conſcripſi, ut ſpero haud inutilem, in qvo ſuo merito & hæc locum invenient, non ſine tui honorifica mentione. Qvod ſi a te Rythmum *Drotqvet* antiqva noſtra lingva, juxtaqve poëſeos veſtræ leges conſcriptum, in hujus commendationem impetrare poſſem, magno me affectum beneficio exiſtimarem. Utqve libro meo in tui memoriam Runicis literis expreſſum præfigeretur, curarem. Ad eorum, qvæ de priſca Poëſi conſignavi, illuſtrationem multum facere poſſe confiteor. Rationem literas intricandi, qvam doces, me etiam in qvibusdam monumentis obſervaſſe memini. In eo qvod ad te miſi, non ſolum inverſione uſi ſunt, ſed etiam characteribus ab uſitatis diverſiſſimis, nec qvenqvam adhuc reperire mihi datum, qvi ex hoc me expediret labyrintho. Tu ſi qvid præterea habeas, qvod ad hujus negotii ſpectet illuſtrationem, ejus rogo me facias participem. Filio tuo ex animo bene cupio; ſi ipſe tam promptus ad obediendum qvam ego ad monendum & ad honeſta qvævis hortandum, exſpectationi & votis tuis qvin ſatisfacturus eſſet, non dubitarem. Interim qvod mei eſt officii, dum apud nos vixerit, facere non deſinam eumqve ut proprium filium amore proſeqvi paterno; ac ſi qvid ſit, qvo tibi in aliis uſui eſſe valeam, non deero. Vale. 1628.

CCCLV.

MAGNUS OLAVIUS
D. Olao Wormio.

Clariſſime Dn. Doctor, fautor, mihi inter præcipuos honorande. Qvod primum eſt in affectu, primum nunc occurrit in

ſcriptione, ut pro filio meo *Benedicto*, qvi hac æſtate ad patrios rediit lares, promotione, inſtitutione, paternis adhortationibus; qva poſſum animi devotione gratias agam maximas: Proximum eſt ut inſcitiam meam profitear, vel etiam deprecer, qvod *Runas* veterum in charta ad me, ante biennium, transmiſſas, nondum potuerim expedire. Characteres certe pleriqve, etſi ex variis priſcorum alphabetis coacervati, luculenti ſunt & liqvidi; ſed tanto variationis & transmutationis ſtudio collocati; ut ne u quidem ſyllaba elici poſſit integra. Infinitam appatet fuiſſe, & nu lis certis adſtrictam legibus ejusmodi licentiam apud veteres Ru niſtas. Exemplar miſi ad myſtas, qvos putavi harum reru qvod adhuc non recepi, & diffido cum fœnore rediturum.

Eddam noſtram hac hyeme, injungente noſtro Dn. Ep ſcopo, ex mandato Magnifici Cancellarii, in latinum ſermone ſi tamen latinum, converti: inviſum opus valetudinario, qv ego toto fere hoc anno fui. Hanc ad Dn. Cancellarium Epiſc pus noſter miſſurus eſt. Meræ ibi nugæ, & minus dignæ, in qv bus bonæ perdantur horæ, niſi Magiſtratui parendum ſit, c etiam animos delectandi miniſterium a ſubjectis deberi ex ſtimo. * * * Lauſaſii 22. Auguſti 1629.

CCCLVI.

OLAUS WORMIUS

Magno Olavio.

MAgnificum Cancellarium jam denuo, tuo nomine, con veni; qvi votis veſtris ſatisfactum, & per Inſulæ Præf ctum reſponſum delatum, referebat. Vides igitur, me nullu non moviſſe lapidem, cuncta ex voto tibi ut ſuccederent. M iſtius recalcitrantis non moror impetus, ingrati ſui animi tande mihi dabit pœnas. Bonis placuiſſe mihi ſat eſt. *Runas* meas enuclea tas a te jam exſpecto, ac pro erudito carmine gratias ago inge tes. Diſcurſum tuum *de Veterum Poëſi*, *Eddæ* additum mihi ad modum placuiſſe, faxo ut intelligas, ubi *Literaturæ* meæ inſer tum, ſuo tempore, videris. Vale, Vir optime, & me mea qve ſtudia amare perge. 1630.

CCCLVII.

CCCLVII.

MAGNUS OLAVIUS

D. Olao Wormio.

* * *

-apſa hyeme uſi ſumus Boreales hujus inſulæ incolæ ſtri-
ctiſſima, & poſt hominum memoriam, tempeſtatum fre-
ıtia & altitudine nivium prodigioſa, notabili, ita ut paſſim
:, ſicut nullæ, usqve ad feſtum Pentecoſtes aut circiter,
nive delituerint, unde labes & ſtrages exſtitit pecorum, &
amiliaris anguſtia apud multos damnoſa. Qvum e diverſo
:um verſus habitantes in hac eadem inſula, æſtiva pæne
rentur cœli temperie: ſed nihilomnius in iſtis oris non
ul a Schalholtia, & ibidem ſimul, inſignis terræ motus
lia haud pauca deſtruxit, qvo homines aliqvot & pecora
ierunt, hiatusqve in terra facti, aſpectu horribiles, qvi
publicam, hactenus ſine impedimento tritam, effeciſſe in-
ı & tranſitum denegare dicuntur. Runas illas, ut antea
toties ſcripſi, nunqvam enucleatum iri crediderim. Miſi
plar ad Dn. *Arngrimum*; Runiſtasqve plurimos conſului,
fruſtra. Sed reſtat adhuc unus peritiſſimus, qvi necro-
tiæ, in foro noſtro publico, hac æſtate inſimulatus, neſcio
aufugit: qvem in hac re etiam conſuluiſſemus, niſi jam
audiret. *Erraticam* illam *literaturam*, qva uſi ſunt noſtri
res; in communibus literis, ſeu Romanis, ad Dn. Bo-
em animi gratia mitto. Per omnes illos modos Runica tua
viſivi, ſed laterem lavi; mallemqve aureum vellus e Col-
e petendum mihi injunxiſſes, niſi gloriam iſtam præcipu-
t Argonautæ. Diſcurſum uberiorem, ſi placeret, de noſtra
ıere poſſem *Re Poëtica*, ſed non poëtice, ſi Dn. meus ſe-
uſtici & pæne ſexagenarii in tali declamatione inſcitiam
ſaret. Vehementer aveo de rebus iſtis priſcis tua ſcripta
e, qvando edita fuerint, & pretio exemplar redimere. Va-
Vir Clariſſime & amice honorande, ac, ut cœpiſti, me a-
nunqvam define. Lauſaſii 4. Sept. 1630

1	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N
2	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o
3	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p
4	ø	v	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l
5	x	d	e	b	c	z	t	k	l	c	h	n	m
6	r	z	u	a	t	q	x	d	c	p	s	g	i
7	Λ	B	И	ǂ	Φ	Ƿ	Ƿ	ж	ı	Ƿ	ᛚ	Ψ	ᚳ
8	⅂	⊐	Θ	1	Γ	ᛋ	ᛋ	X	ᛚ	F	Z	H	ǂ

1	P	Q	R	S	T	U	X	Y	Z	Þ	Æ	J	Ø
2	q	r	s	t	u	x	y	z	þ	æ	j	ø	v
3	r	s	t	u	x	y	z	þ	æ	j	ø	v	a
4	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	þ	æ
5	q	p	s	r	g	y	a	u	f	o			
6	k	m	o	n	y	l	þ	e	b	p	v	æ	j
7	K	ᛉ	R	♁	1	∩	未	ǂ	⌶	ǂ	ᛡ		
8	Ш	⋀	Ɛ	C	V	⊣	#	ᚦ	Π	ᛦ	⊥	Ŀ	ᛋ

Nomina Ordinum ſeu Alphab.

1. Almenningar, i. e. Vulgares, ſcil. Literæ; ſic Romani appellitabant. 2. Haugbualetur, i. e. tumulorum

L. eo.

ſ. collicolarum, vel etiam *Faunorum* literatura. 3. **Di ſugleletur hid mejra**, i. e transverſa literatura major: nam præcedens etiam minor nominatur. 4. **Springletur**, i. e. ſaltans vel tranſcurrens Litteratura. 5. **Villuletur**, i. e. erratica ſeu deceptoria Literat. 6. **Ramvillingar**, i. e. fortiſſimi errones, ſed active, qvod in errorem ducant. 7. **Malruner**, nota eſt dictio. 8. **Torkenningar**, qvaſi deformata elementa dixeris.

S. Literis obſignatis, exemplum occurrit ejus qvod in his ſcripſi. Unica hæc litera compoſita



tot in ſe contineret: ᛆᛚᛆᚠᚢᚱ

Olafur: ſic nobis eſt nominativus in hoc nomine. In Runis deniqve, qvas ad me miſit Dn. Doctor, ſi ordine colligantur, qvo ſcriptæ ſunt, literæ cognitæ, vix integra haberi poteſt ſyllaba. Profecto ergo uſi fuerant etiam in hoc Alphabeto inverſione, ut in vulgari, qvod illi *Villeletur* (Literaturam Erraticam) appellarant. Exemplar vulgaris ſubjicio tale:

x d e b c z t k l h i n m
a b c d e f g h i k l m n
þ q p s r g y a v f o
o p q r s t u x y z þ

Sed hæc rimari ulterius non patitur hoc tempus. Vale.

CCCLVIII.

OLAUS WORMIUS
Magno Olavio.

IMmerito offenſionis alicuius tibi obrepit ſuſpicio, mi *Magne* cum is non ſim, qvi amicis inſerviendo defatiger, aut levicula de cauſa offendar. Sed fide haud bona, præcedenti anno mecum egit Mercator qvidam noſtras, qvi & tibi & *Arngrimo* & Epiſcopo deſtinatas accepit, ac curaturum promiſit; ſed & vos & me eum fefelliſſe demum intellexi, cum de neglectu literarum conqverantur omnes. Sed ferenda, qvæ mutari neqveunt. Cum Magnifico Cancellario de rebus tuis iterato egi, qvi, (ſi tibi viſum eſſet, filio parochiam reſignare conditionibus tolerabilibus, ut ſc. ipſe onera ſubiret, contentus ſtipendio, qvod jam habet; tu vero toto vitæ tempore reditus acciperes) ſe apud Præſidem veſtrum *Roſencrantzium* effecturum promittebat, ut, qvæ volebas, rata haberentur, ac ſic omnis ſpes aliis ſuccedendi præriperetur. Juſſit interim, ut abs te peterem, ſibi veteres *Cantilenas* omnes *hiſtoricas*, qvotqvot haberi poſſunt, ut colligeres, interpretatione Danica exponeres, adjunctis *Narrationibus Schioldungicis*, ut vocant, utqve ad ſe transmitteres; tui viciſſim filiiqve commodis ſe haud defuturum, pollicebatur. Ejus nomine ad *Arngrimum* etiam hac de re ſcripſi, ut ſi viſum, mutuas hac in re conferre poſſitis operas. Effari enim neqveo, qvantopere ille ejusmodi Antiqvitates noſtras continentibus delectetur, & in commune bonum propalare geſtiat, eosqve amet, qvos hoc ſtudio capi novit. Fac igitur, ſentiat me impoſito munere ad te hac de re ſcribendi probe defunctum eſſe. Vale & filium *Benedictum* meo nomine ſaluta. Hafn. 22. May 1632.

CCCLIX.

MAGNUS OLAVIUS
D. Olao Wormio.

* * *

QVod ad veteres illas Cantilenas, dolet profecto, qvod Generoſi illius Herois voto, ut maxime vellem, tam ſubito

ſatis-

ſatisfacere non poſſim, propter anguſtiam temporis; qvod, dum hic negociantur mercatores Dani, contractius eſt, occupationumqve & itionum pleniſſimum: Deinde, qvia libri, unde excerpi debent, in promtu nondum ſunt, rati etiam acqviſitu, ac neſcio qvomodo diſſipati. Memini me juvenem, magnum faſciculum, ab Epiſcopo noſtro *Dn. Gudbrando Thorlacio* p. m. miſſum, Nobiliſſ. Viro *Arnoldo Hvitfeldio* offerre. Laici autem noſtri, qvi tales antiqvorum relationes poſſident, ægre communicant, ſed iis, ut auro angves, incubant, nullo cum fructu, niſi ut tempus aliqvando fallant. Rhythmos autem admixtos pauci, aut nulli ex illis dextre intelligunt, intactos idcirco prætereunt. Verum hiſce diebus fortuito ad manus erat libellus, qvi ad calcem habebat *Ragnari Lodbrok*, priſci Danorum Regis, *fatalem Cantilenam*: ſed ob nigrorem membranæ & vetuſtiſſimam ſcriptionem lectu difficillimam. Eam demum laborioſe erutam, hoc, qvo vides, modo explicui, ut qvaſi obligationis qvædam teſſera ſit. Oedipum me plurium ejuſmodi futurum, ubi conſecutus fuero. Danica interpretatio, ut facile cernitur, mihi vix favet. Declarationem ergo hujus cantilenæ poterit aliqvis Islandus, Hafniæ agens, qvi lingvam bene norit, Danicam facere, ſi Magnif. Dn. Cancellarius ea videre debeat. Qvod vero hac vice exiguum præſtem, veniam enixe rogo. Relationes, qvas vocant *Skioldunga Sögu*, non memini me legiſſe, neqve ſcio ubi haberi qveant; nihil ergo hic expedire poſſum: Tantum legi, *Skiolldum* fuiſſe Regem Daniæ, ejusqve poſteros *Skiolldunga* appellatos, & etiamnum, ut olim, ex illius nomine Rex qvilibet, *Skioldungur* rhythmice vocatur. Inter *Dn. Arngrimum Jonam* præceptorem olim meum ſemper honorandum, & me, tanta nunc eſt & tam difficilis locorum intercapedo, ut vix ſemel aut iterum in anno inter nos literæ commeent, omnis fere collationis ſpes, qvod utriqve dolet, excludatur. Valeas feliciſſime, Vir Clariſſime, & mihi, ut cœpiſti, favere non deſinas. Lauſaſii in Islandia 28. Auguſti an. 1632.

CCCLX.

OLAUS WORMIUS

Magno Olavio.

Clariſſime Vir, Amice honorande.

QVam grata, tam Magnifico Dn. Cancellario, qvam mihi extiterit docta illa & ingenioſa *Regneri Lodbrog* cygneæ cantionis enodatio, effari neqveo. Ex ea enim, tanqvam exemplo præclaro poëſeos vetuſtæ multa didicimus, qvæ præceptis & regulis tradita, non ita facile capiuntur ab artis & lingvæ priſcæ ignaris. Efficiam, ut inter mea, Antiqvitates noſtras complectentia, locum tuo cum honore obtineat haud poſtremum. Si ejus generis plura ad te pervenerint, ut memor promiſſi, eorum nos reddas participes, rogito; in primis ſi earum cantionum, qvæ a *Saxone* noſtro, in Operis initio, Latinæ redditæ ſunt, & a veſtratibus mutuatæ, vel ipſo fatente, qvædam occurrunt, tua opera enucleata ad nos ut veniant, expetimus. Nemo certe apud nos eſt, qvi ex iſtis ſe extricaverit; adeo evanuit jam ingenii noſtri vigor, & novellæ qvisqviliæ Majeſtatem priſcam exterminarunt. Rediit ad vos jam *Theodorus* noſter *Gislavius*, juvenis modeſtus & probus; qvem ob ingenuitatem amo, & vel tui cauſa commendatum porro habebo, ſi ad nos redierit. Res alioqvin tuas, ex voto curatas, ſpero; filioqve *Benedicto* (qvem meo nomine ſalutes) bene proſpectum cupio. Me tuis hic non defuturum commodis, penitus tibi perſvaſum ut habeas, velim. Interim vale, & me, ut ſoles, amare perge. 15. Jun. 1633.

CCCLXI.

MAGNUS OLAVIUS

D. Olao Wormio.

PRo tui in me favoris conſtantia, Vir Clariſſime, nihil habeo qvod digne rependam, præter animum gratum, & intime

precantem, ut Deum Opt. Max. piæ conſtantiæ authorem
atorem, in vita & morte & deinceps in æternum conſtan-
num obtineas amicum. Lætor *Ragnari Lodbroki Epicedium*
meis qvalibuscunqve ſcholiis placuiſſe; dolet iterum,
l nulla jam ejusmodi mittere licet. Conqveſtus ſum in
imis, me libros ægre adipiſci, unde *Cantilenas* iſtas deſume-
veam, qvum in omnibus antiqvitatum Relationibus non
nt. Prætendo eqvidem Dn. Cancellarii, de illis ad tempus
dandis, voluntatem, apud eos, penes qvos aliqvot eſſe
iderim, ſed fruſtra. Collegi ſane Centuriam unam ejus-
i *Viſarum*, (fas ſit mihi hoc vocabulum alieno inſerere idi-
i: *Viſa* apud nos in fœminino Rhythmus eſt,) ex *Relatio-
r Jarlorum Orchadum*, qvas ſero tandem impetrare potui,
multi nobiles *Scalldi* (*Scälld* Rhythmiſta appellatur) pri-
verborum formulis, plerorumqve nunc tranſcendentibus
lectum, artificioſe rhythmizant; eandemqve Danica in-
ris interpretatione illuſtrare conatus ſum. Etſi vero in has
qvitates Eddicas indagandas, ſingulari ferar ſtudio, & li-
velim has cupientibus obſeqvi, impediunt tamen pertur-
ones, tam internæ qvam externæ, qvominus, niſi rariuſcu-
raptim, talibus immorari qveam meditationibus: ama-
ſi etiam hoc tempore deſtituor, præcipue qvi Danica pu-
ſcribat. Filius enim, qvi illa præſtare potuiſſet, præceden-
ruma in familia Domini Epiſcopi noſtri vixit, & adhuc
; mea autem manus vacillat & deficit: Ego etiam hæc lit-
ria incolens, meræ Ruſticitatis utor vicinia, eaqve ſatis ſal-
noſa. Qvod itaqve hoc anno ſtare pollicitis non poſſim,
iliter mihi ignoſcatur peto. Dabo operam ut Centuriam
ectam, ſi vita & valetudo permiſerint, ſeqventi anno
fœnore videas. Vale vir Clariſſime. Lauſaſio 7. Sept.
13.

CCCLXII.

OLAUS WORMIUS

Magno Olavio.

On potui, Amice honorande, qvin iterum te literis meis
compellarem, & promiſſi memoriam refricarem, ut qvam
avide

avide exſpectamus, *priſcarum Cantilenarum Centuriam* tandem videamus. Qvantam enim non modo delectationem, ſed etiam ad Antiqvitates noſtras recte intelligendas hæc ferant momentum, indies experimur. *Saxonem* certe noſtrum tantum iis delectatum animadverto, ut integras qvandoqve metro Latino emphatice donaverit. Confer ſaltem, ſi vacat, fragmentum ſermonum *Biarki*, a te paraphraſi exornatum, cum iis, qvæ habet *Lib.* 2. *p.* 29. edit. Francof. *Ocyus evigilet, qvisqvis ſe Regis amicum &c.* Non ſine delectatione leges, qvam pulchre & ſenſum & verba *Biarkonis* ſit aſſecutus. Sed in iisdem *Saxonis* verſibus nodus occurrit, qvem nemo facile præter te, Vir Clariſſime, enodaverit, Circa finem *Biarco Rutam* alloqvitur hiſce verbis:

Dic mihi, Ruta, precor, usqvam ſi conſpicis illum!

Otthinum intelligit, qvi moribundi animam ad inferos deducturus erat; cui *Ruta* reſpondet:

Adde oculos propius, & noſtras proſpice chelas,
Ante ſacraturus &c.

Qvid ſibi velint chelæ iſtæ, & qvales fuerint, nondum inveni, qvi rite enodaret. Ego arbitror, vas fuiſſe, aqva repletum, in qvo per hydromantiam effigiem aut umbram Otthini advenientis oſtentabat. Alii chelas ſigni cœleſtis, Libræ nempe aut Scorpionis intelligunt, prope qvas Otthinus viſebatur. Si nobis eſſet vernacula Cantilena, qvæ a *Saxone* hic eſt tranſlata, ſcrupulus omnis eſſet exemptus. Hic te nobis facilem præſta, mi *Olavie*, & gratam promitto memoriam a Viro doctiſſimo, *M. Stephano Stephanio*, qvi in *Saxone* noſtro enodando, & a mendis purgando jam totus eſt, qviqve non me ſolum; ſed & alios hac de re fruſtra conſuluit.. *Lodbrogis Epicedium* ei communicavi, qvod non ſine tuo honore ſuo loco inſeret. Nolumus, rebus tuis incommodes, hiſce vacando; horas aliqvot ſucciſivas nobis tribue ſaltem, nec penuria te tardet amanuenſis. Satis enim & manum & mentem tuam aſſeqvimur, ſolita uſus ubi fueris dictione Danica. Tibi tuisqve inſerviendi noſtram viciſſim experieris promptitudinem. Vale ac diu feliciſſime vive. Mitto veſtratis *Snorronis Sturlæ Hiſtoriam Norvagicam* mea cura typis commiſſam, qvam boni conſulas, rogo, ac ſi qvid in ea animadverſione dignum offenderis, move

ne qvæſo, ut cura ſecunda emendetur. Qvod ſi *Starcbaters rmen*, qvo bellum deſcripſit Bravicum, alicubi apud vos ét, illud nobis procurare ut haud graveris, amice peto. 12. Jun. 1634.

CCCLXIII.
MAGNUS OLAVIUS
D. Olao Wormio.

Clariſſime Vir, Amice multis mihi nominibus honorande. Tuas, una cum *Hiſtoria Norvagica*, hac æſtate probe accepro utrisqve ex animo gratias agens maximas, & operæ preti i feciſſe judico Clariſſ. Wormium in hujus operis editione, a Norvegiæ & noſtri *Sturlonii* nomina multum reviviſcunt. i importuno hoc tempore *Præfationis* legendæ vix datur occa, qvod ſane compenſabit ſeqventis hyemis major tranqvillitas; i mea illic cenſura nihil addere poſſit, tamen ſi de aliqvis monendum videro, admonebo, ſi vita ſinat, & valetudine oſperiore fruar qvam hoc elapſo anno factum; nam ab inis Decembris usqve in menſem Majum ita catarrho & peripneunia premebar, ut ſæpius in limine mortis ſederim. Qvaetiam in veterum *Rhythmis* colligendis & interpretandis mis effectum, qvam voluiſſem, ut vix ſciam, qvo fato, vel itra meam intentionem, ab hoc ſtudio, olim mihimet ipſi undo, diſturber. Perterritus autem reddebar, ubi in literis s Centenarium videbam te urgere, qvum Qvinqvagenarium lliceri voluiſſem, qvem nunc mitto. Qvæcunqve vero ejusdi Rhythmica in Regis *Olai Haraldi*, cognomento *Sancti*, *ſtoria* habentur, ſeqventi anno faxo legi poſſint, ſi DEUS ve- & hæc qvæ nunc mitto, non omnino diſpliceant, etſi fai cogar, & ipſa teſtetur Poëſis, ingentem in antiqvitate iſtaienda reqviri laborem; Cunctos etenim modernos *Skaldos*, maxime Eddizantes, neqvicqvam conſulo; ſoli mihi in hoc vere ſudandum.

Vocem *Chelas* qvod attinet, de qva in Saxone ambigi-, vix occurrit qvod ſcribam. Ego illum authorem ad manus a habeo; interim tamen hæc mea eſt conjectura, illum per *elas* non ipſum *Odinum*, ſed *Parcas* indigitare *Odinicas*,

qvaſi

qvaſi ipſius præſentiæ pignora, qvarum nomina ſpeciatim recenſentur in *Edda*, *Apologo* 31. ſed generali nomine *Walkyriur* appellantur, i. e. *morticanæ*. Has moribundis, vel poſt ſacrificiorum ſingulares ritus, vel etiam ſponte oſtendiſſe Satanam facile credidero, qvi varie cum gentilibus iſtis colluſit, id qvod ex Rhythmico *elogio Haddingi*, cujusdam militis, exſpirantis, apparet: *Sekig fögd Fadar-feolnis meyar: Ydur beſir mer Odin ſendar: Villat gladur i Vingolff fölga: ok med Einberium öl dreka.* *Sekig: Sia-kann ek:* videre poſſum. *Fögd f.* mortis præſentia amictas Odini virgines: Vos ad me habet Odinus miſſas: *Vitlat: Vil ydin:* volo vos hilares in *Vingolf* (qvi alter cum *Valhöll* locus eſt beatorum Odini,) ſeqvi: & cum *Einberiis* &c. item ex illo *Ragnari* in *Epicedio: Heim broda mer Diſir*, (ſic Parcas illas appellat) *þat er fra Herians Hollu heſir Odin mer ſendar* &c. Sed *Walkyrias*, *Chelas* vocaſſe *Saxonem* in fluxu Poëtico conjicio, vel ob cognationem aliqvam ſoni, vel etiam ſignificationis; qvia ſicut hoc ſcorpionum genus, qvod *Chelas* vocant, ſuis cancrinis alis, qvicqvid apprehendit, enecat, ita harum *Walkyriarum* apprehenſio inextricabilis. Nec in præſentia veriſimiliorem ullam afferre poſſum rationem, qvum Rhythmo deſtituamur; nam initiales illas *Saxonis* hic inveniri poſſe, vix credo, antiqvitates; meam alias operam in illis eruderandis promtiſſime communicarem; neqve illud *Starchateri* Carmen *de bello Bravico* nominatum qvidem hic unqvam audivi * * * Lauſaſii 29. Auguſti 1634.

CCCLXIV.

OLAUS WORMIUS

Magno Olavio.

Lauſaſiam.

TRanſmiſſas anno præterito cantilenas & Magnifico Domino Cancellario & mihi gratiſſimas fuiſſe, vel ex eo percipies, qvod magnum iſtum Virum tam facilem habuerimus ad petitionem tuam de filio promovendo & Sacellano vocando. Ecce enim, ejus munificentia literas mitto Regias, ea, qva petiiſti, verborum forma & modo exaratas, ad ſucceſſionem ſpe-

ctan-

tes. Ecce literas ipſius Cancellarii ad Inſulæ Præfectum ındis Regiis filio elocandis, qvarum tenorem adjuncta tibi :abit copia. Ecce qvæ Epiſcopo ſcripſit de filio promoven- .ex qvibus facile colliges, qvam tibi tantum Virum Anti- atis ſtudio devinxeris, qvamqve tibi ob nobis locatam ope- faveat. Fac, qvæſo, porro, eodem hoc medio tantum rem ejus foveas; me, ut hactenus, ita ſemper, habiturus es :enetam fidelem. Tuam de voce *Chelas* ſententiam, ut ju- lam, ita gratam legi; ſed ſi ipſum *Saxonis* contextum lu- 'e datum fuiſſet, qvin aliud qvid ſubeſſe fatereris, non dubi- Promiſſas ex *Hiſtoria Olai Haraldi* cantilenas exſpectamus. nino Cancellario ſi ipſemet ſcripſeris & gratias egeris, non re foret; noſti enim, Magnatum animos, beneficiorum :litorum grata agnitione, ad nova magis accendi. Tibi à) Optimo maximo proſperam valetudinem & vitam longam amur, ut porro priſcæ noſtræ literaturæ illuſtrandæ vacare is. Utinam eſſet, qvi nobis *Gloſſarium* vocum & locutionum :arum & poëticarum concinnaret; labor foret utiliſſimus, d lingvam veterem, ab interitu vindicandam maximè ne- ırius. Siqvid in *Hiſtoria Snorronis* obſervaveris obelô di- m, candide mone, qvæſo, qvò altera editio prodeat emacu- ›r. 1635.

CCCLXV.

MAGNUS OLAVIUS

D. Olao Wormio.

* * *

QVod ad noſtras attinet antiqvitates, lentè à me in illis enucleandis proceditur, neſcio inter alia, an ob aliqvas fa- ıa.rices lingvas, qvibus merum eſt abſinthium, me, in Su- iorum gratiam, in iſtis præter alios qvædam poſſe expedire; ıſpiam, certè in hoc orbis angulo tale viget ſeculum, ut nul- ›ono benè eſſe poſſit. Mitto nihilominus aliqvot pagellas erum Rhythmorum, ex *Hiſtoria Regis Olai H.* collectorum; verò reſtant, cum tempore jungentur levibus illis *Animad-*

 verſio-

verſionibus in Chronicon Danicum. Qvædam inibi mihi deſiderari videntur, qvæ ſuppreſſurus eram, niſi tua auctoritate mihi prodenda ſint; ſed iſta nunc nec ſunt exſcripta nec perfecta; Qvicqvid verò hactenus in hoc negotio ſegnius egi, in id deinceps acrius incumbam, DEO vitam & valetudinem concedente, qvum tantis Viris adeò iſta placere intelligam. Sed in explicatione Rhythmorum omnia ex aſſe non excuſſi, qvum percipiam vos multarum priſcarum vocum & ſententiarum probè gnaros.

Cernis autem, Vir Clariſſime, Scaldos illos eâdem ferè oberraſſe chordâ, & Eddicarum appellationum multiplici varietate plerumqve magis, qvam ſententiarum pondere, triumphaſſe, prout qvemqve extemporaneus ille impetus agitarat. De *Gloſſario* prius mihi in mentem venit. Magni eſt laboris, ob infinitos pæne Eddicos, in appellationibus confingendis, diſcurſus & licentias: ſed ſi vel initium feciſſe contingat, operæ pretium feciſſe videbor. * * *

Lauſaſii in Iſl. Bor. 28. Auguſti an. 1635.

CCCLXVI.

OLAUS WORMIUS

Magno Olavio.

Lauſaſiam.

QVas miſiſti *Cantilenarum* lucubrationes, nobis fuere gratiſſimæ, utqve porro in promiſſis præſtandis pergas, rogo. Notas in *Hiſtoriam Norvagicam* & alia exſpectamus. Magnificus Cancellarius, ſe *Cantilenas* qvasdam, res *Danicas* continentes, enucleandas tibi per Præfectum miſſurum, mihi dixit, qvarum ſenſum qvò citius ad nos transmiſeris, eò gratius. Ne te pigeat, hiſce inſudaſſe. Qvod enim publico bono, qvod Magiſtratus juſſu, qvod amicorum hortatu tractatur, Tibi gloriam, famam & bonorum omnium favorem, non ſine fructu privati boni, conciliabit, qvicqvid contra blaterent alii. Pulcherrima virtus invidiam comitem ſemper in orbe habet. Qvod ſi *Arngrimum* videris, ſaluta officioſe; neſcio, an hoc anno ipſi ſim ſcripturus, cum, qvod ſcribam, non habeo. Biennio integro

integro nullas ab ipſo habui, non qvidem ipſius culpa, qvem ſcripſiſſe ſcio, ſed ſiniſtræ fortunæ; pelagus mihi deſtinata abſorpſit. Utinam repeteret hoc anno, meliori fato, qvæ elapſis nos ſcire voluit. Valete amici integerrimi. 1636.

CCCLXVII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Eraſmi, Paſtori Feroënſi.

TUas Torshafniæ datas 2. Non. Aug. anni elapſi Roëſchildiæ (qvo nos peſtis Hafniæ graſſantis adegit ſævitia) accepi. Gratum mihi inprimis, qvod noſtri curam adhuc habeas, inque naturalibus rarioribus colligendis mei haud ſis immemor. Me tibi tuisqve perpetuo addictum faxo viciſſim ut comperias. Conchas varias & raras ab Inſulæ veſtræ præfecto accepi, qvæ mihi gratiſſimæ fuere. Si qvid præterea collegeris, ſive è piſcium ſive avium ſive conchyliorum genere, qvod raritatem qvandam præ ſe ferat, ejus me, rogo, facias participem. Vides ut negotiorum cumulo te onerare non vereor. Amor in Te meus, tuusqve benevolus in me affectus impudentiæ velum ſuſtulit, meqve eò adegit. Tu porro me amare perge, & vale. Hafniæ d. 12. May 1626.

CCCLXVIII.

JOHANNES ERASMIUS Færoënſis

D. Olao Wormio.

LIteras tuas, humanitatis & officiorum plenas, die 2. Aprilis anni currentis manu tremula exaratas, 23. Ejusdem menſis accepi, legi & relegi, qvod mihi tuum candorem, fidem atqve beneficia in me & uxorem ægram ubertim collata prædicarent. * * * Exuvias, qvas potui hac vice per amicos venari, mitto; Corvum item albis nigrisqve pennis variegatum; mergum

mergum etiam, ſed juniorem; nec non alias qvasdam, qvarum nomina in papyro collo circumdata conſpicere licebit. Totus interim in eo fui, ut curâ, qva fieri potuit, maximá exſiccarentur, idqve per totam æſtatem, exceptô Corvo, qvem nuper accepi; ſed rogavi navarcham, curaret fideliter, in itinere ne periret. Oras Syderoæ apud nos hyeme proximè elapſâ, Cetus mortuus, ſed putredine ferè conſumtus, appulit, in cujus capite inventa eſt corolla oſſea, cingens cranium, cujus has particulas mihi dono dedit loci iſtius Paſtor, qvas Tibi unà mitto. Vale. Thorshaffniæ Færoënſium d. 19. Septemb. 1650.

CCCLXIX.

OLAUS WORMIUS

Johanni Eraſmio, Feroënſium Præpoſito.

Qvamvis vix ſit, qvod hac commoditate ad te perſcribam; niſi gratias ut agam, & pro transmiſſis tibialibus & pro exuviis avium rite curatis, non potui tamen, qvin literarum commercium continuarem, & amicitiæ inchoatæ & duraturæ inter nos haſce ut teſtes transmitterem. Qvibus & de valetudine conjugis tuæ, fœminarum optimæ, & de ſtatu rerum tuarum certiorem reddi me cupio, non dubitans, qvin ſi qvid rari anno hoc præterito tibi obviam ſit factum, ejus me participem ſis redditurus. Inprimis cum ſciam, ad oras veſtras haud rarò Balænarum copiam appellere, cuperem, ut, ſi prægnans qvædam ſexus fœminei occurrat, fœtus integer eximatur, exenteretur, ac ſiccatus ad me transvehatur, qvod te facile à piſcatoribus impetraturum ſcio. Hac igitur in re ſi mihi gratificaveris, ad officia qvævis alias obligatum me habebis viciſſim paratiſſimum. Rara certe & nunqvam antea, qvod ſciam, ab ullo obſervata fuit *corolla cetacea*, cujus mihi anno præterito transmiſſa fuere fruſta, qvocirca delineari curavi, ut non ſine honorifica tui mentione *Hiſtoriæ Muſei* mei inſerantur. Si qvid apud nos ſit, qvo Tibi gratificari valeam, mone, & promptum invenies. Interim Te totamqve familiam protectioni Divinæ commendo. Hafn. 19. April. 1651.

CCCLXX.

CCCLXX.

OLAUS WORMIUS

M. Torberno Haſebardo.

nas à te, Vir Reverende, paucis interjectis diebus, acce-
i literas. Prioribus qvidem Carmen addidiſti doctum &
ıns, meis deſtinatum *Faſtis*, ex qvo benevolum tuum in
ınimum, antea non eis indiciis declaratum, cùm abun-
olligam, eſt qvod gratias agam, & ad qvævis humanita-
fficia viciſſim me offeram. Ubi eò deducta res fuerit, ope-
dabo, ut libro meo addatur; hoc tamen haud ægre te la-
n confido, ſi in locum literarum, qvibus noſter deſtitui-
ypographus, æqvipollentes ſubſtituero. Poſterioribus verò
um Monumentorum addis delineationes, (qvas jam remit-
de qvibus meum expetis judicium. Ut igitur, qvod ſen-
, dicam, perplacet tam delineatio, qvam deſcriptio, at-
ex animo optarem, ut reliqvi tua hic premerent veſtigia.
ſaltem additum cuperem, ut de nominibus propriis dili-
ius aliqvanto inqvireres, an unqvam de talibus patriis na-
nibus qvid hauſerint accolæ? Deinde de rebus memora-
us vel eodem in loco, vel in vicinia olim geſtis, an pagi
.oca alia inveniantur, qvæ cum propriis iſtis cognationem
ant, & alia ejusmodi, qvæ aliqvo modo in horum noti-
deducere nos poſſint. In lapide Valkerenſi ᛅᛚᛅᚢᚠ le-
um arbitror. notæ enim tibi contractiones ᛅ o & L, nec
ıt, qvod ductus ſuperior ſolito aliqvantò ſit elatior; noſti
ı *ἀκρίβειαν* in hiſce deſideratam. Ductus vero alter,
:riangulum qvaſi claudere videtur, vix â ſculptore profe-
ᛏ v. tritiſſima contractio, nomen igitur eſt *Olaufe*, i.e.
s. ᚴᛅᛘᛅᛁ & ᛐᚢᚿᚱ propria ſunt, ut rectè aſſeris.
ıvid de ᛒᚢᛏᛅ dicam, nondum habeo; ad hodiernum
na tam propria, qvam appellativa qvædam, neqvaqvam
ımmodare valemus. De eo igitur ſolicitè inqviram, cum &
ueticis crebrò reperiam. Tu modò, ut cœpiſti, perge: qvia
æ & Magiſtratui rem gratam ſis facturus, non dubitabis.
f.

CCCLXXI.

OLAUS WORMIUS

Torberno Haſebard.

QVid rerum agas, mi *Torberne*, an in Monumentorum collectione pergas, &. num in Hallandia aut Blegingia qvicqvam laude dignum præſtiterint inveſtigatores, ſcire aveo. Saxum, qvod prope *Vismerlöff* conſpicitur, digniſſimum videtur accuratiori examine, cum plures literas in latere orientali continere alii perſcripſerint, & ſeptentrionem verſus neqvaqvam inſcriptione deſtitutum eſſe retulerint. Qvæſo, eò aliqvando ſi perveneris, aliqvid operæ ei adhuc tribuas; non enim videtur è numero vulgarium Inſcriptionum. Iſtius, qvod *Lerugra* conſpicitur, exactam percuperem delineationem; ſi ipſam ſive per te, ſive per alios habere mihi conceſſum fuerit, gratiſſimum foret. Si documentorum traditorum tibi uſus non fuerit ulterior, remiſſa exoptarem. Si facultas datur haſce ad *Bertilum Canutium* transmittendi, ut ad eum deferantur, rogo, cures. 1626.

CCCLXXII.

OLAUS WORMIUS

Torberno Haſebard.

PRo transmiſſis Hallandicis Antiqvitatibus gratias habeo, ut & eleganti odâ à te incluſis oſtentis; utinam ad ſeriam poenitentiam divinæ hæ admonitiones animos flecterent. Blekingica ad Synodum vernalem te exſpectare ais, utinam majori cum ſucceſſu, qvam hactenus Hallandica. Si eò venerit *M. Bertilus Canutius*, de remittendo meo *Beroſo*, admoneas qvæſo. Bis ei hoc nomine ſcripſi; ſed reſponſum vidi nullum. Si ex Catalogo, qvem tibi tradidi, Monumentorum, *Scanica* ad ſuam claſſem, *Blekingica* ad ſuam, *Hallandica* item ad ſuam reduceres, mihiqve mitteres, rem faceres gratiſſimam. *Faſtos* tibi mitto; ut boni conſulas, rogo: prius habuiſſes, ſi tot à typographo

ho noſtro extorqvere potuiſſem, qvot amicis offerendi eſſent. n frontiſpicio qvosdam à te delineatos agnoſces lapides. n carmine unicam transpoſitam eſſe literam, demum animadverti, iis deſcribendum neceſſario fuit characteribus, qvos typographus ſuppeditavit, alioqvin ne apicem mutâſſem. Qvia Eiſcopum noſtrum eorum feciſſe mentionem refers, qvodnam jus fuerit de iis judicium avide exſpecto. Solet enim in aliis rigidum ſe præbere Cenſorem. 1627.

CCCLXXIII.

OLAUS WORMIUS

Dno. Severino Olai.

CUm domum properaret noſter *Olaus*, nolui hanc ad te ſcribendi occaſionem intermittere, in primis cum *Faſtorum* oſtrorum laborem ad umbilicum perduxerim, ut, qvid hoc in enere à me præſtitum ſit, oſtenderem. Mitto tibi igitur exemlum, qvod boni ut conſulas, ac ſiqvid vel ipſemet habeas, vel ; aliis expiſcari poteris, qvod ad uberiorem hujus rei enucleaonem ſpectare valeat, mecum id communices, rogo, qvò ırâ ſecundâ auctiores prodeant. Inprimis peto, ut, data ocıſione, ſaxi Runici, in horto *Stenhaltenſi* exiſtentis, accuram delineationem ad me traſmittere haud graveris, tam qvoad ngitudinem, latitudinem & figuram, qvam qvoad totam Inſcriptiıem, tum qvid de eo referunt accolæ. De Monumentis enim unicis ſuo forſan tempore & qvædam meditabor. Vale vuncule honoratiſſime, & Uxorem ac liberos officioſe à me luta. 1626.

CCCLXXIV.

CHRISTIANUS STOWGARDIUS

D. Olao Wormio.

aſniam.

MItto, Vir Excellentiſſ. fautor & amice exoptatiſſime, pauca qvædam naturalia, qvæ caſu qvodam & præter volun-

tatem reperi; cum per Capitaneum, verius piratam qvendam Anglum, in ipſo Tameſis flumine capti, in inſulam Scheept ad oſtium ejusdem fluvii ſitam deduceremur. Ubi cum diebus aliqvot ad caſtrum & oppidulum Qvinberry commoraremur, in hæc, qvæ mitto, naturalia incidi, qvæ ſi non pretio, conſideratione tamen digna ſunt. Tres ſunt oſtreæ planè lapideæ & præterea lignorum aliqvot fruſta, qvorum qvædam jam lapideſcere, qvædam media eaqve exteriori parte ſaxoſa, interiori verò lignea adhuc manifeſtè apparent; qvædam tandem plane in lapideam ſubſtantiam vi maris & ejus ſalſuginis degenerarunt. Omnes ferme, qvos iſtic loci vidi collectos, lapides mineram referre videntur, non tam ponderis gravitate qvam coloris affinitate; Et revera ſic eſſe mihi ipſi perſvaſiſſem, niſi edoctus fuiſſem, omnes iſtos, qvotqvot fuere, ad littus ejusdem inſulæ, recedente maris æſtu, ſtudioſè collectos fuiſſe, & alios qvotidie colligi, atqve in uſum alium coacervari. Plures qvidem habere potuiſſem, ſi vel neceſſarium exiſtimaſſem, vel occaſio transmittendi ſe obtuliſſet: hæc pauca ob figuram & materiam, unde conſtant, placuerunt qvam maximè. Sed & aliud habeo, qvod de iis dicam: Ubi ingentem lapidum copiam collegerunt, per ſpatioſam aream terræ miſtos ſpargunt, donec imbrium illuvie, accedente ſolis æſtu & calore, in terram iſtiusmodi, qvam adjunxi, ſalſiſſimam ac nitroſam, ex parte etiam ſulphuream, odore prætereuntes offendentem, reſolvantur ac planè putreſcant. Interea univerſa aqva pluvia qvæ decidit, & per eam terram ſponte percolatur, in ſubditas ordine tonnas & vaſa per tubulos & canales illapſa excipitur, ac deinde in vaſe plumbeo, amplo, ad juſtam ſpiſſitudinem, 5. 6. vel 7. dierum ſpatio ſubjectis carbonibus coqvitur, poſteaqve in vas aliud plumbeum effunditur, immiſſis aſſeribus aliqvot, qvibus aqva illa cocta & refrigerata ſenſim per particulas inſtar glaciei adhæret, & in vitriolum, qvale mitto, abit. Nec hoc prætereundum arbitror, nullo alio vaſe contineri aut coqvi hoc lixivium poſſe, qvam plumbeo, qvin ſtatim aut parvo temporis intervallo ſalſuginis acrimoniâ arrodatur & conſumatur. Imò, qvod magis eſt, ne ebullire qvidem iſtud lixivium poteſt commodè, niſi plurima ferramenta veteriſqve ferri fruſta injiciantur; qvæ omnia inter coqvendum diſſolvuntur omnino & conſumuntur. De globulo iſto, qvem adjunxi, penes Clariſſ.

D. D.

). judicium eſto ; videtur omnino ferreus ante fuiſſe vel
eus, & cortex exterior pulpam duritie longè exſuperat.
ſunt, qvæ hoc tempore pauca habere & ſcribere potui,
rogo velit D. Doctor pro humanitate ſua boni conſulere.
'æ inpoſterum offerantur, diligenter curabo, ut ea ad vos
rantur. Cætera qvæ hic ſunt nova habebit Clariſſ. D. D.
I. *Bartholino* noſtro. Vale, Vir excellentiſſime, & Stow-
ım tuum, ut ſoles, ama. Salveant a me omnes noſtri of-
iſſimè.
iſſimè Londini Anglorum pridie Calendar.: Sextil. 1627.

CCCLXXV.

OLAUS WORMIUS

Chriſtiano Stowgardio.

Vas ad me ex Anglia dediſti, probè accepi, mi *Stowgardi*, ſi-
.mul etiam oſtreas, ligna & globulos in lapides conver-
qvæ ut locum ſuo merito inter rariora mea obtinent haud
ıum, pro iis gratias ago immenſas. Jucundiſſimum profecto
ıræ ſpectaculum eſt, adhuc præter pondus, vix plumbo ce-
:, indies ex iis videre, copioſe vitriolum exſudare ſulphu-
n, ſuperficiei ita adhærens, ut abradi levi negotio poſſit.
ligna vix ab aëris conſervantur injuria; attrahunt enim
ipſum vitrioli caput mortuum) aërem humidiorem, â qvo
lvuntur eo modo, qvo de aqvâ in vitrioli ex iis præpara-
e tute ſcribis. Si qvæ præterea in peregrinationibus tuis
ırrant rara, qvæ theſaurum meum naturalem locupletare
int, mei memor ut ſis rogo. *D. Saltzmannum*, ſi in vivis
, hoſpitem qvondam meum optimum, ſaluta, qvæſo; ali-
ıties ad ipſum literas dedi, ſed reſponſi nihil obtinui,
le factum, ut, an vivat, ſubdubitem. Vale. 1627.

CCCLXXVI.

CHRISTIANUS STOUGARDIUS

D. Olao Wormio,

Hafniam.

Literas tuas per *Chariſium* noſtrum accepi, Vir Clariſſime; longè gratiſſimas, ſed iis actutum reſpondere per occupationes non licuit, urgente feſtinationem tabellario & ſine mora poſcente literas. Reddita, qvæ ex Anglia miſi, naturalia, & placuiſſe, ſummopere gaudeo, atqve utinam ea tempora, ea occaſio eſſet, ut majus qvid & amplius præſtare poſſem, operam darem, neqvid in me jure poſſet deſiderari. Vitriolum & ligna ſicciore loco ſervanda arbitror, ne planè reſolvantur, & ſæpius abſtergenda, ſi qvid fortè humiditatis attraxerint. Degenerant enim vel leviſſimo negotio iſtiusmodi ſalia in priſtinam naturam: Habui & plura ejusdem generis & lapides & ligna, qvæ abſente me, in navi ſacculo reſervata, piratæ diripuerunt, inducti ſpe reſervatæ & abditæ inter ea pecuniæ; qvâ fruſtrati, indignabundi maximam eorum partem, qvaſi per contemptum viliſſimæ rei abjecere. *Drachardo* noſtro ſolutum eſſe meo nomine per *Futrenium*, ita mihi placet, ut maximas etiam tibi gratias agam ob præſtitam utriqve noſtrum hac in parte operam: Nam & ante abitum meum in Angliam Affini meo *Laſſonio* Wiburgum ſcripſeram, ut, me abſente, in patriam reduci creditori optimè de me merito, ſponte ſatisfaceret. *Saltzmannum* veterem hoſpitem tuum compellatum ſalutavi, qvi nullas omnino à te ſibi literas allatas qverebatur, profeſſus literarum iſtud commercium, ſi qvod inire placeret, freqventare, longè ſibi gratiſſimum futurum. Raptiſſimè Argentorati 16. Nov. 1628.

Commendato à te mihi *Chariſio* noſtro deeſſe, clariſſimoq; rum ipſius affinium in me merita non permittent, ſi qvæ tamen mea in ipſum officia conſtare poterunt.

CCCLXXVII.

CCCLXXVII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Paſchaſio.

PUrgatorium tuum vidi, mi *Paſchaſi*; De eo vis dicam qvid ſentiam? Vaſtiſſimo illi, tot animarum myriadibus à Papicolis deſtinato, longe præfero: illud enim ſibi benedictionem Divinam, naturæ fœtibus communicatam, fundamentum vindicare video; hoc ſuper Diaboli aſtus ad incautos in ſuperſtitionum barathrum trahendos ædificatum cernimus. Illud ex vegetabilium, animalium & mineralium ſelectiſſimis corporibus arte dexterrimâ conſtructum; hoc ex meris otioſorum monachorum deliramentis & fabulis, dolis ac fraudibus conſutum perſpicio. Qvidni igitur tuum *Purgatorium* Papiſtico longè præferendum cenſerem? Cæterum non deeſſe, qvibus commodè locupletari poſſit, temet ipſum facilè animadvertere ſcio. In familia vegetabilium certè eſt Gummi illud à qvibusdam *Gutta Jencu* dictum, qvod dolet ſe excludi, ut & *Jalap* radix, ſine ſapore, & blandiſſime ſaburram pituitoſam ducens. Sed tui inſtituti omnia perſeqvi non eſſe ſat ſcio. Interim amanuenſis feſtinatione ſphalmata qvædam irrepſere orthographica, leviora qvidem, qvæ tamen correctionem deſiderant, anteqvam manum rudioris experiatur Typographi. Vale. 1627.

CCCLXXVIII.

OLAUS WORMIUS

M. Thomæ Wegnero Epiſcopo Stavangrienſi.

* * *

IRam ſuam, qvam ſævis indiciis DEus O. M. huic urbi nuper oſtenderit, te inaudiviſſe reor, dum turbine ac tempeſtate ſpecioſiſſimum illud ad Nicolaum Templum, cui tot annis tu præfuiſti, penitus & miſerandum in modum disjecit; Horreum Regium, occiſis aliqvot boum & vaccarum centenariis,

ſole

ſolo æqvavit, ædificiorumqve urbis haud pauca lacerav
Qvid portendat, qvivis pius videt. 1628.

CCCLXXIX.

OLAUS WORMIUS

M. Thomæ Vegnero, Epiſcopo Stavangr.

Reverende Domine Epiſcope, Amice integerrime.

QVod per literas te ſalutandi aliqvantiſper intermiſerim c cium, (ſeriò & ex conſcientia loqvor) nulla factum affectus in te mei remiſſione, ſed qvod rarius ſe mihi ad ſcribendi offeratur occaſio; ac ſi forte qvidam hinc ad Vos t dant, me tamen plane inſcio, hoc contingit. *Regni Nor giæ Deſcriptionem*, qvam Magnifico miſiſti Cancellario, non di; ſi ad meas unqvam pervenerit manus, aut de ea ſer nem ipſe mecum contulerit, ut tibi reſtituatur, allabora Non te nimium fatiget monumentorum iſtorum operoſior d neatio; ſi forſan ſe ſtudioſus aut Paſtor, picturæ aliqvantul peritus, ſe offerat, qvi ſe tibi in viſitationis itinere comit adjungere velit, per occaſionem eorum haberi poteſt ratio. J funus paratur Illuſtriſſimæ Reginæ SOPHIÆ, ad qvod de cendum 12. Novembris Roëſchildiam ſe conferent invitati mnes tum Profeſſores tum ſtudioſi hujus Academiæ. Qvin hujus Regni Epiſcopi omnes hic exſpectantur. Plura alicu momenti jam non occurrunt; ſed Divinæ protectioni te co mendantes, cum uxore & liberis, valere jubemus. Hafi Cal. Novembr. 1631.

CCCLXX

CCCLXXX.

OLAUS WORMIUS

M. Thomæ Vegnero.

ngriam.

Clariſſime Vir, & Amice integerrime.

T nullam te ſalutandi prætercam commoditatem, ecce; eo ipſo momento, qvo Socerum tuum hinc ad Vos abi. accelerare intellexi, hæc exaravi, cumqve aliud non habe- qvod ſcribam, indicare lubuit, me, cum tuo nomine cum nifico Dn. Cancellario de reſtituendo Manuſcripto agere :viſſem, illud ipſum ſub prælo fervere intellexiſſe; & qvia extrema ei impoſita eſt manus, non potui non tibi ejus ıplum tranſmittere, obnixè rogans, id ipſum boni conſu- ut haud graveris. Bibliopego compingendum prius tradi- n; ſed revera de ſoceri præſentia nihil prorſus inaudivi, qvam jam in procinctu eſſet, adeo ut hæc feſtinus exara- ɔgar. Vale igitur, ab amicis communibus, officioſe ſaluta- Uxorem & liberos, meo nomine, ſalutare haud graveris. ı. 5. Jun. 1632.

CCCLXXXI.

OLAUS WORMIUS

M. Thomæ Vegnero.

ngriam.

IEnſe Junio, cum Socero literas ad te dedi, E. V. qvibus à prælo ferventem adhuc adjunxi *Norvegiæ deſcriptio-* illam, qvam Domino Cancellario tradidiſti. Scriptam ab btinere cum haud licuerit, (utpote qvi Typographo excu- am conceſſerat) typis exaratam miſi. Sed literas meas pro- uratas ſubdubito, ſiqvidem hoc autumno, me neglecto, is reliqvis ſcripſeris, & ad meas haud reſponderis. Ut ta- videas, me ab officio haud deſiſtere, nullamqve ad te

ſcri-

ſcribendi commoditatem prætenire , ecce iterato has ad te non dubito , qvamvis vix aliud ſit, qvod ſcribam. Si ſci te nondum *Deſcriptionem* illam *Petri Claudii* vidiſſe, mitte Proximis, ſi lubet, mone. Citat in hoc opere qvædam, *de Animalibus Norvegiæ* concinnavit, qvorum miro tenec ſiderio. ſi apud hæredes aut alios ea expiſcari valeas, coı nica, qvæſo; digna videntur mea cura & recognitione; (data forſan & aucta ut ad te redeant, efficiam. Bona nos rara nova. Revocationem *M. Ditlevi Mejeri*, fratris l ris Teutonici mitto, ut videas, qvid in Holſatia molit novi. Sublato inferno, recta ad cœlum ibimus omnes, pariter ac boni. ſed hæc extra meum forum. Sanitatis j tuæ cupidus, & te & uxorem liberos omnes qvam rect valere jubeo. Hafn. 9. Octobr. 1632.

CCCLXXXII.

OLAUS WORMIUS

Thomæ Vegnero.

TE cum uxore & liberis & tota familia ex voto va qvod literæ docuerunt, mihi cognitu gratiſſimum. æternus DEus, magno Eccleſiæ commodo, noſtroqve g in multos annos proſper ac felix vigeas valeasqve. Nol DEus Opt. Maximus, ut ſolet cum liberis ſuis, qvos : egit: maligno variolorum morbo filiam natu minimam ı filiolum unicum ad ſe evocavit; reliqvæ ſuperſunt, du evaſerunt. Ita, ut placuit, factum eſt; ipſi honor & Mitto *Hiſtoriæ Norvagicæ* exemplum, mea qvalicunqve (lucem editæ, qvam excipiet, ſi votis DEus aſpiraverit, faventem habuerimus, *de Animalibus* Hiſtoria diu exſp Nova, qvæ referam, te digna non habeo; niſi qvod Illuſtr Princeps noſter ULDARICUS, capta Sileſiorum Nieſa opima, qvæ à Jeſuitis tulit, ſpolia, Globum æneum co *Tychonis Brahei*, magnitudinis ſtupendæ, recuperavit, huc transmiſſum Academiæ conſecravit. Donum nullo æ mandum. Rumores vanos non addam, qvum ex aliis e

rire te malim. Valere perge, amice integerrime; & tuos omnes officioſe ſaluta. Hafn. 23. April. 1633.

CCCLXXXIII.

OLAUS WORMIUS

M. Thomæ Vegnero.

Stavangriam.

LUctuoſus rerum mearum ſtatus ab obitu dulciſſimæ conjugis tibi proculdubio innotuit; cum ergo pluribus non expono, ne cruda adhuc refricem vulnera: præſertim cum ſciam, te, ut amicum ſincerum, meis calamitatibus tangi. Unum eſt, qvod jam velim exoratum, ut promiſſam operam in *Monumentis* tuæ Diœceſeos colligendis & deſcribendis haud differas. Abſolvi *ſex libros* eorum, qvæ partim ipſe collegi, partim amici transmiſerunt. Editionem urget Cancellarius, qvam maturare etiam me cogunt exterorum ad me literæ haud raræ. Vellem, & tuum nomen in iis legi, nihilqve eſt, qvod me remorabitur, ubi tua habuero. Bergenſia miſit piæ memoriæ Epiſcopus *D. Paſchaſius*, egregie delineata. Asloenſia *D. Petrus Aleſius* Medicus, vivis coloribus à pictore expreſſa. Nidroſienſia Dn. Epiſcopus *Schelderupius*. Res tibi expeditu facilis erit, ſi juvenem qvendam, Studioſum inprimis, picturæ utcunqve gnarum, literis tuis commendatitiis ad Præpoſitos & Paſtores amandes; illi ipſi, tui cauſa, neceſſaria ad iter, & victum libenter ſuppeditabunt, ope & opera juvabunt. Notet ille (1) Locum, in qva provincia, qva parochia, (2) Situm, orientem, occidentem &c. verſus, (3) Magnitudinem, qvoad longitudinem, latitudinem, craſſitiem, (4) Ipſam Monumenti faciem & ſtructuram depingat, (5) Interpretationem, qvam habere poteſt, addat, (6) Accolarum de eo relationes, etſi ſint fabuloſæ, (7) Memorabilia, qvæ circa locum hunc geſta, & ſiqvæ ſint aliæ circumſtantiæ, qvibus juvari conatus noſter poſſit. Ejus generis in (1) *Findœ*, in baptiſterio, (2) in *Tonſtad*, in pariete templi, (3) in *Lunde*, in janua templi, (4) in *Framvarde*, in ſcopulo, (6) in *Odevals* cœmiterio, (7) in *Holand*, (8) in *Sognedal*, prope *Aagard*, (9) in cœmiterio *Nierumb* (10) in templo

templo *Wang* ,(11) in *Blidre*, (12) in *Urdal*, in campana, (13) in templo *Skrotwald*, (14) in *Aals* templo, (15 prope *Bornhags hafn*, in ſcopulo, (16) in *Bore-Kirke*, in atrio, (17) ibidem, probe januam. Hæc novimus penes vos eſſe; qvin plura occurrant diligenter ſingula luſtranti, non dubito. Qvæſo, da operam, ut habeamus, & Tibi grates referam ſolenniter debitas, Diœceſi Tuæ famam, & celebritatem concilies. Ignoſce, frater dilecte, qvod his te fatigem; publicum bonum & labores inchoati eò me impulerunt. Vale qvam proſperrime, 1638.

CCCLXXXIV.

OLAUS WORMIUS

Thomæ Vegnero.

Stavangriam.

TRansmiſſas *Inſcriptiones Runicas* probe accepi, pro qvibus, & meo & totius Patriæ noſtræ nomine, gratias ago maximas, publice non ſine honorifica Nominis tui mentione acturus, qvando *Monumenta* noſtra lucis hujus uſura frui contigerit. Nam, ut res jam ſunt, ferme deſpero. Majus enim opus eſt, & graviores reqvirit ſumptus, qvam ut privatus eo ſim ferendo. Scripſiſſem cum eo, qvi tuas tulit, ſed, me inſcio, diſceſſit. Nunc hanc opportunitatem prætermittere haud potui. Filius tuus ſe indies examini Theologico accingit. DEus conatibus adſit! Si penes me æqve atqve alios ſtaret, ſpes tuas eousqve non dilatas, certo credas. Varia hic rerum facies, qvam harum lator me melius apud Te expediet. Deſiderantur in Academia duo Theologi. Eloqventiæ Profeſſionem obtinebit *M. Chriſt Stougardius*, poëtices *M. Chriſtoph. Munthenius*. Filiam meam natu majorem *Ingeram* deſpondi *M. Jano Schelderupio*, Concionatori Aulico. Nuptiis dictus menſis Auguſtus, utinam auſpicato. Salutat te tuamqve uxorcula *Motsfeldia*, qvam ante ſeptimanas ſex, tot expertus lubricæ fortunæ caſus, domum duxi, benignius fatum à ſummo rerum Moderatore ſubmiſſe exſpectans. Vale. Hafniæ, 4. Jun. 1639.

CCCLXXXV.

CCCLXXXV.

OTHO SPERLING

D. Olao Wormio.

Hafniam.

SAlve, Vir Excell. Wormi. Sæpius ad te ſcribere volentem, deterruerunt infidæ illæ Alpes & diſſita, qvibus à te dirimebar, locorum ſpatia. Nunc vicinior vobis factus, occaſionem optumam elabi mihi nolui, cum præſens Vir juvenis ad vos cogitaret. Ita etiamnum hærent infixa pectore merita, qvibus, ut alia taceam, devinctus Tibi vivo. Vivo eqvidem, ſed non meo voto, ſubmotus hîc ad Arctoum orbem. Cogitabam in Angliam, tempeſtate in Noruegiam ejectus ſum. Hanc mihi hac hyeme ſedem elegi Berghis, omnia etiam tuta timens, & ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Si mihi bene vis, fac ut te brevi in literis tuis videam, & eum qvi in Sperlingium eſſe ſolebas. Qvas incluſi ad D. *Finckium* & *Bartholinum*, qvæſo te, curentur, & reſponſum ſimul urgeas, cum hic idem Vir juvenis ad nos ſit rediturus. Nihil enim mihi gratius accidere poſſe exiſtimes velim, qvam amicorum alloqvio allevari. Qvod ſi qva in re mea opella Tibi poſſit eſſe uſui, non jubeas, ſed inuicem imperes. Vale. Berghis 7. Septembr. 1628.

CCCLXXXVI.

OLAUS WORM

D. Otthoni Sperlingio

S. P.

GRatiſſimum cognitu mihi fuit, Sperlingi doctiſſime; ſalvum & incolumem, honoribus in Medicina & Philoſophia adauctum ſummis, ad patrios lares & hinc in arctoam hanc orbis plagam te appuliſſe. Gratulor igitur tibi ex animo, Deumqve rogo, conatus proſperet, atqve in ſui nominis gloriam, amicorum gaudium, tuum v. commodum & utilitatem

cunctæ dirigat. De me porro hoc tibi perſvaſum habeas velim, tuis commodis me defuturum nunqvam, ac ſi qvid ſit qvo tibi in his oris uſui eſſe poſſim, mone, promptiſſimum reperies. Cæterum ſi qvid habeas de *Rhodio* aut aliis noſtratibus, de eo data occaſione certiorem me facias rogo; dudum n. eſt ex qvo aliqvid ab ipſo litterarum accepi. Hæc feſtinante calamo ad tuas reſpondere volui, ut de priſtino meo in te affectu nullatenus dubitares; *D. Finckium* ut & *Bartholinum* ſuo etiam in reſpondendo ſatisfeciſſe muneri arbitror. Vale. 13. Octobr. 1628. Hafniæ.

CCCLXXXVII.

OTTO SPERLING D.

D. Olao Wormio

Hafniam.

SAlve, Vir Excell. Multis Tibi debeo nominibus, ſed nunc eò magis, qvod amiciſſimis Tuis hominem in extrema ſolitudine, in ſqvallore & ſitu ſemvivum, ad auras revocare volueris. Tanti certè hoc beneficium interpretor, ut, qvi ante unicè Te æſtimabam, nunc eò impenſius amare Te incipiam. Pro officio iſto, affectu, & voto, qvo conatus meos proſeqveris, gratias Tibi ago maximas, & idem ego Tibi cum feliciſſimi anni auſpicio precor. De *Rhodio* nihil ferè habeo, qvod addam, cum à Majo usqve nullas ab ipſo viderim. Patavii erant datæ ſub Februarii decurſum, Mantuam tunc cum aliis cogitabat, qvanqvam nihil hic Princeps Germanorum φιλομάθειαν moratur. Baſileæ ipſum nunc vivere, à *Doctore Michaele Chriſtierni*, qvi hic Berghis nunc degit, accepi. Qvicqvid id eſt, nihil ego affirmare poſſum, cum totam hanc æſtatem, ab amicis omnibus & parentibus ſemotus, hoſpes ſolitarius vixerim. Sub primi veris initia aliqvas exſpecto, qvas nunc Hamburgi latitare, nullum mihi dubium eſt: ſi qvid reſcivero, faciam ut Tu ſcias. Interim ſi me Tuis qvandoqve inviſes, in lucro hoc omne deputabo. Vale. Berghis raptim 20. Decembr. 1628.

CCCLXXXVIII.

CCCLXXXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Sperlingio.

ſchildiam.

St prope Roëſchildiam Curia, Selſöe dicta; *Erneſti Normanni* propria; hic, ante annos paucos, dum fundamen- molendini ſtruerent, inventum eſſe integrum Gigantis ſceon, ab accolis accepi. Qvod ſi igitur occaſio tibi fuerit, hoc otio, eò excurrendi, rogo, ex oſſibus, qvæ haberi adc poſſint, qvædam nobis colligas, inter rara mea locum haura. Huic negotio operam ſuam Præfectus (qvi crebrò Roëildiam excurrere ſolet) rogatus ſine dubito accommodabit. le, & Socerum reliqvosqve amicos, fœminini etiam gene, officioſe ſaluta. Hafniæ, 26. Septembr. 1629.

CCCLXXXIX.

OTTO SPERLING

D. Olao Wormio.

fniam.

Alve amiciſſime Dn. Doctor Wormi. Cum Legatos qvosdam Italos Hafniam veniſſe intellexiſſem, multum adlaboravi, ut em, qvo nomine & à qvo Principe miſſi veniſſent; qvod idem reſcire hactenus non potui. Qvæ cauſſa eſt, mi D. ut hæc ad Te eò liberius ſcriberem, qvò mihi penitius us effectus eſt perſpectus, & qvò minus hactenus habui, od ad Te ſcriberem. Si Veneti ſunt, forte aliqvas mihi mitto literas ab illuſtriſſ. meo *Contareno*; ſin alii ſint, ilominus gratum id erit, ut per te ſciam, ut, ſi Friderico- gum ſe forte contulerint, ego qvoqve magnificentiæ iſtius famam eâdem operâ videam. Vale, & audaciæ ignoſce, orum optume Wormi. Roſchildiæ 24. Octobr.

CCCXC.

OLAUS WORMIUS

D. Otthoni Sperlingio.

Roſchildiam.

MAntuani ſunt legati, qvos ex Italia huc veniſſe inaud qvid agant, qvidve tractent, plane nos latet. Cu dam ex eorum comitatu ægrotare hic cœpiſſet, contagioſ ut putabatur, morbo, Ibſtrupium ſunt translati, ubi e huc degere exiſtimo; qvo tendant, aut qvamdiu ibi fin moraturi, expiſcari non potui. Is, qvem ægrotare dixi, em ſuum obiit, & ſine omni pompa, veſpertino tempore, de S. Spiritus ſepultus eſt. Bergis ad nos appulit navis de Medico nova attulit plane nulla: adhuc ibidem ſævi tagium peſtilens affirmat, & ex familia Epiſcopi qvosdar ptos. De ſceleto Giganteo quid ſperandum? Vale 162 Octobr.

CCCXCI.

OTTO SPERLING

D. Olao Wormio.

Hafniam.

SAlve, Vir Clariſſime, Domine & amice honorand ære me tuo liberem, ecce utendum mitto *Calceolarii um*: qvod ſi certior ante ſe obtuliſſet mittendi oportunita commiſiſſem eqvidem, uti libri deſiderium impatientius fe tuiſſes. Amianthum Cyprium, & *Cluthii* pagellas *de con dis bulbis & radicibus* &c. ante paucos dies Roſchildiam Hafniam ad Fredericum veſtrum curarentur, qvæ num ad manus tuas pervenerint, intelligere necdum potui. *de lapide Nephritico* an videris, dubito: ex Belgica in l *Laurenbergius*, ſi rectè memini, tranſtulit: ſi deſideras habebis. Qvod ſi hôc qvid poſſim amplius, non comm ſed impetes. ſi qvid Tu in me & *Plinio* ornando opis f ingratum certe non collocaveris. Semina qvædam pro ho

ıtra paucas ſeptimanas à me exſpectabis, ſi qvibus te delectari
tellexero: Te meo viciſſim non defuturum ſpero. Saluta,
ræſo te, Virorum optumum, adfinem *Finckium*, Tuqve ipſe
ım Tua, meo meæqve nomine iterum ſalve & Vale. Ex præ-
o meo Jernlöſe 9. Mart. MDCXXXVI.

CCCXCII.

OLAUS WORMIUS

D. Otthoni Sperlingio.

QVæ miſiſti, omnia probe accepi, Vir amiciſſime, ante o-
ctiduum circiter, unà cum literis tuis. *Clutii* conſervan-
ırum bulborum ratio, ut & Amianthi fruſtula, mihi ſunt
ılata. Nunc exoptatum & exſpectatum *Calceolarii Muſeum* vi-
o, cujus moram qvod impatientius videar tuliſſe, inſito tam
ra tam cara videndi & tractandi ardori, non verò de tuo can-
ıre & promiſſis dubitandi animo adſcribas, velim. Gratias
itur pro ſingulis ago ingentes, utqve tua venia jucundiſſimo
ııc muſeo paululum immorari liceat, rogito; adeo placet, ut
ı eo ægrius avellar. *Clutii de lapide Nephritico*, à *Laurenber-*
ı in latinum translatum, libellum, Roſtochii excuſum, ha-
o. Præterea, qvæ nuper monſtravi, hactenus in *Plinio*, al-
ıjus momenti qvod eſſet, non obſervavi; ſiqvid occurrat præte-
a, in tuum uſum annotabo. Ex potioribus, qvæ mihi jam
ppetunt, Tibi mitto ſemina qvædam, inter qvæ *Cretica* qvæ
deris, per manum noſtri *Rhodii* ad me ſunt delata. Ex hiſce
cile conjecturam facies de iis, qvæ deſiderem, qvorum te,
oræ pullum genuinum, nos copia beaturum, confido. Inte-
n vale, &, ut ſoles, ama. Tuam tuosqve officioſe ſalu-
nt noſtri omnes, qvos, tuo nomine, compellavi. 1636.

tem, temporis anguſtia deterret. Tribus proinde litter
digitare volui, ut hujus meæ oblectationis particeps
Chalcedoniorum optimæ notæ fruſtula inprimis monſtraba
ctatus ille Docimaſtes, ex qvibus integras eſſe conflatas
in Farreis Inſulis, fando ſe accepiſſe referebat. Leger
in littoribus Inſularum, qvas jam nominavi, & cum hi
meras portiunculas lapillorum ex *Pſeudo-opali* & *Molochi*
milia proferebat. Qvidam in his pallidiores illas certè
chinas gemmas imitabantur. Sed hæc in tranſitu, nullo c
erant lecta. Non dubito, qvin ſeptentrio hiſce homini
vitias polliceatur, ſed uti iis mehercles haud norunt.
mi D. Doctor, me, qvod facis, ama & cum Lectiſſi
Suſanna à me plurimum iterumqve ſalve. Hafniæ rap
21. Septembr. 1636.

CCCXCIV.

OLAUS WORMIUS

D. Otthoni Sperlingio.

Hafniam.

PRomiſſi memor, ea qvæ ex tuo a nobis abitu circa F
Majeſt. contigere, brevibus exponam. Eo die, q

alterationem ſenſibilem ex electuario percipere. *Dedimus doſin*, qvam cum difficilius ſolito deglutiret, paululum vini exhibuimus, ad faciliorem deglutitionem. Libenter prandentem vidiſſem; ſed me admittere noluit Noſter, hunc enim honorem ſibi ſoli reſervatum voluit. Narravit redux Regiam Majeſt. valde debilem fuiſſe, nihil ferme comediſſe, qvod tamen ex *Generali A.* qvi una adfuit, percipere neqvivi. Rediimus hora tertia, poſt exhibitum Electuarium; qvæſivi, num aërem frigidiorem in templo (aderat enim ſacris,) ferre potuerit: Reſpondit, ſe ante finitam concionem diſceſſiſſe. Regerebam, mihi videri Reg. Majeſt. nimium alterari ex aëre frigidiore, & hoc etiam die Veneris obſervaſſe me; conſultius forſan eſſe, ut ſacra in conclavi audiret. Nihil reſpondit. Qværebat, num in parato eſſet emulſio, qvam cubiturus ſumeret? Qvia rem hanc ſolus curavit *F.* & tarde neſcio qva de cauſa, reſpondit ipſe, nondum Hafniâ huc delatam: Qvod ægrè tuliſſe M. R. mihi videbatur. Mihi interim Danicè dixit, ſe eo die nihil dejeciſſe. Decimo qvarto acceſſimus, ſolita hora, invenimus in ſella ſedentem; ac mox conqveſtus, ſe juſculum ſuum ſolitum non ſumpſiſſe, qværenti mihi cauſam, dixit ſe horâ V. ſurrexiſſe, ſed cum admodum ei doleret ventriculus, coactum fuiſſe rurſum ad lectum ſe conferre, hinc intermiſſum juſculum. Electuarium more ſolito ſumpſit. Hora 10. prandenti juſſus adfui, repugnante altero, & certè pro ratione ſtatus morbi utcunqve benè comedit & bibit. Interim mirabatur Noſter, non plus profuiſſe *magnam noſtram antidotum* (ità enim loqvebatur.) Regeſſi ego, bidui ſpatio nos tantum eâ obtinuiſſe, ut & melius dormiat M. R. & ſedata ſit diarrhœa, & appetitus planè antea proſtratus, aliqvo modo redeat: vires qvoqve non adeò ſint dejectæ. Hora III. rurſum dedimus Electuarium. Hora IX. cubitum ituræ Emulſionem. Die XV. reverſi, intelleximus noctem inqvietiorem fuiſſe, qvater M. R. ſurrexiſſe, ſed, cum de dejectionibus qværerem, reſpondit ſe pauca ſed vale flatulenta egeſſiſſe, nullum adhuc ſentire ſe ex medicamentis alterationem. Reſpondi, obtinuiſſe nos tantum, ut ceſſet jam alvi iſte fluxus, qvi vires proſternebat, hinc meliora ſperanda. Aſſiduè adhuc de dolore circa ventriculi regionem conqverebatur magnus æger, unde à prandio turbata alvo multa fæ-

culenta & cruda dejecit. Hora III. uſus conſveto medicamento, melius aliqvanto habuit.

DEus Opt. Max. ſalubria nobis ſuggerat conſilia, qvibus Optimo Regi ſubvenire & difficillimum morbum expugnare valeamus. Fridericsburgi 15. Februarii 1648.

CCCXCV.

OLAUS WORMIUS

D. Otthoni Sperligio.

Hafniam.

TUas hodie accepi, & credo te meas qvoqve, ni fallant internuncii. Citius ſcribere non placuit; qvia monui me non ſcripturum, anteqvam qvid noſtro proficeremus conſilio animadverterem. Minutius ſingula perſecutus ſum, qvia e re noſtra fore animadverti. Relationem continuabo. Hodie, qvi XVI. eſt, conſveta hora acceſſimus: Bene ſe præterita nocte dormiviſſe retulit Rex. Medicamentum ſumpſit ſolito melius; hilarior nobis viſus eſt. Semel horis matutinis ejecit ſolidiora, & melius concocta. Urina ſedimentum copioſum ac laudabile habuit. Lætabar valde & rem in vado exiſtimabam. Qvocirca ad templum nos contulimus. Rex manſit in conclavi. Hora prandii rediimus: conqverebatur deterius ſe habere, nec aliqvid comedit, momenti qvod eſſet alicujus. Hora III. decumbentem in lecto acceſſimus; pharmacum præbuimus more ſolito; meliuſcule ſe habere viſus eſt. Acceſſit Prorex, cui omnia expoſuimus, qviqve humaniſſimè de omnibus nobiſcum egit. Qvid dicam? omnia inſida, cum nos maximè tutos ſperamus, ſubitaneæ ſuperveniunt revolutiones, qvæ ſpem nobis adimunt. Jam in eo ſumus, ut de novo noſtrum paretur Electuarium. Meo ſuaſu duplicabitur in eo Theriacæ doſis. Tu an ita fiat animadvertes, qvia Noſter ſolus cuncta curabit. Tibi omnia Dn. Prorex melius exponet. Vale. Fridericsburgi die 16. Februarii 1648.

Samuel Pharmacopœus ex eo, qvo hic ſum, me conſcio, nil niſi Emulſionem, de qva convenimus, præparavit. ſed

ſed qvia ea nil proficere nos animadverti, ulterius ea uſi non ſumus. Frigida omnia ejus conſtitutioni inimica mihi videntur.

CCCXCVI.

OLAUS WORMIUS

D. Otthoni Sperlingio.

Hafniam.

PRobe curatas fuiſſe meas gaudeo; tuas hodie etiam accepi. Narrationem meam continuabo, ut tibi omnia æqvè conſtent ac mihi, paria facturum Te, huc ubi veneris, certò confidens. Qvid & qvomodo res inter nos acta ſit, hora matutina diei XVII. ex Dn. Prorege, qvi una adfuit, intellexiſſe te arbitror. Lapſus aliqvantulum memoria tunc videbatur Sereniſſimus Rex. Urina laudabile exhibuit ſedimentum: excrementa concocta. Defecit noſtrum Electuarium; & qvamvis ſæpius de novo parando antea monuerim, nihil tamen à Noſtro obtinere potui. Cauſam deinde ſubolfeci hanc, qvod Noſter ille nempe Electuarium abrogatum, & ſuas Rotulas ſubſtitutas cuperet. In prandio meliuſcule ſe habuit, ſolito more benè comedit, ac ultra dimidiam menſuram vini ebibit. Omnes ejus alacritatem adſcripſerunt converſationi cum Dn. Prorege, optaruntqve diutius hic commoratus ut fuiſſet. Nec dubium, qvin, ſi talem virum, qvocum de neceſſariis agere poſſet, ſemper ſecum haberet, ejus valetudini multum conduceret. Hora tertia in lecto invenimus, non tamen debiliorem ſolito; in defectu Electuarii Rotulas dedimus, qvas *Fabricius* ordinaverat: dixit conſtare ex ol. cinnam. ſuccin. alb. ſolut. perlar. ſal. corall. matris perlar. cum ſaccharo. Rotulas ſumpſit tres, vinum ſuperbibit more ſolito. XVIII. nox utcunqve bona, ipſo Rege referente: ter ſurrexit, ſemel dejecit concocta; Urina flava, ſed ſine ſedimento. Rotulas præbuimus; ſed dixit ſe nolle ulterius illas, verum Electuarium ſolitum: qvod auctum commodè ante horam tertiam Hafnia accepimus. Prandium ferme, ut die præterito. Hora tertiâ Noſter in aureo orbe Rotulas tres, & ſimul doſin noſtri Electuarii obtulit, ut ſumeret Rex utrum lubeert; rejectis rotulis, electuarium ſumpſit more

 ſolito.

ſolito. Conqverebatur horis matutinis, os & fauces lenta ac viſcidâ pituita obſtrui, qvam difficulter ahmodum exſcreare valeret: Qvocirca in defectu aliorum, gargarismum confecimus ex *Rob de Rubo idæo*, *Aq. hyſſopi* & *Roſarum*. Die XIX. optimè ab electuario noſtro eâ nocte conqvievit; ſemel ſurrexit; ſed nihil dejecit: Urina, horâ octavâ, craſſior erat ſolito, ſed flava, cum bullis. De nulla re conqveſtus eſt. Gargarismate uſus, parum ſaltem pituitæ exſcreavit. Hic claudo; qvoniam jam ad vos abituriunt omnes. Noſter ære valde ſe jam mihi præbet amicum, cui tamen qvantum fidendum, ſcio: qvousqve per conſcientiam poſſum, ei me accommodabo. Vale. Fridericiburgi a. d. 19. Febr. 1648.

CCCXCVII.

OLAUS WORMIUS

Magno Cancellario

CHRISTIANO FRIIS.

PEtiit Dominus *Jonas Schonvigius*, cujus induſtria hactenus uſi ſumus in Monumentis conqvirendis, Magnificentiam Veſtram meis interceſſoriis ut compellarem, apud Majeſtatem Regiam cauſam ejus agere ut haud gravetur, ad Parochiam qvandam, in Diœceſi Bergenſi vacantem, cujus conditiones pluribus ipſe exponet, promoveri ut poſſit. Qvia verò utilem nobis hactenus navavit operam, ſubmiſſè rogo, Magnificentia Veſtra in hoc negotio ei adeſſe, & petitioni ejus locum dare ut haud dedignetur. Qvod ſi voti compos factus fuerit, forſan ea, qvæ adhuc in *Cimbria* reſtant, pari diligentia ante abitum delineabit. Ni moleſtus eſſem nimium, obnixè contenderem, ut, ſi ulla ſeſe offerret occaſio, mei etiam apud Majeſtatem Regiam memor eſſe vellet, ne repulſæ tædium animum plane dejiciat, omnemqve *Antiqvitatum* noſtrarum curam excutiat. Qvid enim diſſimulem, tot exantlatorum laborum denegatum præmium, domeſtico luctu exacerbatum, ab iſtis curis alieniorem me reddidiſſe? A Magnificentiæ Veſtræ favore to-

totus pendeo, qvi me ad hæc inſtigavit, qvi me, ope & conſilio, juvit, qvi haud fruſtraneum ſpopondit laborem; ὕδος φέρειν ἀπ᾽ ἀγῶνος ἄεθλον,

Dotataqve virtus

Creſcit, & immenſum præmia calcar habent.

Deum ſupplex veneror, Magnificentiam Veſtram, cum tota enerosæ Familiæ proſapia, nobis ſalvam & incolumem præ. et, & periculoſa hacce tempeſtate ſub umbra alarum ſuarum ementer protegat. Hafn. 1629.

CCCXCVIII.

JOANNES NARSSIUS

Cl. Viro

D. Olao Worm

Salutem & Officia.

CLariſſime, humaniſſime Vir. Accinctus itineri Svedico (vocatus nempe per literas paſſus liberi ſeu immunis a ſumibus, ut me S. R. Mti ſiſtam, priusqvam in Germaniam me onferam) non poſſum non verbulo te ſalutare, ac pro Epitahio Runico nuper abs te donato, mittere *Inſtitutionem hanc ingvæ Runicæ*, in Sveciâ editam. Plura forſan brevi commuicabit coram Nobiliſſ. *Dn. Jonas Buræus*, Agens S. R. Mtis iveciæ, cognatus *Burei* illius Upſalienſis, de qvo nuper nois ſermo fuit, vir ſanè humanitate, candore aliisqve virtutius digniſſimus; cujus amicitiam omnes boni exſpectant. Qvodſi illi etiam oſtenderis miranda tua, mihi nuper commontrata, rem humanitate tuâ dignam & mihi gratiſſimam facies, ec minus gratam, ſi occaſionem illi dederis contrahendi amiitiam cum Clariſſ. D. *Bartholino*, qvam meo ſvaſu expetit. icriberem eâdem operâ ipſi D. *Bartholino*, ſed propter itineris omitem feſtinantem impedior. Qværo ſaluta illum millies nillies, & roga, ſi qvid reſpondere dignabitur ad literas meas, inte ſex circiter dies a me miſſas, id mittere ne gravetur ad lictum *Dn. Buræum*. Vale & Salve millies cum Clar. D. D. Collegis.

Collegis. Spero me propediem reverſurum. Nam Ser. Maj. R. Sveciæ brevi ad fines Daniæ ventura dicitur ad colloqvium cum Sereniſſ. Rege Veſtro inſtituendum, ſpero maximô utriusqve Regni ac totius orbis Chriſtiani bono. Helſingoræ 15. Febr. 1629.

Cave aliqvid Danicis Antiqvitatibus tribuas, qvod Svedicum eſt; aut magna inter nos orietur (amica tamen) contentio.

CCCXCIX.

OLAUS WORMIUS

Johanni Narſſio, Hiſtorico Svetico.

GRatiſſimæ mihi tuæ fuerunt, *Narſſi* Clariſſime, tum qvod iis inita amicitiæ fœdera mihi viſus ſis etiam abſens continuare, tum qvod miſſa *Inſtitutione Runica* (qvam tamen dudum vidi) conatibus meis ludicris prodeſſe ſtudueris. De me viciſſim qvævis, amico grata, tibi ut pollicearis, velim. Adventus Nobiliſſimi *Burai*, qvem avidus exſpecto, mihi gratiſſimus erit; Ita enim Viri, ut puto, in hiſce haud leviter verſati, de nugis meis judicium expiſcabor commodius, & tanti Viri exoptata converſatione & familiaritate in luctuoſo hocce meo ſtatu haud parum recreabor. Nihil certè tam rarum & charum in meo erit Naturalium theſauro, qvod non lubens libensqve oſtendam. *Bartholino* qvoqve noſtro gratius nihil accidere poteſt, qvam ejus frui colloqvio, ad qvod occaſionem ego, ubi venerit, ſuppeditabo. Is te viciſſim officioſiſſime ſalutat, &, ni fallor, ſcribet. In meis nihil qvicqvam invenies *Danis* tributum, qvod non fide dignorum teſtimoniis aut αὐτοψίᾳ ſtabilitum; qvocirca nullius virgulam metuo cenſoriam. ſed tu cave, ne, dum alienis oculis videre, & alienis auribus audire cogeris, commiſſi muneris limites (jocari licet) transgrediaris, à *Polonis* jaculis & obelis configendus. Salutant te noſtri omnes. Effigiem, qvam nuper promiſi, en mitto, ut, hujus aſpectu, amici abſentis etiam qvandoqve recorderis. Vale *Narſſi* amiciſſime.

Literaturam meam *Runicam*, qvam præſens oſtendi, ſi evi epigrammate exornare placeret, mihi gratiſſimum foret. al. Martii, 1629.

CCCC.

OLAUS WORMIUS

Nicolao Andreæ.

PEtiit à me ſpectabilis Dn. Decanus *M. Joh. Alanus*, ut id qvod ipſe publico programmate, ego privatis meis ad te iteris præſtarem, te videlicet, cujus nobis explorata virtus & ruditio, ad inſtantes Majo menſe Magiſtralis Laureæ honores nvitarem. Cum igitur tibi tuisqve rebus ſemper benè conſulum cupiam, non potui non ejus petitioni morem gerere, teqve, ut hos ab Academia oblatos honores neqvaqvam reſpueres, dhortari, idqve multis de cauſis, qvas præſens malo exponere, qvam infidæ committere chartæ. Non eſt, qvod ſumuum, (qvi jam, ſublatis conviviorum impenſis, tolerabiles lanè redditi ſunt,) te deterreat magnitudo, cum non dubiem, qvin Nobiliſſimi tui Patroni ſine tuo impendio illos ſint uppeditaturi. Plura privato reſervo colloqvio. Vale & veni. 17. Mart. 1629.

CCCCI.

OLAUS WORMIUS

Joanni Schelderupio.

Witebergam.

QVod animi mei cruciatus & anguſtias, ex tot amicorum funeribus, tempeſtate adeo nobis luctuoſa, contractas, literis tuis lenire conatus fueris, gratias ago ingentes. ſed crede mihi, mi *Schelderupi*, tot tantaqve ſunt, qvæ me cumulatum obruunt, ut, niſi Divinis edoctus Oraculis, cuncta hæc, fumi, umbræ aut nihili inſtar evaneſcere, meosqve non amiſſos ſed præmiſſos ſcirem, ferendo vix eſſem. Non enim uxor

modo,

modo, & *Bartholinus* affinis, ſed Pater, ſoror, *D. Fuirenius* aliiqve ex affinitate qvamplurimi hanc ingreſſi ſunt viam, ut ſibi lætam, ita nobis relictis luctuoſam. Nec adhuc, undiqve peſtifero ſepti contagio, nobismet ipſis craſtinum polliceri valemus. Academia diſſipata, Profeſſores diſperſi, qvidam etiam (ut probitatis illud exemplum *M. Hermannus Nicolai*) hac lue penitus ſublati. DEus miſereatur noſtri, ac tandem peccatis ignoſcens, ſalvos nos præſtet, teqve tuaqve ſtudia ad ſui Nominis gloriam & Patriæ ſalutem dirigat! Vale, m. Novembr. 1629.

CCCCII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabeliavio Belgæ.

Binas à te, Vir Clariſſime, ab obitu mariti, Viri Celeberrimi, *D. Caſp. Bartholini*, Affinis mei æterna memoria colendi, accepit literas Vidua mœſtiſſima, ac prioribus qvidem ut reſponderet, qvendam ex amicis noſtris rogavit; qvod cum haud factum vel neglectum ex poſterioribus tuis colligat, iis ut ego ſatisfacerem, expetiit. Ac qvamvis præ mœrore vix, qvod dicendum, efferre valeam, qvia tamen neceſſitas id poſtulat, tribus verbis cape, *Bartholinum* tuum ad ſuperos migraſſe, nobisqve indelebile ſui deſiderium reliqviſſe. Qvando, qvomodo & ubi, adjuncta te docebit charta. Gratias interim agit Vidua mœſtiſſima pro affectu intemerato, ad extremum usqve durante, ac ſerio dolet, ad tot tuorum amiciſſimorum mortes & hanc acceſſiſſe, qvæ ut tibi acerba, ita ipſi acerbiſſima. *Meditationes* ejus *in Orationem Dominicam* lingva vernacula conceptæ, ſub prælo ſunt. *Commentarii in Officia Ciceronis* liberalem exſpectant Typographum. Alia ejus monumenta, Sacris qvibusdam exceptis, publicari Ipſe vetuit. De *Eqveſtri Ordine Danico* cum qvibusdam ex noſtratibus egi; ubi qvid ab iis memoria dignum accepero, communicabo. Artificium illud hernias curandi absqve ſectione & teſticuli exemptione, me non latet; ſed totum in ἐγχειρήσει conſiſtit. Ejus meminit *Platerus*, tomo tertio *Praxeos de curatione Procidentiæ partium*, *pag.*

m. 620. Hæc ſunt, Vir Clariſſime qvæ ad tuas ut reſpon-
:em, petiit Vidua. Interim ſi qva in re vices affinis pie
ancti ſubire valeam, tuis conatibus non deero, meqve tibi
ımendatum cupio. *1629.*

CCCCIII.

JOH. CABELJAUIUS
V. Cl.
OLAO WORMIO
M. Doctori
S. P.

ſniam:

POſt immenſas qvidem moras, Vir Clariſſime, tandem tri-
ſtiſſimæ tuæ mihi redduntur, qvarum ſane lectio adeò pectus
ıciavit meum, ut adhuc miſerrimè fluctuet. Credideram, jam
is Parcæ me litaſſe, tot doloribus defunctus. at, ecce, ad
: meorum mortes, accedit inſuder *BARTHOLINI* (heu !
:i hactenus) occaſus. Qvi qvantum animo meo inflixerit
lorem, ex conſtantia mei erga ipſum amoris facile percepe-
. Eſt, cur lugeant Dani, cur langveat Academia, cur vos
nſangvinei lamentemini. Sed & mihi vices debentur. ſi ul-
n abs me conſolationem exſpectes, mi *Wormi*, falleris. non
o alios conſoler, lachrymis ipſe madens. qvin imo usqve adeò
nſolationibus exhauſtus ſum, ut, qvicqvid eò à me pro-
ri qveat, jam præſtiterim. Qvid igitur dicam? Certè do-
ı Viduæ ſtatum, ac poſthumorum vices. Dignaberis ipſi meo
mine gratias agere maximas, qvod in tanto caſu adhuc mei
:minerit. Te autem, qvi ſcribendi provinciam ſuſcipere
ılueris, qvam me ulteriori exſpectatione fatigari,
ıementer laudo. qvem inſuper accumulas affectum,
isqve amplector ulnis. En viciſſim tibi meum. Studia autem
:a ſic tibi conſecro, ut, qvicqvid inde commodi redundet,
ım eſſe putes. De *Ordinibus Eqveſtribus* qvod addis, utinam
iò expiſceris! Si me amas, ut amas, hic oſtende. Rem

tam

tam gratam mihi præſtiteris, ut vel ſolo iſthoc nomine me tibi in perpetuum obſtrictum habiturus ſis. Diligenter itaqve, mi *Wormi*, inveſtiga, ac transmitte. Si citò dederis, bis dederis. Ego verò de te omnia mihi polliceor optata. Si qva manuſcripta literaria habeat Vidua, per ſacra Muſarum rogo, ut mihi communicentur. Ego qvidem tam religioſè omnia ſervabo, qvam candidè meum dilexi *Bartholinum*. atqve ità hæc tractabo, ut omnem inde gloriam ad amici mei nomen derivaturus ſim. Qvæ ſuperſunt monummenta, obſecro, ut divulgari cures. *Commentaria in Officia Ciceronis*, ſi ità ſedet, hic venuſtiſſimis facilè curarim typis imprimi. ſed hæc res tui arbitrii eſto. Ut me omnibus Academiæ Haſnienſis Profeſſoribus cõmmendes, etiam atqve etiam rogo. Salveat à me Vidua. Tu, mi *Wormi*, vale, ac me amare perge. Hagæ-Comitum XII. Julii CIↃIↃCXXX. Ut freqventer ad me ſcribas, te obteſtor.

CCCCIV.

JOH. CABELJAVIUS

V. Cl. Olao Wormio.

S. D.

Haſniam.

JAm bis ad Tuas, Vir Clariſſime, reſpondi. Qvas ſi acceperis, facilè intellexeris, qvantis concupiſcam votis, ut te mihi in *Chiffletiana* cauſa commodes. Qvare non poſſum, qvin iterum Te rogitem, ut ſeriò invigilare ne graveris. Non promoveris Ordinem Eqveſtrem, qvin & Tu ſcanderis eodem qvo Dominus *Cifletius*, vir ingenioſiſſimus. Qvare autem adeo Te urgeam fit, ne amicus alioqvi putet, ſegnem me aut ſupinum eſſe. Ut me Academiæ Haſnienſis ac Soranæ Profeſſoribus commendes, jam ante ſcripſi. Qvocirca petitionem hic meam novare nolim. Tu modò fac, ut ſentiam, qvid meo nomine & velis, & poſſis. Scripſeram, ante menſes aliqvot literas ad Sereniſſimum Daniæ Regem. Qvas num *Bartholinus* noſter, ὁμακαρίτης Magno Cancellario tradiderit, ſcire laboro.

Qvod

Qvod ſi Tu expiſcari qveas omnino velim, uti facias. Ego viciſſim hic totus tibi pateſcam. Præſtantiſſimo Viro, *Johanni Meurſio*, meo nomine, ſalutem annunciari cupiam: ut &, ſi grave non eſt, *Johanni Erasmo*, &, qvem priore loco nominare debueram, Magnifico Rectori, Reverendo ac clariſſimo Viro, D. *Caſparo Erasmo*, cujus *Orationem funebrem* non ſine lachrymis perlegi. Qvâ potiſſimum viâ literas ad vos meas ablegaturus ſim, noviſſe geſtio. Salve, mi *Wormi*, & me redamare perge, qvi Te amabo in æternum. Hagæ-Comitum XXIV. Aug. cIↄ Iↄcxxx.

CCCCV.

JOH. CABELJAVIUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

JAm aliqvoties tibi ſcripſi, Vir Clariſſ. de meo erga te adfectu. Malè mecum agitur ſi literarum ad te mearum nihil perferatur. Cujus qvidem rei per te certior fieri ardeo. De *Ordinibus Eqveſtribus* ſi qvid intellexeris, aut nunc forte à Proceribus expiſcatus fueris, te etiam atqve etiam obteſtor, ut mihi omnia primâ qvaqve occaſione perſcribas. Qvod ſi feceris, mihi pergratum, nominisqve inde tui famam auxeris. Qvousqve me tuo digneris adfectu, hoc, amabo, appareat. Ego viciſſim tuis ad nutum uſibus deſudabo. nec enim aliter inter veros obtinet amicos. Brevi ſcripta qvædam accipies, qvibus indelebilem tibi amicitiæ noſtræ teſſeram propinaturus ſum. Qvod pluribus nunc, ſi liceret, dilatarem. ſed proximis de omnibus qvam copioſiſſimè. Interea, mi *Wormi*, vale, & me ama. Dabam raptim. Hagæ-Comitum XIX. Octobris CIↄ IↄC XXX.

CCCCVI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabelavio.

EX qvo ego de triſtiſſimo *Bartholini* noſtri obitu certiorem te feci, ternas tuas accepi; ac duæ priores qvidem, 12. Jul. & 24. Aug.

24. Aug. datæ, una eademqve hora ad me delatæ ſunt, qvibus etiam mox reſpondi. Sed meas ad manus tuas haud perveniſſe, ex iis, qvas hodie accepi, 19. Octob. à te exaratas, ſatis colligo. Qvocirca, qvæ ſcripſi, paucis repetam. Doleo eqvidem, tuis votis & exſpectationi de *Ordinibus Eqveſtribus* ſatisfacere me haud poſſe; ex omnibus enim, qvibuscum hac de re contuli, nihil memoria dignum expiſcari adhuc licuit. Hoc ſaltem ratum, viguiſſe in Dania Eqveſtrem Ordinem, *Divæ Virgini* dicatum, longe ante tempora Regum ex Familia Oldenburgica creatorum. Hujus ſocii *penſilem ex auro Deiparæ effigiem* ex collo geſtabant, in *catena ex elephantibus & peronibus alternatim conflata.* Ipſo verò Coronationis die & actu, hunc honorem benè meritis à Regibus collatum eſſe, ex variis documentis accepimus. Ac plura qvidem de eo Ordine, jam fere obliterato, habere non licuit, qvam qvæ refert *Iſaacius Pontanus* in ſua *Dania Chorographia*, qvæ ſub prælo Amſtelredami jam fervet; qvem, ſi lubet, conſulere hac de re poteris. In *Hiſtoria Chriſtiani II.* lego, eum (cum Anno 1520. Stokholmii in Sveciæ Regem coronaretur) in ſolenni illo actu, Eqveſtrem dignitatem Danis tantum qvibusdam contuliſſe, ægre ferentibus Svecis, nemini ſuorum hunc honorem habuiſſe. Sereniſſimus verò Rex noſter, *Chriſtianus Qvartus*, confecto bello Svetico, cum Victor ac triumphator rediiſſet, ex Proceribus Regni duodecim ſelegit (qvi, omnium conſenſu fortiter pro Patria pugnando, ſummos promeriti erant honores) in qvos novi Ordinis Eqveſtrem conferret dignitatem; Inter qvos primas obtinuit Magnificus Cancellarius Regius, *Chriſtianus Friſius de Kragerup*, Vir de Patria & bonis omnibus, præſertim literatis, optimè meritus. In publicis Comitiis, Coldingæ habitis 1616. præſentibus variorum Principum Legatis, per Præconem Regium eorum proclamatis meritis & nominibus, magna pompa Eqvites eos creavit auratos, collato inſigni, (*ex auro & gemmis* confectum eſt *brachium*, *ſtrictum vibrans enſem*) qvo exornatos eos qvandoqve in magnis ſolennitatibus conſpicere licet. Ordo verò hic, qvia virtute acqviſitus, hæreditarius non eſt, nec in ſucceſſores aut Hæredes tranſit; ſed pari virtutis merito acqvirendus reſtat. Ab omni ævo Patriæ noſtræ hoc extitit fatum, ut majori ſemper laboraverit inopia eorum, qvi res memoria dignas literis ad poſteros tranſmitterent, qvam qvi literis digna

digna gererent. Hinc factum, ut & jam te non minus, qvam *Chifletium* tuum, contra ſpem & voluntatem, ſpe falſos, invitus dimittere cogar, veniam ſubmiſſe precatus. Vidua *D. Bartholini* varia qvidem tenet ejus Manuſcripta, ſed paulo ante obitum teſtamento cavit, ne divulgarentur, paucis exceptis Theologicis & *Commentariis in Officia Ciceronis*, qvæ lubens ad te transmitteret, ſi tuto fieri poſſe ſperaret. Cum Magnifico Domino Cancellario de literis ad Regem ſcriptis egi, ſed retulit, ſe in tanta rerum graviorum cura meminiſſe haud poſſe, an ad Majeſtatem Regiam pervenerint. Salutant Te noſtri omnes qvibus tua commendavi ſtudia. 1630.

CCCCVII.

JOH. CABELJAVIUS

D. Olao Wormio,

Hafniam.

POſt longas demum moras, Cl. *Wormi*, humaniſſimæ tuæ literæ mihi traditæ ſunt. Meas autem omnes, qvas miſeram, perlatas eſſe gaudeo. Utinam & ſic tuas accepiſſem at ego verò, ut rectè colligis, nihil tuarum vidi, poſt obitum qvidem celeberrimi BARTHOLINI noſtri. Qvod qvantopere me urat, nil attinet multis diffundere. De ordinibus Eqveſtribus qvod ſcribis, qvando aliter eſſe non poteſt, æqvo animo ferendum eſt. Gratias interim immortaleis tibi ago, mi Wormi, qvi hactenus votis noſtris, qvantum in te qvidem fuit, adſpiraveris. Qvod transmittis, etſi parum tibi videtur, acceptum tamen erit magno illi *Chiffletio* meo. Ego autem agnoſco induſtriam tuam, & amplector. Viciſſim tibi, qvando opus erit, vacabo ac patebo totus. De literis noſtris ad Sereniſſ. Regem Veſtrum bene ſe habet. Et hic officia tua æſtimo ac laudo, qvinimo inſigni me cumulaſti benificio, qvi nomen meum Magno Regni Cancellario commendaris. Et ego omnia tibi mea offero atqve mancipo, qvæ honori tuo prodeſſe qveant. De manuſcriptis præſtantiſſimi *Bartholini* noſtri, qvid? itane cavit ille teſtamento ſuo, ne ea, qvæ hic exſpectamus avidi, publici fiant juris? qvid dicam? non ego ultimam Tanti

Amici voluntatem impotenti votorum æſtu fatigem ultr
qvam vellem, aliter ſtatuiſſet. at nunc per me ratu
qvod mandavit. De *Commentariis* ejus *in Officia* Cic
qvam jucundum fuit id qvod ſcribis! utinam porò id
ut opus illud ad me perferatur. næ tu, & me tibi, &
omnes æternum devinxeris. Ego qvidem tanti benefici
ero, qvamdiu aurâ ætheréa veſci dabitur. Curabo ſed
qvam ſplendidiſſimè in gloriam ac laudem Daniæ vu
Non deerunt hic mihi typi *Elzeviriani*. Præterea aga
qvæ ad *Bartholini* noſtri famam pertinebunt. Seqventi
na, Lejdam cum Muſis meis commigrabo, ut vel hin
colligas, qvô animo & conſilio ſcripta illa velim poſtu
Poſſent qvidem tutò transmitti, ſi iſtic alicui deſcribe
derentur. Qvod ut fiat, in manu tua ſitum eſt. Utcun
tem miſeris, pergam jam inde maris rogare Deum, n
interea aut laxet *præcipitem Africum Decertantem Aqvi
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti*. Tu verò, Vir Cl
nihil hac in re præſtiteris qvod non ad honorem tuum
daturum ſit. Fac itaqve, te qværſo, me voti mei com
ac oſtende, qvantum me ames. Proximis mittam C
Epiſtolarum mearum *alteram*. & ſic alias, cum bono D
ra. Exactius ſcripſiſſem, ſi differre viſum fuiſſet, at nun
eâdem illâ hora reſpondeo ad tuas, qvas ultimas acce
ve, mi *Wormi*, ac ſaluta omnes iſtos, qvibus per te
Salveat etiam vel ter â me Vidua Noſtri. E muſeo meo
XIV. Jan. CIϽ IϽC XXXI.

Ut ſingulis, te per ſacra Muſarum noſtramqve an
rogo, occaſionibus ſcribere ne graveris.

CCCCVIII.

OLAUS WORMIUS
Joanni Cabeljavio.

Leidam.

ULtimas meas ad te perveniſſe gaudeo: qvod verò
ctationi non reſponderint, non mea, ſed eorur
tes noſtras conſignare debebant, factum eſſe culpa, agn

a

arbitror. Vidua *D. Bartholini* ægrè qvicqvam ex Mſſ. dimittit, tum qvod filium habeat optimæ ſpei & indolis eximiæ, cui hæc olim committere ſe tuto poſſe ſperat: tum qvod gener *Hallervordii*, apud nos bibliopolam agens, avidè iis inhiet, & haud levi ære vulganda conqvirere ſtudeat. Qvot ego fecerim jacturam librorum Mſſ. qvædam ad Jacobum Marci, typographum Veſtrum, (qvi mecum hic de iis vulgandis egit) tranſmittendo, narrare poterit noſtras *Jacobus Svabe*, Med. Studioſus, qvi apud vos degit, qvemqve tibi ob modeſtiam commendatum velim. Ni idem periculum metuerem, *Literaturam* meam *Gothicam* cenſendam transmitterem, & forſan veſtris etiam typis committerem. Sed piſcator ictus ſapit. Tuarum *Epiſtolarum Centurias* ecqvando habebo? Clariſſimum *Scriverium* ſi qvando convenire detur, officioſe, qvæſo, meo nomine ſalutes, ac, qvod honorificam adeo mei in ſua *Typographia* fecerit mentionem, gratias age; me Tanti Viri benevolentia gaudio affecit magno, mutuum amorem nunqvam non teſtaturum. Vale & bono publico diu vive. Hafniæ 1631.

CCCCIX.

JOH. CABELJAVIUS

Cl. V.

D. Olao Wormio,

S. D.

Hafniam.

BEne ergo ſe habet, mi Wormi, de qvo ſcribis. Non ego te ulterioribus fatigabo votis. qvinimo gaudeo, magnum illum *Bartholinum* reliqviſſe tantæ ſpei filium. Faxit DEus, ut paterna æmuletur veſtigia. ità profectò confirmabitur, feroces aqvilas imbellem haud parere columbam. De *Gothicis* tuis qvod addis, matura. Noli, *Wormi* præſtantiſſime, ſpes noſtras ſufflaminare. Ego ſanè, ſi qvis tuorum, tua videre ardeo. *Secunda* meæ *Centuria*, de qva tu tam ſeriò, exemplar en tibi. Alterum qvod adjunxi, Reverendo *Brochmando* debetur. Tu ſimul & omnia mea qvidem officia, liberaliter ei offer. *Centuria tertia*, jam qvoqve brevi exſculpetur: ut & tractatus, *De interpunctionibus*. Nihil

hil qvidem meum publicabitur, cujus non te participem facturus ſim. ſi qva in re inſervire tibi poſſum, qvæſo, ſignifica. Nihil enim eſt, qvod affectem magis, qvam ut de te, Viro tam præclaro, benè merear. In amando me, ut cœpiſti, perſevera. Ego ſanè nunqvam non te amaturus ſum. cujus teſtem appello Deum, cui te committo. *Svavius*, juvenis & humanus & literatus eſt. Parebo ipſi, qvia ſic te velle non ambigo. Vale, mi *Wormi*, & diurna. Lugduni xx. Junii CIↃ IↃC XXXI.

CCCCX.

OLAUS WORMIUS

Joanni Cabeljavio.

Leidam.

EXcuſationem meam apud te locum obtinuiſſe gaudeo, eoqve magis, qvod de meo conatibus tuis inſerviendi ſtudio te minus dubitare, ex ultimis intelligam. Gratias verò ago ingentes pro eruditiſſimarum *Epiſtolarum Centuria ſecunda*, qvam ut brevi reliqvæ excipiant, voveo. Cæterum profuſum & ſincerum tuum in me affectum exoſculari debite neqveo, qvo non ſolum largiſſimè aureos ingenii tui fructus offers, ſed etiam catalogo amicorum, Clariſſimorum, inqvam, totiqve meliori orbi Celeberrimorum, meum etiam inſerere nomen haud ſis dedignatus; Ut animo & inſerviendi ſtudio tantæ de me exſpectationi reſpondere valeam, gratus allaborabo. *Gothica* noſtra nil niſi induſtrium exſpectant typographum, qvi neceſſariis inſtructus voti nos reddat compotes. Mitto ſpecimen *Monumentorum*, apud nos extantium, qvod, judicia Doctorum noſtri ævi exploraturus, rogatus edidi. Ultra ducenta ejus generis, variis in locis disjecta & diſſipata Daniæ & Norvegiæ, conqviſivi, qvæ, ſi me operæ facturum putarem pretium, ſuo tempore pluribus communicarem. Interea hiſce viam ſternet *Literatura Gothica. Brochmanno* tuas obtuli, ut & *Centuriæ Epiſtolarum* exemplum alterum: Ejus, ni fallor, hiſce adjunctum habebis reſponſum. Vir eſt, ut elegantis doctrinæ, ita in amicitia colenda candidus & conſtans, qvi & tuis ſummopere delectabatur, & ſe Tanti Viri amicitia antiqvius nihil obtingere poſſe

oſſe, abunde teſtabatur. *Meurſio*, ubi advenerit, meqve more uo ſalutaverit, ſalutem tuam nunciabo amicam. Interim de uo in me affectu nihil te remiſſurum confido. Vale Hafuiæ 12. Septembris 1631.

CCCCXI.

JOH. CABELIAVIUS
V. Cl.
Olao Wormio,
S. D.

Hafniam.

VIr Amiciſſime, ἐς τόδ᾽ ἡμέρας commodam mittendi literas occaſionem præſtolatus ſum. Jam ante, ad te ſæpenumero. Nihil unqvam reſponſi accepimus. Unde dubitare ubiit, ſchedæne noſtræ ad manus tuas perveniſſent, an minus. ed & de morte cogitare cœpimus. Tandem, ecce, *Mejerus* qvilam, tibi, ut gloriabatur, notus medullitus, animo noſtro crupulum eximit. Qvod nobis adeò acceptum, ut mox ineffabilem qvandam animi lætitiam, vultu pariter ac geſtu, vel roderemus, vel teſtaremur. Decreveram, tunc denuò ad te cribere. & jam promiſeram amico. Verum, impediebant Propinqvi. qvod facilè tum fidem, tum veniam, merebitur. Duxeam enim uxorem jam haud ità pridem. qvæ dum inſeitur ac maritatur familiæ, tantis qvidem ſtudiis fervent Conangvinei, ut facilè meam in amicos cæteros pietatem ſufflamiarent. His ſic geſtis, ad tractum Bremenſem, ubi ſita nobis rædia, me confero. Ubi dum digero ac diſpono mea, forte ortuna incido in harum latorem, Nobilis alicujus Dani ſerum, qvo Daniam crepante, tandem ego interrogare cœpi, um *Wormios* noviſſet. Hinc mihi nata præſens occaſio. qvam, t patet, negligere non potui, qvamqvam ne nunc qvidem aricor. Ergo, mi *Wormi*, qvî vales? qvid cogitas? qvid loveris? qvid agis? jam ſeculum eſt, qvod taces. Aut necais me, aut non celabis tua ſtudia diutius. Nos, tauricè nunc alemus. Adeò maritalibus officiis non emedullamur. Ante-

qvam uxorem duxeram, macer eram, indefeſſis adeſus lucubrationibus. qvæ dum remittuntur hodie, incredibile qvantis incrementis ac viribus gliſcant præcordia, fibris animo diſtentis, qva cum veſcor aura nunc ætherea, generoſior ſtudia tracto. Fieri poteſt, ut heic perhyemem. ſi hoc fiat, non effluet mihi tempus inane. Adeò magni qvid meditor. Eò inprimis, qvá Philoſophus, mihi conducet æternæ famæ *Bartholinus.* qvippe ſtat, aliqvot Philoſophorum controverſias epiſtolari formâ penitius excutere. Qvod, σὺν Θεῷ, tam abunde fiet, ut nulla Philoſophiæ pars manſerit intacta. Idem, in Theologia. ſed &, in Jure auſim addere? etiam, in Medicina. Materiam monumenti vides. qvæ, ut creſcat, tu, ſcio, deinceps, pondus ac momentum addes. Neqve feceris hoc ſine nominis tui honore. Ex omnibus Amici nuper noſtri operibus (cujus, ecce, ſine lachrymis non memini,) præter *Syſtema Phyſicum*, nullum eſt, qvod vel legerim ſæpius, vel cum majore admiratione. Liqvebit jam inde luculenter, qvo ego loco communis noſtri Amici eruditionem habeam. De *Metaphyſica* ejus *majora* multa mihi polliceor. Hactenus legere non dabatur. Nunc porrò ità volvam, qvicqvid demum illud Ingenium peperit, ut vel ipſi manes illius eo nomine gaviſuri ſint. In Medicina ſi qvid præſtiteris, ut omni procul dubio, qvæſo, communica; nam & tecum, deſpumat mens, idem ſtadium decurrere. Etſi nihil tuum vidi unqvam, ex tuis tamen literis perſpectum habeo, qvam, ſi qvid edideris, doctum illud & ſubactum fuerit. Et qvî aliter augurer? divina enim ſolent eſſe, qvæ ab entheis illis Naturis promanant. De omnibus reddar, obſecro, certior in poſterum. Studia mea Magno Daniæ Cancellario oblata atqve commendata velim. Si qvid uſui eſſe qveant, honori mihi maximo fuerit, qvæ tanto Heroi deſudent. Sed fortaſſe tu mihi: τί σὺ πρὸς μελάθροις; τί σὺ τῇδε πολεῖς; Sola obſeqvii gloria me eò ſtimulat ac urget. Qvando enim pridem intellexi, non tantum Illuſtrem illum Virum eſſe ipſum eruditiſſimum, verum etiam maximum, ſi qvem tantæ dignitatis alium, litteratorum Vindicem ac fautorem, non poſſum, pro meo in Muſas adfectu, qvin illi deferam ex animo, qvicqvid vel â Natura hauſi, vel ab Arte didici. Magno nomine me tibi obſtrinxeris, ſi tu, mi *Wormi*, hac in parte *Cabeliavium* indu-

eris

is. Qvô id animo feceris, fac, prima occaſione intelligam. vi haſce tibi tradet, brevi huc ſe reverſurum, pollicetur. oli, ipſum redire ſine litteris. Nuper ſcripſeram de *Notis artholini* (nuper, heu! noſtri) *in Officia Ciceronis*. Ecqvid pro-it earum in publicum? ſi minus, cura opus illud maturari. antum qvidem debes manibus auctoris, tantum amicorum vo-s. Has ad Clariſſimum *Meurſium* procurare velis. ſed & mul reſponſum. De *Ordinibus Chiffletianis*, qvid tandem? Si vid præterea exſpiſcatus es, transmitte. Eorum, qvæ nunc ypis aptata ſunt, exemplaria tibi bina polliceor. Interim hæc *pithalamia* legito. Reverendum ac Clariſſimum *Brochmandum* ieis verbis qvam officioſiſſimè ſalutare ne graveris. ut & *Jo-annem Cluverum*, *Svavium*, cæterosqve. Vale, mi *Worni*, & *Cabeliavium* tuum amare perge. Nuclæ, qvod eſt n prædio noſtro dotalitio, Bremæ vicino. XXVI. Julii IↃ IↃC XXXIII.

CCCCXII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabeljavio.

Nuclam.

SOlidum effluxit biennium, amiciſſime *Cabeljavi*, qvo nullas plane abs te accepi literas, præter haſce, Nuclæ 26. Jul. iujus anni datas, qvibus, ſæpenumero te ſcripſiſſe, nec reſponſi jvicqvam retuliſſe, conqvereris. Sancte iterum affirmo, me iullas vidiſſe, ex qvo *Epiſtolarum* miſiſti volumen melitiſſimum & eruditiſſimum, tum verò mox, una cum *Brochmanno*, reſcripſi. Sed hilariores & gratiores à te hiſce accepi nunqvam, in qvi-ous animum agnoſco, præter morem, exultantem, lætum, & novis amoribus turgidum. Faxit DEus, perennet tibi tantum oonum, tum & Cyprius ille fons pectus tam fervidum rrigare non deſinat, donec *Cabeljaviis* tam liberis qvam libris ecreemur, ut numeroſiſſimis, ita optatiſſimis. Thalamum ſecundet & fœcundet Altiſſimus, voti mei ſumma eſt. Mihi jam torpet inimus, & qvotidianæ praxeos moles omnem ferme excutit graviorum ſtudiorum curam, qvin etiam multoties à publico

 docendi

docendi munere avocat, ut dignum qvid luce meditari haud li-
ceat. A privatis Medicis & Philoſophicis lucubrationibus ad
Antiqvitates noſtras ubi magnis pollicitationibus avocaſſet Can-
cellarius, *Faſtos* edidi *Danicos*, qvos mitto: *Literaturam* priſcam,
vulgò *Gothicam*, juſto volumine complexus ſum, ſed lucem ei
invidet typographorum noſtrorum ſordities: *Monumentorum*,
eadem literatura in Dania & Norvegia ornatorum, collegi &
enucleavi centurias, qvorum ſpecimen eſt *Tulsböj*, qvod addo;
ſed cum blattis & tineis luctabuntur, cum nondum inveniant,
qvi è tenebris eripiant. Planè itaqve hæc ſepoſui. Olim Phy-
ſicam hic docens, *Ariſtotelem de mundo* expoſui, qvem edidit,
ſed mendis & erroribus refertum, typographus Roſtochienſis,
ut ei poſtmodum qvippiam committere haud auſus fuerim.
Latent apud me hujus generis haud pauca: *In 8. libr. Acroa-
ſeon Commentaria*, *Controverſiarum per univerſam Phyſicam A-
ſtotelicam* volumen, aliaqve minutiora. Ex eo, qvo Medici-
nam docere cœpi, Artis *Syſtema* ea elaboravi methodo, qva
Bartholinus piæ memoriæ Philoſophiam, Theoremata à notis &
Commentariis ſecernendo, & fidis ac ſolidis præceptis cuncta
tradendo. *Phytologiam Danicam* abſolvi. *Notas ad Bartholini
de oſſibus libellum* dictavi. In *Aphoriſmis Hippocratis* jam ver-
ſor. Per intervalla *Controverſias Medicas* publice diſputavi, qva-
rum ecce ſpecimen, ſiqvid forte ad tuam ſalivam & præcla-
ras Epiſtolarum meditationes; qvas, cave, interpellent ſuavi-
ora Cypridis myſteria: εἰς ἔρωτα πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος.
Jam, obrepente ſenio, laborum ſatur, qvantum licet, qvieti
me dedo. DEus de reliqvo provideat. *Bartholini* noſtri, qvæ
nondum edita ſuperſunt, vel curabit gener, *M. Jacobus Ma-
thias*, Eloqventiæ hic Profeſſor eruditiſſimus, vel, qvem habet,
filius optimæ ut ſpei, ita indolis. Domino Cancellario, data
occaſione, non deſinam ſtudia tua commendare, officia defer-
re, cui ſi qvid ex divite ingenii tui penu oblatum cupis, of-
feram promptiſſime, nec patiar, ut hoc in negotio Wormii tui
operam deſiderare poſſis. Qvia feſtinavit, qvi tuas obtulit, (bi-
dui enim ſaltem moram apud nos traxit) à *Meurſio* reſponſum
non licuit exſpectare; decem enim & amplius à nobis Sora
diſtat milliaribus, nec ordinarii, aut qvotidiani inter nos ſunt
tabelliones. *Cluverius* in Dithmarſia generalem Eccleſiarum
agit Inſpectorem. *Svavius* Soræ nobilium qvorundam eſt Epho-

rus,

rus. A *Brochmanno*, qvi, auditis lætis Hymenæi Tui nunciis, præ gaudio exſultavit, gratulationem habiturum te puto. Ad *Ordines* Clariſſimi *Chifletii*, non habeo, qvod addam, niſi qvòd hiſce Comitiis, cum Duci Holſatiæ feudum conferret Sereniſſima Majeſtas Regia, ex Nobilitate de patria benè meritos decem Ordinis Danici magna pompa & ſolennitate creaverit Eqvites. De ortu, incrementis, inſignibus & legibus plura non invenio, qvam qvæ hactenus ad te perſcripſi. Pro Epithalamiis, ut eruditiſſimis, ita jucundiſſimis, gratias ago magnas. Macte porro, *Cabeljavi* ſvaviſſime, Veneri Tuæ non deſis, dum ardent viſcera, tument præcordia. Vive, Vale. 7. Septembr. 1633.

CCCCXIII.

JOH. CABELJAVIUS

C. V. Olao Wormio,

S. D.

Hafniam.

ACcepi Monumenta tua litteraria, Clariſſime *Wormi*, qvibus mihi qvidem iſthoc tempore nihil jucundius accidere potuit. Tua autem Phyſica *de Mundo*, perplacent. Capio acumen tuum, miror qve. *Diſputationes*, qvas addidiſti, acutæ ac nervoſæ ſunt. Amplius aliqvando de iſtis judicabo. *Faſtis* verò tuis Danos tibi omnes obſtrinxiſti. Opus eſt, tantô Rege ac Regno dignum. Præclarè fecit Illuſtriſſimus Cancellarius, qvi qvi te eò accenderit. Cum verò nunc in eis verſeris, operam non perdideris, qvin pertexas ea, qvæ adhuc ſuperſunt. *Controverſias* illas *Peripateticas*, eloqvi non poſſum, qvam expetam videre. Mi *Wormi*, ne, qvæſo, deliteſcant diutius. accinge te continuò ad editionem. Si cuiqvam tuorum, certè mihi, gratum feceris. jam pridem enim ardeo tua imbibere. *Artis Medicæ Syſtema*, qvod te elaboraſſe ſcribis, Medicus non es, diutius ſi premas. De poſthumis *Bartholini* noſtri monumentis benè habet. Non dubitandum eſt, qvin gener ejus, ſi Vir ille tantus, tandem ſit omnia cum laude editurus, præſertim, ſi

tu ſtimu-

tu ſtimulum addideris. qvod ut conſtanter facias, te pe
pum Muſarum rogo ac obteſtor. De Conjuge mihi p
amanter gratularis. Exoſculor votum tuum. Dabimus o
ut exſpectationi tuæ olim ſatis fiat: & jam omnino
Cabelliavia rudimentum poſuimus. Brevi hæredem nact
mus. ſi maſculum, vel ab ipſis incunabulis docebitur
mores æmulari, qvod eſt, me interprete, colere ſtuc
amare probos, qvibus auſpiciis, veniat tandem exſpe
De Thalaſſione qvod ſcribis, valde gratum. Exſpectabo
qvicqvid tu mihi *Brochmanni* nomine polliceris. Celeber
Cluverum, ubi occaſio dabitur, qvam officioſiſſimè
bis. Gaudeo Viro tam honeſto, tam docto, commendar
teras tuas, qvas Elzeviriis curandas tradidiſti, nondun
pi; ſcripſi continuò, ut huc mitterent: itaqve eas indies
cto. Qvi nuper meas tibi refundebat, domi nunc mar
intelligo. Qvare hæ tam ſerotinæ. Illuſtriſſimo Cancella
totum offero. Velim titulos mihi omnes perſcribi: Non
beris heic mihi commodare. Utinam tecum in eoden
vivere liceret! Eqvidem ego tam vehementer *Wormium*
amo, ut exprimi non poſſit. Qvando verò coram non
te etiam atqve etiam rogo, ut hoc commune damnum c
ribus litteris penſemus. *Canutius* ille, qvalis? Qvantum
ptis apparet, vir eloqventiſſimus eſt: absqve dubio eu
veris. Si ità, qvæſo te, uti me ipſi tradas. ſcripſi illi p
ſed, ut colligo, meas non acceperit. Novi qvendam
Crabbium, Exlegatum tunc temporis ad *Guſtavum M*
Et de hoc Virorum candidiſſimo certior reddi amem. Si
men tantum noſtrum audierit, mox, ſcio, revocabit i
moriam, qvo ipſum ſtudio proſeqvutus fuerim toto illo
pore, qvo in Suecia commorabatur. *Suavium* diligo. I
promoveri eſt. Si me amas, rationem ejus habe. Qv
inter nos prima cœperit amicitia, fortaſſe tibi coram explicu
mo, *Wormi*, qvia te magni faciebat, ideò eum dignum
habui, cui ex toto animo faverem. Eqvidem ego amar
ſoleo, qvi de Amicis meis aut honeſtè ſentiunt, aut præcl
ſtantur. Qvod cum ille, qvô nihil ſuavius, præſtaret utru
meritò ipſum tuô nomine complexus ſum. Ut autem me d
pergas, te unicè rogatum cupio. Ego qvidem perpetuò tui

ti

mus extitero. Vale, mi *Wormi*, & vive felix. XXIII. Novembr. CIↃ IↃC XXXIII.

CCCCXIV.

JOH. CABELJAUIUS

Cl. V. Olao Wormio.

S. P.

ſniam.

ANte menſes jam aliqvot, *Wormi* eruditiſſime, ad tuas iſtas ſuaviſſimas reſpondi. ſimul etiam, ad Præſtantiſſimi *Brochmanni*. Non ambigo, qvin meas acceperitis. ut jam minimè opus longá ſerie iterare, qvæ ſcripſimus. Litteras veſtras tavi illi typographi perdiderunt. qvod valde me afficit. Imnè non fecerint, ſimul in Hollandiam rediero. Titulos Illuis Cancellarii exſpecto. non dedignaberis petitioni nuperæ ıtificari. uxor mea, novercante Lucina, abortum fecit. qvi ius ut inexſpectatus, ità gravis. Perferimus tamen, paſſi graora. Effigiem tuam ſeorſim exſculpi mihi velim. Qvoties ſtos tuos volvo, toties non poſſum, qvin vultus tui majeſtem exoſculer. Qvæ poſteritati elucubraſti, qvæſo, ſub dium ɔe. Noli diutius obſcuris premere tenebris, qvæ luci publidebentur. inprimis autem ego *Controverſias* illas *Peripateticas* lere, legere, mirari, ebuccinare geſtio. Rogo ac obteſtor, mi *Wormi*, per omnia Muſarum ſacra, ut vulges ac communices, ibus communia ſtudia elevari qveant. Alias, ſcire tuum, orſum? Eqvidem *Scire tuum nihil eſt, niſi, te ſcire, hoc ſciat er.* Non invidenda ſunt proximo, qvæ cælitus accepimus. cœleſti omnes cognatione jungimur, ità alter alteri comɔdare tenetur. Sed & inſuper humanæ amicitiæ aliqvid demus. Qvocirca operi te apta, & nos voti noſtri damna. ;o verò tuus & vivam, & moriar. Generum Divini *Barthoıi* noſtri ſaluto: Non gravaberis vice mea fungi. Ex liris, tamqvam ex ungve leonem, facilè cognoſco, qvam uditus noſter *Brechmannus* ſit. ſi potes, & potes, inſinuame

me penitius. Vale, mi *Wormi*, & amare perge tuum *Cabeliavium*. In Nuclano noſtro xx. Aprilis CIƆ IƆC XXXIV.

CCCCXV.

JOH. CABELJAVIUS

Olao Wormio.

S. P.

Hafniam.

NUm ultimas meas, qvas III. Cal. Julii exararam, acceperis, ſcire labòro. Latè in eis ſcripſeram, qvid vellem in rem meam ageres. Totum negotium Rev. ac Clariſſ. *Brochmannus* noſter tibi aperiet, ſi neſcis. Non dedignaberis tentare, qvousqve ſperare liceat. Multa ſunt arcana, qvæ tibi ſuggeſta velim. Cæterum, non auſim tam ventoſæ chartæ ſecreta mentis committere: dici mavult id, qvod te ſcire velim, qvam ſcribi. ſi autem de fide noſtra dubitetur, in Hollandia grandes ſunt, qvi iſthoc nomine caveant, fide jubeant, expromittant. Plura non adnecto. Heus, tu, *Wormi*, qvid rurſus æternitati pangis? Qvæſo, ea, de qvibus tu ad me nuper, matura tandem. Exeat in lucem, qvod jam dudum Muſa *deducit in aſtra, nigroqve Invidet orco.* Qvid in Monumentis Eruditiſſimi *Bartholini* præſtet Gener, cognoſcere amem. Clariſſ. Arniſæum ſalvere jubeo. ſi me amas, exoſculare meâ vice illum virum. Illuſtriſſ. D. Cancellario omnia mea ſtudia & officia planè offer. Vale, mi *Wormi*, & diu patriæ, Muſis, interqve tuos mihi, vive incolumis. In Nuclano meo. XIII. Aug. CIƆ IƆC XXXIV.

CCCCXVI.

JOH. CABELIAVIUS

Cl. OLAO WORMIO

Med. D. S. D.

Hafniam.

ITa ſtatim accipio, Archiepiſcopum noſtrum, dum Francofurto domum feſtinat, in via animam exhalaſſe. Nunc igitur

reſtat,

ſtat, ut novum Dominum ac Caput ex Dania exſpectemus. axit DEus O. M. ſic omnia ſuccedant, uti ego qvidem optem x animo. Ego interim me totum ſperato Archiepiſcopo mancipo & conſecro. Dignaberis qvæſo, cum Illuſtriſſimo Dn. *Cancellario Friſio* in rem meam agere. Dabam raptim, uti idui ſolent. in Nuclano noſtro III. Septemb. CIↃ IↃC XXXIV.

Hiſce hucusqve conſcriptis, qvidam intimus enucleatius mihi omnia ſignificat. Secundo hujus menſis obiit noſter Princeps. Sveci detinent corpus: qvorſum, augurari licet. Interim tamen non eſt, cur qvisqvam noſtrum de Dano Domino ac Heroe dubitet. Si coram eſſem, multa tibi arcana politica. Salveant omnes, inprimis Illuſtriſſ. Dn. Cancellarius, cujus titulos jam pridem noviſſe geſtio.

CCCCXVII.

JOH. CABELIAVIUS

Olao Wormio

S. D.

Hafniam.

QVas ad te dedi ultimas, ſi acceperis, ut accepiſſe credo, iterum te rogo, ut meminiſſe noſtri digneris. inprimis autem, apud Magnum Regni Cancellarium, qvô intellecto, noviſti cætera, qvæ velim. Titulos, qvibus eum Rex Sereniſſimus illuſtravit, didiciſſe ardeo. facilè hoc in negotio gratificari mihi poteris. Ut ſcias, qvot ad te exararim literas, ad qvas tu nihil hactenus reſpondiſti, aut, ſi qvid reſpondiſti, nihil ſalvum ego nactus ſum, ſcias, has ipſas, qvas nunc tibi cudo, nonas eſſe. neqve pauciores ad ingenioſiſſimum *Brochmannum*, cujus Thalaſſionem tu adhuc expromiſſor debes, miſſa ſunt. Comminiſci hactenus non datur, qvid cauſa ſilentii ſiet Notri autem oblivione memoriam officii & affectus ſegneſcere, vel ipſa Pitho, id ut credam, ſuggerat, haud credo tamen. vin, illud potius, altius ac tenacius animi veſtri penetralius inſculptum me eſſe, qvam qvi ullo unqvam modo funditus deletar aut expungar. Bremæ nunc moramur, ut nihil hodie

die obſtiterit, qvò minus tot ſcribendi occaſiones captemu
faciamus ipſi, qvot exercendæ amicitiæ noſtræ condı
Exſpues & expelles me ex tuorum area, ſi qvid alibi aut
qvam partes meæ claudicarint. Qvas ad ſtupendum m
dotibus *Brochmannum* vides hic, non trades, niſi junctis
officiis. Alteras ad Nobiliſſimum noſtrum *Meurſium*, illu
tutis atqve Litterarum Theatrum, ſic refundes, ut ſin
percipiat ac diſcat, qvantô me amore complectaris. qven
dem honorem mihi non invidebis. Magno Cancellario pro
mem deberi. Offeres Heroi uſum & fructum totius *Cabel*
cui ſalutem plurimam qvam officioſiſſimè annectes. Val
Wormi, & diligere perge, qvem nuper deperire non ne
Bremæ XVII. Febr. CIↃ IↃC XXXV.

Si qvâ commodâ viâ poſſis, ut potes, aut te
ſaltem credo, te per amicitiæ noſtræ ſacra, ut & Rev.
riſſimumqve *Brochmannum* noſtrum rogatum cupio, ut n
chiepiſcopo noſtro de meliore nota commendetis. Dum
duplex nobile prædium in hac diœceſi, & hinc mihi pro
cum nobili qvodam, cogor, velim nolim, tantiſper hic co
rari, donec ad finem omnia perduxero. ut vos laudar
me inſinuaveritis. Id qvod vehementer etiam atqve etia
pio. Nec aſpernarer, Ejus Celſitudini alibi eſſe ab offic
ita demum aliqvid foret, qvod cum honore agerem. E
ciſſimi veſtro nomini atqve dignitati omnem meam o
atqve fidem impendero. Valete Heroes, & amate V
Cabeliavium.

CCCCXVIII.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabeljavio.

Bremam.

Literas tuas, 17. Febr. datas, Hamburgô ad me tra
Hagemejerus, qvibus me reum neglecti officii agere v
qvaſi novem ad me datis literis nihil prorſus reſponderi
inauditâ cauſâ, ſententiam ferre non ſolent Juris C
Anno præterito ternas ſaltim abs te accepi, qvas ſigillat

æ exceperunt; ſed, qvod idem ſubierint fatum qvod reliqvæ :, mea neqvaqvam factum eſt culpa. Memini, me ſe-l cuidam Dn. *Schultio* à ſervitiis ad te perferendas tradidiſſe, iqvas Hamburgum miſiſſe. Qvid ſubſit, qvò minus rite :rint curatæ, ſubodorari neqveo, niſi forſan, ubi Nucla tua ı ſit, ignoraverint tabellionum magiſtri. Cautius poſthac mer-›or, &, ſi minus moleſtum fore intellexero, ſiqvid poſthac ipturus ſim, ad *Hagmejerum* dirigam Hamburgum, qvò certi-curetur. *D. Brochmanno* tuas in manus tradidi; & ad *Meur-m*, (qvi duorum dierum itinere à nobis remotus, Soræ de-:) ſibi deſtinatas, per certum miſi internuncium, ſiqvidem ·ò ad nos excurrere ſolet. Sereniſſimus Rex noſter, una cum ıncellario, & tota Aula, totâ hac brumâ, in Cimbria hyber-runt, nec adhuc ad nos redierunt: Ubi reverſi fuerint, non ſinam tuas apud Magnates noſtros, (qvod ſæpius feci) qvo-m hic incluſos mitto titulos, partes agere. Archiepiſcopo ve-'o vix puto meum innotuiſſe nomen, utpote qvi, qvantum ›tuerim, ab aulicis me ſemper ſubduxerim, tantum abeſt, ut ea aliqvod apud Ipſum pondus habitura ſit commendatio. ;vod igitur hac in parte amico gratificari neqveam, doleo. otum tuum *Brochmanno*, qvi diu in aula Principi familiaris xit, concredidi; ille ſe Dn. *Schultio*, qvi Sereniſſimo a con-iis eſt, negotium fideliter commendaturum pollicitus eſt. ıterim Wormium tuum de priſtino in Te affectu nihil ıqvam remiſiſſe, faxo, alius intelligas. Pridie Iduum A-:ilis, 1635.

CCCCXIX.

JOH. CABELIAVIUS

Olao Wormio.

Hafniam.

DEoſculanti filium, ecce traduntur mihi ſuaviſſimæ tuæ, qvas pridie iduum Aprilis dederas. Mox uxori reſtituitur, ıvod amplexandum mihi præbuerat, tuasqve pergo cum ſum-na voluptate legere. Scribis, te neglecti officii reum haberi â uo *Cabeliavio*, non eſſe ferendam ſententiam, niſi cauſâ utrius-

Dd qve

qve cognitâ. unas duntaxat noſtras accepiſſe te. & ad ſingulas reſpondiſſe. mi *Wormi*, nimis diligenter te excuſas. neqve enim te adeò culpæ inſimulare memini, ut video videri tibi. Novi tuum erga me adfectum. non fugit me animi tui conſtantia. Qvare dolui tantum, non etiam perſtrinxi, intermiſſionem litterarum. De tuis *Schultzio* cuidam traditis, cæterisqve Hamburgum miſſis, nihil eqvidem mihi conſtat. Ne autem tuæ fluctuent in poſterum, rectâ, ſi placet, ad *Johannem Hagmejerum* dirigito. Degit, ut mihi ſcripſit frater ejus *Joachimus*, qvi nunc Lipſiam tendit, apud qvendam *Johannem Stroteringium* in Appia divitum platea. Jam ſæpius te noſtri meminiſſe apud Magnum Cancellarium, idqve te crebro facturum, ex animo gaviſus ſum. De Illuſtriſſimo Archiepiſcopo noſtro, vellem, poſſes, qvod, ſi poſſes, velles. ſi Clariſſ. noſter *Brochmannus* id, qvod ſcribis, præſtiterit, reapſe ſentiet, qvanto me officio ſibi obſtrinxerit. Tituli Magnifici Cancellarii tempori obſervabuntur. Mirabaris, ſcio, cum legeres mox in initio de meo filio. Qvid! inqvis, itane auctus es familiam? imo, mi *Wormi*, tandem voto meo benedixit Deus. dedit mihi maſculum hæredem, puerum bonæ ſpei, ſi Medicis credendum. ut augurantur omnes, ſtaturâ corporis ſuperabit olim me parentem. Faxit DEus, ut etiam ingenio cæteriſqve famæ momentis. Egregiè indies grandeſcit. Nuper pollicebatur Thalaſſionem noſter ille, verè alter *Eraſmus*. ſolverit fidem, ſi nunc pepigerit Genèthliacum. qvod, cum jam pridem expromiſſor factus es, vel ultrò urgebis. Clariſſimo *Arniſæo*, ut & doctiſſimo *Bertilio*, ſi ibi ſunt, plurimam meo nomine ſalutem annunciari curabis. Vale, mi *Wormi*, & perge Reipubl. litterariæ ſupereſſe. Bremæ IV. Maji CIↃ IↃC XXXV.

CCCCXX.

JOH. CABELIAVIUS

Olao Wormio

S. D.

Hafniam.

AD ultimas tuas jam dudum reſpondi, Clariſſime *Wormi*, ut cottidie nunc reſponſum abs te iterum expectem. Nuper

ad te,

e, ut meminiſti, de *Eqveſtribus Ordinibus Chiffletii* mei.
cum eſt, qvod hodie forte iterem. Ex ſcheda vides, qvo-
re te conſultum velit. Si qvid poſſis, ut hic potes, te eti-
atqve etiam rogo, ne graveris tandem id præſtare, qvo tibi
nas animas concilies. Iconismum Novi illius Ordinis,
n Rex Sereniſſimus nuper inſtituit, facilè curâris, ut & ſi-
illuſtria Eqvitum nomina. Gratiſſimum feceris, ſi magno
operam hic dederis. Sed & multam inde gloriam vobis
is conciliaveris. Immortale monumentum eſt, qvod tractat.
circa non poſſum, qvin per ſacra ſtudiorum iterum atqve
m seriò te precer, ut communi voto gratificeris. Cætera,
noſti, ſatis tibi commendata. Qvid verò nunc parturias,
m ſcire velim. Et, qvid alter ille *Eraſmus*? Ecqvid *Bartho-*
editum hactenus? iſte *Commentarius in Officia Ciceronis*,
ndo tandem? *Faſtos Danicos* augebis. ingenioſum opus eſt.
inde ſatis collegi, Vir qvantus ſis. Meritò te Dani colunt,
n pretio habent. Nos verò exteri, amamus te, & miramur
tim. ſalve, grande Danorum decus, & *Cabeliavium* tuum
mare perge. Magno Cancellario amem mancipari. interim
n fructum noſtri Illuſtri Heroi dicare ſuſtine. Vale, Bremæ
III. Maji CIↃ IↃC XXXV.

CCCCXXI.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabeljavio.

laus.

Rimas, qvas ad me de *Eqveſtribus Ordinibus Chifletii* ſcripſiſſe
te, narras, non accepi. Hiſce verò ut reſponderem, cu-
i, ut ab Eqvite hujus ordinis, amico meo inſignia haberem,
delineata hic mitto. Elephas eſt albus, ab aurea dependens
na, Turrim cœruleam pinnatam, rubro tecto inſignem,
ſo geſtans, inter qvatuor adamantes effigiem Regis, affabre
oratam, oſtentantem. A turri cœruleum dependet periſtro-
; inter qvatuor adamantes cataphracti brachium, ſtrictum
m vibrans. Atqve hæc ſunt inſignia priſci *Ordinis Danici*. Novus
m ille *Brachium* tantum oſtentat, ex catena dependens, qvod

tyro qvidam artis pictoriæ haud ſatis affabre, ob feſtinati
expreſſit; facile autem emendabit, qvi æri mandabit.
nulli, niſi qvi in bello Svetico ſe ſtrenue geſſerunt anno
ſunt exornati. Reliqvis, qvotqvot exinde ad eqveſtrem
ſunt dignitatem, data ſunt priſca illa Elephanti, ut vides.
ut omnia *Chifletii* ſint clariora, ecce totum ritum, Nomi
mul Eqvitum, qvotqvot ab hoc noſtro Rege hactenus
creati, typis excuſa mitto: inde ſingulorum pleniorem h
es enarrationem. Me qvod attinet, ex eo, qvo de priſca
norumGothorumqve Literatura juſtum tractatum & monum
hiſce characteribus apud nos extantia, abſolvi, qvieti m
di, &, ut verum fatear, ferme laboraſſe jam pœnitet,
qvi hæc typis poſteritati tradat, non ſit inventus. Tibi ita
aliisqve Magnis Nominibus lampada trado: in tenebri
ete deliteſcere mihi jam volupe. Vale. 5. Jun. 1635.

CCCCXXII.

JOH. CABELIAVIUS

Olao Wormio.

S. D.

Hafniam.

UT notes tabellariorum incuriam, ecce uno ac eodem
pore binæ mihi redduntur, qvas tu diverſiſſimo ad
dederas. qvarum primæ, ut apparet, qvinqve propemo
menſes fluctuarunt. alteræ verò ſex ſeptem ſeptimanarum
utrasqve enim jam ante qvatriduum accepi demum. Dole
ſcribis, te tam raras abs me accipere, idem & ego veheme
doleo. Auſim & ego affirmare ſeriò, præter eas jam ulti
& iſtas, qvas noviſti, nuperas, integro triennio, ſi modò
memini, tuarum nihil vidiſſe me. ut vellem eqvidem &
felicius officia noſtra freqventari: Ea verò, qvæ in rem
gni *Chiffletii*-noſtri delineari curaviſti, cum ineffabili qva
voluptate nactus ſum. qvin imò ter, crede mihi, ad os, ad
pectus meum, preſſi: Fraudi itaqve non erit tibi, qvod
communi bono velificari ſuſtines. Laudabit te hinc noſter ſi
aſtra, nomenqve tuum ſcripto nunqvam perituro commend

Inte

Interea, qvod unum poſſum hodie, immortales ago tibi gratias. Ego viciſſim, nomine amici, omnia prorſus officia, qvæ unqvam præſtari qveant, tibi offero ac defero; nil negabitur tibi, cui nihil non debemus. Mittam hæc tua, qvæ amplector indies, qvamprimum tutò dabitur, ad communem noſtrum amicum. non cunctabor deſideriis ejus ſatisfacere. nec oportet, ſcio enim, qvantopere iſthæc Danica ſalivet imbibiſſe. *Non res Romana, perituraqve regna*, non qvodvis aliud tam gratum & acceptum fuerit, qvam hæc *Eqveſtria*. qvod ipſum nunc pórrò ipſemet intelligas. Tantum de eo. Aliqvamdiu tertiana maceratum tabuiſſe te, non libens audio. multò minus, de hypochondriaco qvod annumeras. Grave atqve triſte malum hoc eſt. ex parte novi, qvantum pectus humanum rodat. Debes bono animo eſſe, ſuaviſſime meorum, & litteris conſolari te. Has inſertas Nobiliſſ. *Meurſio*. Domino *Brochmanno*, qvi mei prorſus obliviſcitur, ſalutem plurimam, ut & Celeberrimo *Arniſæo*. Vale, mi *Wormi*, & freqventioribus me bea. In Nuclano V. Novembr. CIↃ IↃC XXXV.

CCCCXXIII.

JOH. CABELIAVIUS

Olao Wormio

S. D.

Hafniam.

AD Illuſtrem ſcribens *Reventlovium*, non potui, qvin, hac occaſione, ad te, intimum Amicum meum, pariter. Jam ſæpius conqveſtus ſum, ſuper oblito amicitiæ cultu. Manifeſto oſtendi documento, qvantum inde adfſicerer. Provocavi te, variis literarum officiis, ad ingenium antiqvum. & tamen, ecce, ad hunc usqve diem ignorare, qvi valeas, me, finis. Si adhuc homo es; & me ſolito dignare ſtudio: oro te, Vir Præſtantiſſime, per noſtram amicitiam; ut, tandem, ſilere deſinas. Ita magno me ſcrupulo liberaris. neqve enim tranqvillo poſſum animo eſſe, niſi me ſtatum tuum edoceas. Qvi, nomine Sereniſſimi Regis veſtri, hic reſidet Legatus, *Martinus Tanckius*, Vir Regno utiliſſimus, mihiqve, propter egregias animi dotes, ingeni-

ingeniumqve nobile, chariſſimus mortalium, ſuaſit, max
Reventlovio innoteſcere. In te ipſo luculentum habes exempl
ut ego geſtiam eruditis placuiſſe. qvod mihi qvia ceſſit
mè; pergo, ecce, etiam ulterius Daniam veſtram penetr
Idoneum autem comitem ſum nactus. cui tuas ſi partes g
nare ſuſtineas, jam, vide, de gratia laudatiſſimi Herois dı
nullus. id qvod humanitatis tuæ officium prorſus mihi ipſ
polliceor. Novi enim benè ſatis tuum erga me adfectum. q
ſi hic promoveris, ut eqvidem mihi perſvadeo, magno tib
neficio obligâris me. Commendabis igitur me ſummo Viro,
conciliatâ Tanti amicitiâ, jam, Apollinari ſublimis trium
mediis caput aſtris inumbrem. Bremâ poſitâ, Trajectoque
gæ nunc commoror hactenus. Sed nec hic conſeneſcere lic
ad calendas enim Majas, hinc, cum tota mea familia, A
lodamum migraturus ſum. ubi, (ne ignores mutationis h
cauſam,) in Gymnaſio Illuſtri, ſub auſpiciis potentiſſim
qve eruditiſſimi Magiſtratus, Jus & Hiſtorias profitebo
qvod, DEus opt. max. fauſtum mihi felixqve velit! Tu
his conatibus adſpirare ac favere perge. ita qvidem anim
ſpartam mihi commiſſam adornâro. Solent enim amicorum
plauſus magnis ſtimulare motibus. Hic deſino. Vale; mi
mi, & reciproco adfectu pabulum dolendi ſuffoca. Hagæ
Martii CIↃ IↃC XL.

CCCCXXIV.

OLAUS WORMIUS

Johanni Cabeljavio,

J. U. D.

Amſterodamum.

CLariſſime *Cabeljavi*! Anni effluxere bini, ex qvo nih
carum vidi literarum; nec ubi locorum eſſes, expiſcar
fuerim. Tantum abeſt, ut eas viderim, qvibus te ad deb
officium toties me provocâſſe ſcribis. Fateor in amicitiæ
graviter me peccâſſe, ſi pectus tam amicum debita non an
cterer reverentia, illudqve mutuo ac debito defraudarem a

ol

officio. Sed ut ut ſe res habeat, in perturbato hoc Germaniæ ſtatu negligentius curari ea, qvæ inter amicos aguntur, qvid miri? Qvin has ipſas, qvas á te jam lego, 25. Martii Hagæ Comitis exaratas, hodie primum, qvi decimus eſt Maji, accepi per amicum, qvi alioqvin in iſtis curioſus eſſe ſolet. Cæterum tibi in Gymnaſio Amſterodamenſi demandatam eſſe provinciam Jus & Hiſtorias docendi ex animo gaudeo. Deus conatus dirigat in ſui Nominis gloriam, juventutis commodum, tuiqve honoris incrementum! Eſt, qvod tibi applaudamus omnes, tam ſplendidum qvòd nactus ſis honoris theatrum, in qvo præclari ingenii tui liberè ſe exſerere poſſunt impetus. Cum Nobiliſſimo Dn. *Reventlovio* nulla prorſus intercedit mihi familiaritas, alioqvin in commiſſo negotio nullas paterer deſiderari in me officii partes. Qvantum poſſum, me ab aulicis retraho turbis in iſta ingraveſcente ætate, nec eò me niſi invitus adduci patior, mihi meisqve Muſis Academicis, ubi praxis qvotidiana ægrorumqve ſinunt qverelæ, unice deditus. Nunqvam ſplendida illa mihi placere potuit miſeria. Si qvando ob adverſam Magnatum eò vocor valetudinem, qvam poſſum, me brevibus expedio, eóſqve longùm valere jubeo. Hic rerum mearum ſtatus, qvem cum Purpuratorum permutatum nollem, viribus & valetudine qvietem ſvadentibus. Te interim, præclaris auſis ad famæ anhelantem æternitatem, qvàm proſperrimè valere cupio. Hafniæ, 10. Maji 1640.

CCCCXXV.

Illuſtriſſimo Domino

PALÆMONI ROSECRANTZIO,

Sereniſſ. Danicæ Majeſtatis aqud Anglos Legato,

HENRICUS SPELMAN

Salutem humillimè cum dignitatis incremento.

VAlde placuit, Illuſtriſſ. Domine, qvod è veſtra clientela nuper mihi oſtendit eruditus juvenis *Axilius Julius* TULS-

HÖI illud Monumentum Danicum, ab *Olao Wormio* doctè, ſplendidè & ingenioſè enarratum. Non adducor tamen ut credam, *Tottorum* cognomen ſub Anno Chriſti CCLXXXX. usqvam gentium innotuiſſe, cum Germani, Galli, Britanni, &, ut alios taceam, populi omnes boreales, Græcorum Hebræorumqve more ſimplici uterentur appellatione. *Tottum* igitur, de qvo meminit *Saxo Grammaticus* ſub illo ſeculo, inter majores *Toronis Totti*, qvi recentius vixit 800. annis, ideò numerandum non cenſeo, qvod ὁμώνυμος eſſet, ut nec Aſſuros illos Hebraicos ad Aſſurum Totti fratrem gentili ſpectaſſe cognatione. Danos tamen, Norvegos & Gothos (qvos olim Getas,) ab Hebræis oriundos, cum enixius id evicerit *Arngrimus Jonas* in ſua Crymogæa, non inficiabor.

Certè apud Hiſtoricos noſtros, qvi de Danis copioſius tractarunt qvam ipſi Dani, nullus, qvod ſciam, occurrit Saxo vel Danus, gentili fretus cognomine. Nec ejusmodi qvempiam reperi inter Gallos veteres, apud *Gregorium Turonenſem*, nec ſub mediis ſeculis apud *Aimoinum*, nec inter Longobardos apud *Paulum Warnefridum* ſeu *Diaconum*. Fateor tamen in hiſtoriis ut & aliarum gentium, deprehendi interdum alium atqve alium bino compellatum nomine, neutro tamen gentili, ſed hoc ex contingenti aliqvo adventitio, & per probrum ſæpe, (qvod Plautus *improperium* vocat, nos *a Nichname*,) illo autem genuino & legitimo.

Noſtrates ſeu Anglo-Saxones, ſive Anglo-Dani, ante introitum Normannorum, gentili non ſunt uſi cognomine, nec in tota patria mea, qvæ præ cæteris tota paruit Dano, Danorumqve hodie villis ſcatet & proſapiis, ullus mihi accuratius indaganti compertus eſt binominis. Exſtat in memoriam rei vetus qvædam narratiuncula: Normannam nobilem, Angli repudiaſſe nuptias, qvod duplici non honeſtaretur nomine. Brevi igitur in Normannicum ruunt omnes morem, cognomina ſibi aut à prædiis, villis, oppidis, (qvod Normannis atqve Gallis uſitatiſſimum fuit,) aut ab animi corporisqve dotibus, officio, magiſtratu, artificio, rebus geſtis & hujusmodi, adſciſcentes, eademqve ad nepotes & propaginem ſuam diffundentes. Sed de his nimium.

Anti-

Antiqviſſimi moris eſt in campis ſepelire, etiam totam
l cognationem in eodem monumento. Sic Abraham, Iſaac
cob cum uxoribus ſuis in ſpelunca, qvæ fuit in extremita-
;ri nuncupati Machpelach, (qvâ & parentes ſui primi A-
& Eva, ſi Doctoribus credamus) inhumati ſunt. Nec ina-
ic, qvod dicitur, *in extremitate agri.* Ritum enim alium an-
ſſimum ſuggerit, cujus è *Platone* meminit *Cicero* in fine lib.
e Legibus : in arvis ſcil. *non condendos mortuos.* Extremita-
:nim agrorum incultas olim reliqvêre, qvod & in *Tulshöi*
tur obſervatum, prout ſanctius à Danis & Saxonibus noſtris.
enim animadverto tumulos paſſim ex aggeſto ceſpite emi-
:ius per loca extuliſſe : haud tamen in frugiferis ar-
, ſed in ericetis camporumqve finibus minimè Cereri atqve
:ho arridentibus. Priſcum igitur violarunt morem, qvi pirum
:pulchro ſeruêre ; multò enim hæc recentior eſt, nec in
ıeteriis unqvam vidimus arborem fructiferam; agreſtes ve-
æpiſſimè & feras. Judæos tamen in hortis alias poſuiſſe mo-
ıenta atqve tumulos, non ignoro : ſed hæc pluribus diſſe-
la tranſeo. Miror tamen, *Toronem Tottum*, monaſterio-
conditorem, illic ſibi non delegiſſe ſepulturam, cum id
ıis fundatoribus admodum gratum eſſet, & futuræ arrha
:itudinis, qvam nec cedentibus Monachis ipſi cederent præ-
im à Chriſtianis fratribus ad Ethnicos redire, à fidelibus
ısfugere ad infideles. Forte alius fuit hic *Torus Tottus*, cui
nolestus ſim, *molliter oſſa cubent.*

De literis *Runicis* plura cupio : unde nomen, qvænam
o, & qvis populus ? *Rinucorum* meminit *Plinius*, eosqve
ie ponunt authores juxta Batavos atqve Friſios, Friſorum-
lingvam hodiernam veterum illorum Teutonum & Gotho-
ı admodum conſonantem prædicant. Et qvos *Tacitus* in
mania *Sunicos* vocat, qvidam *Runicos* legunt. Expediret
cul dubio ſingula Doctiſſ. *Wormii* libellus de *Literatura Ru-*
ı, ſi ejusdem haberetur copia.

Ego Monumenti inſcriptionem *Gothicis* planè exaratam
ris cenſeo. Gothicarum autem variæ ſpecies, varia Alpha-
a. Unum ex Anonymo dedit *Bon. Vulcanius*, & ab amicis
ınde perqviſita qvatuor alia, ſed hæc parum inter ſe diſtan-
, adeò ut præcipua duo tantum videantur genera, eorumqve

 alterum

alterum à *Galfila* (aliis, *Gulfila* & *Ulphila*) Epiſcopo Gothico ſub æra CCCCXV. juxta *Iſidori Chronicum* excogitatum. *Trithemius* Abbas aliud etiam perhibet recentius a Normannis, (qvos à Gothis Aſiaticis ducit,) inventum. Et apud nos reperitur aliqvando Gothicæ ſcripturæ genus, Monumenti non abſimile, ſed alio atqve alio diſpar charactere, *Wormiiqve* dignum enucleatione. Breve ecce ſpecimen.

ᚱᛁᚳᚨᛋᛞᚱᚣᚻᛁᛏᚾᚨᛋ.

Sculpta fuit hæc inſcriptio Epiſtylio crucis lapideæ, Beucaſtri partibus Angliæ borealibus, (ubi Dani plurimum verſabantur,) *Camdenoqve* & mihi ſimul exhibita Anno Domini 1618. ab Antiqvitatum inter Proceres Angliæ peritiſſimo *Dn. Guilielmo Howard*, noviſſimi Ducis Norfolciæ filio. Habetur & ex eodem tractu, ſub Brigantibus Cumberlandiæ in *Cambdeni Britannia*, literis aliqvot magis obſoletis & exoticis alia inſcriptio (Danica reor,) qvam utramqve intueatur, cupio, veſter Myſtagogus *Wormius*, exponensqve vel alterutrum erit mihi magnus Apollo. Nec deficiens qvidem minoris pretii, nam hæc forte τὰς ἐν ἅδου τριακάδας ἐπιζητεῖν. De cæteris, cum minus generalia, verba non faciam. Hæc, ut Veſtra novit Excellentia, ſatis æger & detentus aliis, peroravi. Spero me initurum cum Authore amicitiam, & per literas aliqvando nos acturos pluribus. DEUS Optimus Maximus Amplitudinem Veſtram in veſtrum patriumqve decus diutiſſimè tueatur. Londini XIV. Calend. Maj. MDCXXIX. ſt. vet.

CCCCXXVI.

OLAUS WORMIUS

Viro Illuſtri & Generoſo

DN. HENRICO SPELMAN,

Eqviti Anglo-Britanno S.

NOn poſſum non, Vir Illuſtris, tantam tuam humanitatem, & incredibilem benevolentiam exoſculari, quà me facie ignotum,

ſnotum, nulláqve vel minimâ re de te tuiſve unqvam benè ıeritum proſeqveris; non ſolum eruditum tuum, laborioſiſſiıoqve ingenii molimine expolitum, *Archæologum* dono mitendo: ſed etiam nugas meas *Stróenſes* tanti faciendo, ut iis xcutiendis aliqvid etiam temporis tribuere haud ſis veritus. 'ro qvibus officiis fateor me tantopere tibi obligatum, ut ſi ıvid à mea proficiſci poſſit tenuitate, qvod honori tuo dilatanlo inſervire qveat, illud non immeritò totum tuum eſſe graus agnoſcam. Ut verò aliqvo indicio mutuum declarem affectum, :cce *Faſtos* tibi mitto meos, ex ſummis tenebris in hanc, Maorum voluntate potius qvam meo voto, protruſos lucem. In ıvibus eundem, qvô in *Stróenſi* Monumento examinando uſus :s, liberè ut exerceas candorem, amicè peto. Sunt enim hæc talia, qvæ à nemine tentata hactenus, unius hominis, glaciem frangentis, infinitisqve aliis indies diſtenti negotiis, facilè effugere poſſunt diligentiam. Si qvæ occurrunt minus expedita, illa, DEO volente, ſuo tempore clariora reddet noſtra *Literatura Runica*, cui triſtiſſima rerum noſtrarum hoc belli tempore, facies, typographorum qvinetiam ſordida tenacitas, hactenus lucem inviderunt.

Monumentum TULSHØI à te diligenter adeò perluſtratem qvod attinet, illud amici cujusdam mei rogatu publicaſſe me ſcito, ut doctorum in patria, de talibus explorarem judicia, & an reliqva ejus generis, magno labore & ſumtu ex ruderibus & ſaxis Daniæ & Norvegiæ eruta, digna luce ducerent, expiſcarer: ne operam aliqvam his ulterius tribuendo, bonas horas ſeverioribus deſtinatas, temerè perderem. Tanti igitur æſtimii chartam hanc eſſe non arbitrabar, ut Tui ſimiliumqve antiqvitatum Procerum experiretur cenſuram; qvam tamen, ut gratiſſimam, exoſculor & veneror. Utqve, per Nobiliſſimum *Axilium Julium* noſtrum communicatam, curæ & cordi fuiſſe agnoſcas, qvæ mihi, eâ pellectâ irrepſêre dubia, tanta fretus humanitate, in ſinum tuum liberius deponam, utqve æqvo excipiantur animo, ac candido enucleentur, unicè exopto.

Non credis, Tottorum cognomen, ſub Anno Chriſti CCLXXXX. *usqvam gentium innotuiſſe; cum Germani, Galli, Britanni & populi omnes Boreales, Græcorum Hebræorumqve more ſimplici uterentur appellatione.*

Sed

Sed magna mihi indigere videtur probatione, Omnes Boreales tunc temporis ſimplici uſos appellatione. De Germanis, Gallis, Britannis nil jam dicam: de Danis, Norvegis, Suecis contrarium evincunt, tum hiſtoriæ fide dignæ, tum Nobilium genealogiæ, aliaqve apud nos exſtantia documenta. Ut *Adelingos* Longobardorum, *Amalos* & *Baltheos* antiqviſſimas Danorum & Gothorum taceam familias, de qvibus etiam doctè diſſerit *Archæologus*: *Gungincos*, de qvibus *Paulus Diaconus* lib. I. *de geſtis Longobardorum* cap. 14. qvi an noſtri fuerint *Gungi*, qvorum adhuc in Scania integer eſt principatus; qviqve ſe veterum Gothorum progeniem gloriantur, qvibus, ſagittandi peritia vix cedunt, dubitatur: *Lithingos*, apud eundem ibid. cap. 21. *Hi omnes Lithingi fuerunt, ſic enim apud eos qvædam nobilis proſapia vocabatur*, ait *Warnefridus*: licet qvidam legant *Adelingi*, ad explicationem ipſius Pauli reſpicientes. A Skioldo Danorum Rege, juxta *Saxonem*, IV. qvi, ut ferunt annales noſtri, circa annum mundi 3006. vixiſſe putatur, *Skioldungos* dictos inſeqventes qvamplurimos, teſtantur Hiſtorici noſtri. Rolvo, qvi circa annum mundi 3379. imperavit, cognomine fuit *Krage*. Fridlevus I. anno mundi 3871. faſces tenens, *Snare* dictus. Frotho III. cujus anno 19. Gothi è Dania migrarunt, qviqve tempore nati Chriſti vixit, *Geſſmild* ſalutatus. Haraldus II. anno 276. nati Chriſti imperium obtinens, *Hylletand* dictus. Ulterius non progredior in Regum Danicorum Hiſtoria. Norvegos jam conſule, non ab Haraldo *Harfagre*, qvem anno Chriſti 860. imperium inchoaſſe referunt, à qvo ad majorum noſtrorum tempora vix qviſqvam fuit, qvi cognomine aliqvo non gaudebat: ſed Regulos, ante ejus tempora faſces provinciarum tenentes, aſpice; maximâ parte non ſimplici, ſed duplici uſos nomine reperies. Qvid juvat referre Ivarum *Vidfadne*, Aaſam *Ildraada*, Olaum *Tratelge*, Haldanum *Hvidbeen*, Halfdanum *den Milde*, Gudrodum *den Gamle*, aliosqve qvam plurimos? Sueci tibi enumerabunt Rodericum *Slyngebaand*, Alricum *Geſtblind*, Ericum *hin Viſe*, Haldanum *Bergram*, aliosqve; qvos tibi in hiſtoriis verſatiſſimo in memoriam revocare piget. Magnatum & Nobilium non minorem recenſerem (Danorum ſaltem) catalogum, ſi apud te genealogias per manus nobis traditas pondus aliqvod habere ſcirem. *Roſæcrantziorum*, adduximus in *Tulløy*, addere poſſem *Urnorum*, *Bannerorum*, *Brahæorum*, *Gyl-*

denſter-

Vſternorum, Langorum, aliorumqve, ſi neceſſitas efflagita-, exempla.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiqve longâ
Nocte, carent qvia vate ſacro.

Qvid *Cambdenus*, in deſcriptione Cornvalliæ, de *Godolphi-rum* referat familia, plana ſunt &, *Spelmanno* notiſſima.

Tottum igitur, de qvo *Saxo* (cujus autoritas non te-erè repudianda,) è numero majorum *Toronis* non exclu-ro; niſi alios *Tottos* tum viguiſſe, aut hanc 800. anno-m lineam interruptam, documentis evidentibus probaveris.

Aſſuros illos Hebræos ad Aſſerum Totti fratrem gentili tEtaſſe cognatione, nuſpiam dixi, ſed qvia eadem in gente no-ra, qvæ in Hebraica, reperire licet Heroum nomina; ab He-æis oriundos nos contendo, qvod te ultro largiri gaudeo.

Qvia vero hæc de cognominibus diſceptatio, varias ırere poſſe difficultates animadverto: ſubmoneo cognomina ı familiis qvibusdam Danicis, à ſumma fuiſſe antiqvitate, d qvibusdam ſeculis, in nonnullis interrupta, à poſteris ta-en tandem revocata. Idqve nobiliſſimorum qvorundam, a-ıd nos vigentium, edocent exempla: Qvi, etſi abunde con-et qvâ ſtirpe & familiâ orti, malunt tamen longâ ſerie, ldito ſaltem parentis proprio ſalutari, eô modo qvo Græci, atris nomen poſtponentes, ut ΕΥΓΝΙC ΕΥΒΙΟΥ, in ara vꝗæ exſtat Meſſanæ in Sicilia, & Romani in nummis, JU-IA. C. JUL. CÆS. IMP. filia ſcilicet. Id elapſo ſeculo mul-ò fuiſſe nobis freqventius, teſtatum reliqvit Nobiliſſimus Daniæ iſtoriographus *Arnoldus Hvitfeldius*, in Vita Friderici Primi irca finem, ubi refert dictum Regem Nobilitati Danicæ autorem ıiſſe, ut obliterata jam fermè familiarum revocarent cognomi-a, & clypeorum ſigna; ne tribuum fieret confuſio, & ſtirpi-m irrevocabilis obreperet oblivio. Nec hoc diſſimulo, qvas-am etiam reperiri familias, qvæ licet ante ſecula non itâ mul-a cognomina primum acqviſiverint, majorum tamen ſeriem

non

non interruptam, à remotiſſimo numerant ævo. Et hoc ſenſu *Toronem* ex *Tottiorum* fuiſſe majoribus aſſerere is poſſet, qvi aliis deſtitueretur fulcris. ſed generoſiſſimi hujus ſtemmatis genealogiæ mihi inſtar omnium fuêre.

Qvantum valeat autoritas negativa peregrinorum de rebus Danicis diſſerentium, me melius noſti. Tuos Anglos, Gallos, Saxones, Danica tractantes, ſi cum noſtratibus Mſſ. præſertim & nondum editis conferas, bone DEus! qvam jejuni, qvam manci, qvam omnium rituum noſtrorum ignari! Poſſem tibi noſtrorum Nobilium cognomina in hujus anni Gallorum Relationibus annotata, & miſeris adeò modis depravata recenſere, ut vix à nobis ipſis agnoſcantur, &, niſi rei geſtæ ſeries conjecturam firmaret, planè pro peregrinis haberentur. Ex qvo qvantum in talibus exteris ſit habendum fidei, facilè æſtimaveris. Sed hæc te ipſum animadvertiſſe non dubito.

Qvod *Anglo-Saxones aut Anglo-Dani ante introitum Normannorum in Britanniam gentili haud uſi ſint nomine*, facilè conceſſero, nec fidem tuam in dubium vocabo: ſed hinc ad Danos in patria & omnes reliqvos ſeptentrionales non ritè argumentamur.

Ritum totam cognationem ſimul in campis ſepeliendi in eodem monumento, tantâ tui ingenii ubertate locupletatum, ad nos rediiſſe gaudeo. Sed non poſſum, qvin hic annotem, qvæ apud nos diverſa reperio ab iis, qvæ ex *Cicerone* colligis. Non enim in ericetis & camporum ſaltim finibus colles & tumulos hujusmodi arte elaboratos, ut ſepulchra Magnatibus ſuppeditent, apud nos freqventiſſimos reperies: ſed etiam in frugiferis arvis, Cereri (de Baccho non loqvor, nobis minus familiari,) dicatis, adeò ut à colonis noſtris haud paucos ex parte aratro everſos cernere liceat. Nec priſcum morem adjecta piro violatum crediderim. Oſtenderem enim, annoſas fagos, qvercus, aliasqve arbores porcorum ſaginis deſtinatas, qvosdam coronæ inſtar cingere tumulos, qvosdam verò ad caput aut latera exornare. Hæc ocularis nos docet inſpectio, nullis opinionibus aut conjecturis evertenda.

Sacras literas ſi conſuluerimus, inveniemus Reges Juda etiam non in arvis frugiferis, ſed in hortis ſuis tumulatos.

De

)e Manaſſe teſtatur caput XXI. *Libri IV. Regum* v. 18. qvod oſt obitum in horto domûs ſuæ, in horto Ozæ ſit ſepultus. Qvin & de filio ejus Ammone idem memoratur v. ult. ejusd. c. *:pelieruntqve eum in ſepulchro ſuo in horto Oza.* Non igitur infreqvens fuiſſe videtur multis gentibus, Reges & Magnates ſuos, n hortis & arvis lætâ fruge conſitis tumulare.

Miraris *Toronem, tot Monaſteriorum conditorem illic ſibi* *delegiſſe ſepulturam.* Miror & ego, & qvî factum, documens nullis evidentibus probare datur. Conjecturas meas in medio oſitas vides, & ni elogium propoſitum, familiæ conſtans reitio, ſimiliaqve alia me moverent exempla, planè tecum negaem; Utut ſit, hiſce fidem ut adhibeamus neceſſum eſt, doec contrarium probetur. Nondum confirmatis in Religione Manatibus, lucri cupidos Monachos multa conceſſiſſe, ne rigore imio jacta doctrinæ fundamenta everterent, à ratione neutivam alienum.

De *Runicis* mirari ſatis ego neqveo, ex Hiſtoricis Briannis, *qvi de Danis copioſius* (te autore) *tractarunt, qvam ſi Dani*, nihil percepiſſe Spelmannum. De qvibus tamen Daorum vulgus aſſiduè tot tantaqve cantillat & diſſerit, Norvei, Sveci, Iſlandi ſcribunt, referunt & oſtendunt. Imò, qvibus :itius nihil in ore omnium. Et qvia *Litteraturam* meam, totum oc expeditum daturam reris, ecce ejus Ideam tibi mitto; & væ de nomine Runarum publicanda ex uſu eſſe duxi, plenis addo, ea candido & accurato tuo judicio lubens ſubmittens, ıce acceſſioneqve aliqva locupletata reditura ſperans.

Monumenti inſcriptionem Gothicis literis exaratam, cenſes : rectè: *Gothica* enim nil aliud ſunt qvam *Runica*, & illa qvæ xteris dicta eſt Gothica, ab iis, qvi eam primum in peregrias advexerunt regiones, nobis Runica eſt literatura vero & enuino nomine, qvod *caput qvartum Literaturæ* expediım dabit.

Inſcriptio epiſtylii crucis lapideæ Beucaſtrienſis verè iothica ſeu Runica eſt, ab imperito haud planè deſcripta; nam ec integra eſt, nec 4. 5. 7. 8. 12. notæ confuſionem & deravationem effugêre. Qvod etiam de monumento in Comiıtu Brigantino exſtante, à Clariſſ. *Cambdeno* delineato, conqveror;

qveror : alioqvin non hic ullo opus foret Apolline. Qvid ſi ità legendum ?



Rino ſatu Runa ſtina d.

RINO LAPIDES HOS RUNICOS POSUIT.

Qvod ſi tanta apud Excellentiſſimum *Spelmannum* pollerem autoritate, ut accuratius aliqvantò à qvodam hujus literaturæ non planè imperito hæc delineari curaret, efficerem ut agnoſcecet nihil mihi gratius eſſe, qvam in talibus amicis gratificari.

Vides, Excellentiſſime Spelmanne, qvo fine hæc ad Te exaranda duxerim ; nempe, ut pro inſigni benevolentia & amoris in me affectu, gratias agerem debitas, ſpem Tuam haud irritam redderem, amicitiæ & familiaritatis inter nos futuræ fundamenta ponerem, imò me ipſum, meaqve omnia Tibi tuisqve ſtudiis devoverem. Qvæ ſpero te in meliorem interpretaturum partem, cum ex iis facilè colligas, ea qvæ vel ab exteris vel à noſtratibus de ſeptentrionalibus ſunt divulgata, minimam partem eſſe eorum, qvæ adhuc in archivis ap. nos latitant & ob nimiam familiaritatem neglecta aut deſpecta contemnuntur. Qvæ, neſcio qvo fato, tanto cum detrimento, antiqvitatum cultoribus hucusqve ſubtrahuntur. Me, aliis licet iisqve ſeverioribus devotum, nulla famæ cupiditas, aut auræ popularis ardor, ſed merus patriæ amor, ad luſus hoſce horis detruſit ſuccifivis, qvos eo, qvo profecti, animo bonos & candidos, Teqve inprimis interpretaturum ſcio. Vale. Hafniæ 18. Julii Anni MDCXXIX.

CCCCXXVII.

HENRICUS SPELMAN

Anglus

OLAO WORMIO

Ornatiſſ. Eruditiſſimoqve Viro

Doct. Med. & Profeſſ. Pub.

S. P.

'aſniam.

E Lapſum eſt ſemeſtre ſpatium (mi *Olae*) ex qvo literas tu-as humaniſſimas, cum libro tuo, liberi genii & doctiſ-mi teſtimonio, ſuſcipiebam. Reſpondere tamen non interea li-uit, clauſo alias mari, & deſiderato alias tabellario. Incertus :iam jam nunc ſcribo, nec effundam igitur oleum in ſingulos terarum tuarum apices, ſed qvo te maximè compellatum aveo, e voce *Runica*. Nec audaciæ videatur, Anglum me & Dani-i idiomatis omnino inexpertum, de vocum Danicarum origi-e diſputare. Intelligendum enim eſt, lingvam noſtram ex eiſ-em ortam eſſe radicibus, & qvadruplici mixtione Danicæ con-inctam. Primò veterum è Germania Saxonum. Secundò Juta-im ſeu Gothorum, cum Saxonibus venientium. Tertiò vete-im ipſorum Danorum. Et qvartò Norwegienſium, qvi tunc im Danis, poſtea cum Normannis introierunt Angliam. Res confeſſo eſt, nec Auctorum egeat laudatione.

Non dubitemus igitur, latere apud nos uniuſcujusqve tarum Gentium vocabulorum origines complurimas: Et cum oc in aliis ſat feliciter experti ſimus, ſine (obſecro, mi *O-e*,) ut de origine vocis veſtræ ᚱᚢᚾᛆᚱ ſeu ᚱᚢᚾᛆᛦ id t, *Runica*, pro genio & ingenio noſtro, effundam paucula.

Ducor eqvidem, ut â re diſſentiam. Neqve enim á ᚱᛆᚾ, ro ductu aqvarum, (qvod & noſtra lingva ſonat,) nec á ᚱᚢᚾ ro ſulco in terra, qvamvis â re agraria humilibusqve initiis, multa olim exorta noverim: ſed á *Ryne*, alias *geryne* Saxonico, qvod myſterium & rem occultam ſignificat. Sic Lucæ cap. 8. 10.

Eor is geſeald þe ge wirum Godes rices geryne en oderum peüum. Vobis datum eſt noſſe regni Dei myſterium, & rabolas. Sic Matth. 13. 11. Marc. 4. 11. *Godes rices ge* Regni Dei myſteria. Sic *Runlice*, & cum augmento Sa *Gerynelice*, idem ſunt qvod myſticum, vel myſticè & Beda 1. Regum 1. *Was he gerinelice word ſprecende*, id ſtica verba locutus eſt. Et hinc *Ic runig*, alias *Runere*, vel occultè loqvor. Unde in hodierna noſtra lingva la, *to rowne one in the eare*, occultæ aliqvem in aure allo in aure alicujus clanculum ſuſurrare. Ità prorſus in *Glo Anglico-Latino MS.* an. Dn. 1460. *To rowmyn to githe* ro; & ſic Codex alius impreſſus Anno 1499.

Priſcas igitur illas Danorum & Gothorum lit appellatas cenſeo *Runicas*, qvòd ad ſimilitudinem aqvæd ſulcorum, araturæ, (ut veſtra fert opinio,) vel rei alt juscunqve formarentur: ſed qvòd eſſent & myſticæ & tæ, ſacerdotalium illarum inſtar Ægyptiacarum, qvas ſacro Canopi, Antverpiam aliqvando allato *Goropius Hieroglyphic.* lib. 7. pag. 109. Nec vulgatum olim *Runica*; nam Iſidorus in *Gothorum Chron.* ſub Era 41 *Galfilam* eorum Epiſcopum *Gothicas* literas (non *Runic* veniſſe. Sed cum ſubjunxerit ipſum etiam ſcripturas eandem lingvam convertiſſe; anſam videatur, fateor iſſe, cur dicerentur *Runica*: ſcil. qvòd rebus ſacris, m occultis conſervandis eſſent jam adhibitæ. Sed nec Tri Abbas in ſua *Polygraphia*, nec *Bon. Vulcanius* in Comm lis, qvos de *Gothorum & aliarum Gentium borealium li* dit, vel qvidqvam produnt de voce *Runica*, vel agno qvidem nomine tenus. Ne (qvod miror) ipſe *Algrim* in ſua *Crymogea*, ubi pluribus agit de hiſce literis.

Runicæ prætereà nucupentur, ſive myſticæ & tum qvod ab aliarum Gentium literis, mira diſcrepant tia; tum verò qvod in occultis ſuis ſcientiis (puta m præſtigiatoriis, qvibus borealis illa mundi pars præ cæt let & polluta eſt,) hujusmodi literæ & characteres (ut nopi in Ægypto) maximè claruere. Dicantur & perind literarum & ſcientiarum profeſſores, *Runici*, ſat appoſit Myſtagogæ; habeanturqve iidem apud Danos & Goth

Britannis noſtris atqve Gallis Druides, Magi apud Perſas, Gymnoſophiſtæ apud Indos, & in qvavis penè Gente ſimiles.

In eo deniqve, qvod Saxonibus olim alias *Ryne*, alias *Rune*, alias *Geryne* & *Gerune* legimus inconſtanter: intelligendum eſt, *ge* particulam eſſe cum apud Saxones noſtros, tum apud Germanos omnes (ſed aſpiratam, *ghe*, ab inferioribus) qvæ non mutat vocis ſignificationem, ſed auget potius & adornat. Præpoſitam verò alias verbis & participiis præteriti temporis, alias verbalibus, & ad Auctoris aliqvando placitum, nonnullis aliis. Majores noſtri Normannos imitantes hanc in y mutarunt, ut Chaucerus paſſim. Et qvoad *u* in *y* migrationem, & è contra, illud etiam unicuiqve ceſſit pro arbitrio inter Anglo-Saxones, ut infinitis palam eſt exemplis Vides qvò nævorum meorum rapior blandimentis; tu qvod ſanius tibi videbitur, amplectere, initamqve noſtram cole amicitiam. Bene vale. Londini (pullulante jam epidemia, qvam avertat DEUS) Nonis Maji CIↃ IↃCXXX. è vico Barbacan.

CCCCXXVIII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelmanno, Eqviti Anglo,

Londinum.

ERuditiſſimas Tuas, Vir Generoſe, Nonis Maji 1630. datas, 4to Novembris ejuſdem anni tandem accepi; qvodqve Librum meum benigne exceperis, ac in Te compellando audaciam in meliorem partem interpretatus ſis, gaudeo, ac gratias ago. Utqve agnoſcas, nil mihi prius in votis eſſe, qvam ut initam amicitiam conſtanter colam, non potui non, hac data commoditate, paucis ad tuas reſpondere. Qvæ de origine Lingvæ veſtræ diſſeris, ita ſe habere comperio; atqve hanc eſſe cauſam reor, qvod noſtra veſtræ, & viciſſim veſtra noſtræ, manus auxiliatrices præbere in multis valeat. Qvod etiam in *Archæologo* vocibus haud paucis experiri poſſes, cujus alteram partem avidiſſimè exſpectamus. Diutius igitiur ſeculo literato tantum theſaurum ut haud ſubtrahas, per omnia Muſarum ſa-

era Te obteſtor, & qvin idem mecum multi faciant literati, non dubito. De origine vocis ᚱᚢᚿᚿᛂᛦ ex Veſtris Antiqvitatibus qvæ diſſeris, perplacent; nec enim à re ipſa abhorrere video, qvamvis in noſtra lingva vocis hujus *Ryne* aut *Geryne* veſtigia non inveniam; aptiſſimè tamen qvadrare agnoſco, ſi rem ipſam reſpicias, qvamvis dubitare qvispiam poſſet, num *Ryne* & *Geryne* potius a *Runer*, qvam vice verſa ſit trahendum. Sed nunqvam ejus fui animi, ut mordicus meas defenderem opiniones; lubet potius, aliorum doctorum in medium afferre, ut cordatus Lector arripiat qvam rationi magis conſonam exiſtimet. De *Gulfila*, qvem non ſolum *Iſidorus* ſed & alii qvidam Gothicarum literarum ponunt auctorem, qvid ſtatuendum, ſuo loco docebit mea *Literatura*. Agnoſco qvidem exteris vix cognitam hanc vocem *Runer*, vel, ſi cognita, pro barbara habitam & neglectam, ſubſtituta *Gothica*, unde minus innotuiſſe potuit. Apud Tacitum tamen pro *Aridia Alruniam* legendum putat *Lipſius*; & *Jornandem*, item *Abbatem Urſpergenſem*, *Paulum Diaconum*, *V. Lazium*, *Cornelium Agrippam*, ut de *Munſtero* nil dicam, *Alrunarum* mentionem facere, in confeſſo eſt. De *Arngrimo* libere affirmo, vocem *Runicam* ipſi totiqve Iſlandiæ perſpectiſſimam; id enim reſtantur, qvæ ſingulis annis ad me deferuntur ejus literæ, de hiſce noſtris Antiqvitatibus erudité diſſerentes. Hujus Viri mihi amiciſſimi de hujus vocis origine & *Runarum* variis diviſionibus ſententiam ſuo loco habebit *Literatura*. Hæc pauca, infinitis diſtentus negotiis, non potui non ad amiciſſimas Tuas reſpondere, Vir eruditiſſime; utqve hanc tuam mihi heic locatam operam gratam fuiſſe videas, ſi qvando *Literatura* mea *Runica* lucem viderit, non ſine honorifica Tui mentione (bona, ut ſpero, tua venia) verba Tua inſeram; cum tantum abſit, ut à mea mente diſſentiat, ut potius cum ea amicè conſpiret. Ego enim (ut diligentius trutinata *Literaturæ* verba oſtendent) exiſtimo ᚱᚢᚿᛂᛦ vocem eſſe primitivam; ſed ſiqvis contrarium ſtatuat, in noſtra lingva nondum inveni vocem, à qva commodius trahi poſſit, qvam a ᚱᛂᚿ vel ᚱᚢᚿ. Qvia verò jam intelligo, in antiqva Saxonica extare *Ryne* & *Geryne*, myſteria exprimentia, hæ ad hujus negotii expeditionem haud parum conferre videntur. Interim Favori & benevolentiæ Tuæ me commendans patrocinio, valere Te jubeo. Hafniæ 6. Cal. Decembr. 1630.

CCCCXXIX.

CCCCXXIX.

HENRICUS SPELMAN

V. Cl.

Olao Wormio.

S. P.

Hafniam.

SUpervenit mihi non opinanti (vir eximie) diſceſſurus illico, qvi noviſſimas tuas, licet ante annum abhinc datas, mihi tradidit, coëgitqve ut qvæ pluribus tunc cupiebam, ſubitò ad te ſcriberem & ſuccinctè. Elabitur nihilominus me qvidem inſcio, & huc usqve alius non occurrit tabellarius. Putas me interea (nec ſine cauſa,) immemorem noſtræ amicitiæ, ſed hoc jam cognito, res ſalva eſt. Placuiſſe tibi gaudeo ſententiam noſtram de origine vocis *Runer*, & qvod ſcribis eſt veriſſimum: in antiqvitatibus eruendis lingvam Veſtram noſtræ, & viciſſim noſtrãm veſtræ, manus auxiliatrices in multis præbere. Ego igitur operam dedi ut è Dania veſtra priſcum aliqvod vocabularium Danico-Latinum librosqve alios, de Legibus veſtris & antiqvis ritibus compararem, ſed parum hactenus feliciter navata mihi opera. Cupio certior fieri, an dum prodiit liber veſter de *Literatura Runica*: cui ſi & qvidpiam de Saxonicis noſtris aliisqve exoletis literis, qvas *Trithemius* Abbas in *Polygraphia* ſuæ libro V. & *Bon. Vulcanius* in ſuo *de literis & lingva Getarum* libello, addideris, benè ſe habiturum cenſeo.

Si probi nobilesqve amici mei *Auxelius Julius* & *Johannes Jacobi Schort* prope vos degerint, ſalutaveris obſecro eos nomine meo cordatiſſimè. Scripſi ad eundem *Johannem* per Secretarium D. Legati Regis noſtri, qvi jam ex Anglia venturus eſt in Daniam & eum literis meis ei (prout petiit) duo exemplaria *Archæologi* noſtri, unum ſcil. pro Prorege Norwegiæ. Neſcio autem qvonam pacto nec ubi loci ſunt tradenda. Obſecro igitur, ut hanc illi atqve mihi gratiam præſtes, traditionem in te ſuſcipere, & curare, ſi hæc aliter non poſſit fieri. Pro *Faſtis* tuis iterum atqve iterum gratias ago. Bene vale. Londini è vico Barbacan III. Cal. Aug. CIↃ IↃC XXXII.

 P. S.

P. S. Obſecro te, ſi qvid noveris aut inqvirendo intellexeris de Genealogia D. *Arnoldi Whitfeld* nuper Cancellarii Regni vel Regis Daniæ, mihi id totum exaratum mittas, etiam ab origine illius gentis & familiarum. 15. Augusti 1632. Bene vale. Raptim vehiculum jam & rus ingreſſurus

Tuus

Henr. Spelman.

CCCCXXX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelmanno.

Non ita pridem ex Anglia ad nos rediit bonarum literarum ſtudioſus qvidam, mihi familiaris, qvem cum de amicis ſollicitius percontarer, referebat, te rariſſime Londini eſſe, ſibiqve toto eo tempore, qvo ibidem morabatur, facultatem haud fuiſſe, tuo aut frui alloqvio, aut gaudere aſpectu. Rem interim mihi gratam, ſed utinam veram, narrabat, fervere ſc. ſub prælo laborioſiſſimi *Archæologi* tui partem alteram, qvam tanto deſiderio, tantoqve affectu eruditi expetunt & deſiderant omnes, qvotqvot ex tenebris iſtis medii ævi eluctari geſtiunt. Mihi certè donum, auro carius, utilitatis attulit plurimum: aliisqve, qvibus ob raritatem commune mecum feci, tantum præbeo delitiarum, ut, qvod mecum eſſe debebat, vix paucis horulis frui jam detur. Inſtant, urgent, hortantur omnes, alteram hujus Operis partem ab Amico extorqveam, tantumqve bonum meliori orbi diutius ut haud invideat, efficiam; imo ex Magnatibus apud nos ſunt, qvi magno ære, ſi modò proſtaret, ſe redempturos aſſeverant. Certè tam Legibus noſtris priſcis, qvam monumentis cæteris tantum lucis evulgatâ attuliſti, qvantum à noſtratium nemine exſpectare potuiſſemus unqvam. Cave igitur, Vir humaniſſime, tot vigilatarum noctium tædio, tot olidarum membranarum fœtore, tot priſcorum voluminum tricis, ingenium te fruſtra fatigaſſe, dicat poſteritas. Cave, talentum concreditum diutius celes, tantoqve bono nos defraudes.

Fac

Fac, qvæſo, mi *Spelmanne*, *Archæologi* partem alteram, prima commoditate videamus; fac amicos eo munere exhilaremus; fac, hanc æternam nominis ac famæ tuæ ſtatuam, integram, ſuisqve membris decoram, totus mundus veneretur. Tot bonorum exſpectationi, tot doctorum deſiderio ut jam jam ſatisfacias, voti mei ſumma eſt. Fruſtra appetitum irritaveris, niſi ſatiaveris. Spe plenus hæc ſcripſi Hafniæ ad diem 1. Octobris 1633. Vale, ac vive, Literatorum nobiliſſime.

CCCCXXXI.

HENR. SPELMAN

D. Olao Wormio

S. P.

Hafniam.

VIſis literis tuis (Vir eximie) ſperabam lætus te meas recepiſſe, qvas ſuperiore anno ad te miſi. Ruptis verò & perlectis, nullàqve in eisdem de meis occurrente mentione, fidem cauſor deferentis, nec illatam mihi ſolum injuriam, ſed & tibi aliisqve Viris optimis, *Johanni Meurſio* & amicis meis prope circulum arcticum degentibus, qvibus etiam luculenter ſcripſi. Deferebat eas non plebejus qvispiam tabellarius, ſed vir nobilis (*Hoëlus* nomine) Secretarius Illuſtriſſimi *Comitis Leiceſtriæ*, Legatione functi à Britannica Maj. ad Regem Veſtrum Daniæ. Promiſit is qvidem certam traditionem, imò ſtipulatus eſt, accedentibus & cura ipſius Comitis & mandato. Fruſtratus igitur exſpectationis, hominem literis compellavi, qvi nudins qvartus ad me veniens, reſpondit candidè omnem ſe diligentiam adhibuiſſe circa traditionem, ſed commorante tunc Rege Daniæ in citeroribus ſuæ ditionis (Rensburgi ſcil. in Ducatu Holſtein,) legationem illic abſolviſſe Comitem, nec in partes veſtras ideò perveniſſe. Literas autem noſtras unà cum duobus *Archæologi* noſtri Codicibus ſemet commiſiſſe aſſerit D. *Joſepho Avery* Viro ſplendido & Regis noſtri apud Hamburgenſes Reſidentiario, qvi benignè traditionis munus in ſe ſuſcipiens, certius pollicebatur exſeqvendum. Nos hæc contra, nihil: at ſi tibi videatur integrum & citra moleſtiam, cupio ut memoriam Re-

ſidentiario, aut literis ſuggeras aut nuncio, qvod & ipſe faciet Secretarius. Et ſi demum (qvod ab initio cupiebam,) ad manus veſtras pervenerint, cura obſecro, ut qvæ aliis deſtinata perſpexeris, mittantur deſignatis.

Qvoad *Archæologi* noſtri partem alteram, (cujus videndi gratiâ honoratiſſimus veſtras *Dn. Palamon Roſencrantzius*, dum hic in Anglia Danicæ Maj. Legatus ageret, ad ædes noſtras humaniſſimè deſcendit,) parietibus adhæret, blattis & tineis expoſita: nec de impreſſione qvidpiam hactenus aut conatus ſum, aut in futurum cogitavi. Perperum hominum genus Bibliopolæ & Typographi noſtri, qvi partem primam ſumtibus meis impreſſam, technis ſuis naufragam mihi reddidere & inutilem. Sed toto jam ſexennio me ab hujusmodi ſtudiis avocavit provincia gravis, mihi inter alios â Rege impoſita ad cognoſcendum de extorſionibus & repetundis Magiſtratuum & officialium Regni tam Eccleſiaſticorum qvam Civilium, & cum in rure tum in urbibus conſiſtentium. Interea tamen non mihi excidit aut memoria aut deſiderium, noviſſima *Archæologi* primis adjungendi, & mediocriter me non excitarunt tuæ inter plurium amicorum literæ humaniſſimæ, partem editam tibi & Veſtratibus perqvam gratam referentes. Cupio verò ut in edendo libro tuo *de Literis Runicis* mihi ſis exemplo. Scribis amicos tuos partem illam editam ità indies a te avocare, ut vix paucis horulis apud te ipſum aeqvieſcat: aliud igitur exemplar ejusdem incompactum, unà cum præſentibus ad te mitto, per eundem nuncium qvi literulas tuas mihi tradidit. Vide ne hoc etiam ſubtrahatur. Bene vale, & foveamus diligenter invicem conceptam amicitiam. Londini in vico Barbacan XIV. Februar. MDCXXXIII. ſtil. vet.

CCCCXXXI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelmanno.

Londinum.

Tuas XIV. Febr. hujus anni datas ut accepi, atqve ex iis intellexi, haud probe curatas, qvas amicis in hiſce oris

anno,

anno præterito, deſtinaſti, Nobiliſſimo *D. Joſepho Avery*, tuo ductu, ſcripſi, ut ſiqvid de transmiſſis conſtaret, ejus me certiorem redderet; qvi mox, per Mercatorem noſtratem, & literas & faſciculum transmiſit, addens, ſe tam diu hæc detinuiſſe, qvod ſibi ſpes facta fuiſſet legationes brevi apud nos, nomine Sereniſſ. Regis Veſtri, obeundas. Scriptas itaqve Cal. Aug. anni 1632. Cal. Jul. hujus anni 1634. accepi, ac mox *D. Meurſio* deſtinatas Soram miſi. *Johanni* verò *Jacobi Scort*, nuper ex Gallia reduci, & literas & *Archæologi* exemplaria duo in manus tradidi, qvi, ſe prima commoditate reſponſurum, & gratias acturum, ſpopondit. Qvod me iterum *Archæologi* tui, gratiſſimo honorario, beare haud ſis dedignatus, ingentes habeo gratias, nihilqve mihi prius in votis, qvam ut aliqvo grati animi indicio affectum viciſſim teſtari valeam. Age qvæſo, alteram partem brevi videamus! Rempublicam Literariam perpetuo ære Tibi eo nomine obſtrictam tenebis. Promptiores procul dubio ad edendum in Belgio habebis Typographos, qvam apud Vos; Video enim, eos pari cum noſtratibus ſegnitiei incedere paſſu, nec tam raros ac utiles, qvam ſibi proficuos & vulgo vendibiles curare libros. Qvò fit, ut & mei de *Literis Gothicis* & Monumentis *Literatura Runica* exaratis adhuc premantur tractatus; ni melior affulſerit commoditas, vix è tenebris emerſuri. Qvæ *Vulcanius* & *Trithemius* de noſtris his habent literis, dudum integritati ſuæ reſtituta, *Literaturæ* meæ inſerui. Sed ad Saxonica veſtra me non diffudi, nec inſtituti id permiſit ratio. Sed ſi monumentorum, qvæ apud Vos extant, noſtris notis conſignatorum, mihi probe expreſſa daretur copia, appendicem ad noſtra ea mihi præberent exoptatiſſimam. Qvod ex tractu Brigantino nobis exhibet *Cambdenus*, haud ſcio, an ita legendum: ᚼᚱᛆ ᚴᚱᚦ ᚼᛆᚢᛘ ᚢᛘ ᚱᛋᛁᛏᛏᛆ ᛋᛏᛅᛁ ᛁᚠᛆᚱ ᛘᚢᚦᛁᚱ ᚢᚴᛘᛁᛒᚱᚴᛦ id eſt, ut ego ad leges lingvæ noſtræ interpretor: *Haraldus Cumulum fecit, & lapides erexit in memoriam Matris & Mabroki.* Sed certi nihil aſſero, anteqvam ſit, qvi accuratius deſcriptum illud nobis ſuppeditet. Fragmentum, qvod ex Beveſtria nobis transmittere dignatus es, vide, annon ſic exaratum: ᚱᛁᚾᚦ ᛋᛅᛏᛁ ᚱᛏᛘ ᛋᛏᛁᚾᚢᛋ. *Rino poſuit lapides Runicos.* Utinam *Seldenus* aliqvis veſtras in hiſce operam poneret,

neret, & curioſè cuncta ejus generis, qvæ apud vos extant, colligeret, anſam majoribus ſuppeditaret, eaqve erueret, qvæ Hiſtoricos veſtros forſan adhuc latent. Priſcæ Lingvæ noſtræ nullum, qvod ſciam, unqvam extitit *Vocabularium*. Ejus, qvo pueri noſtri in Scholis jam utuntur, mitto exemplum. Adeo certe modernum à priſco degeneravit idioma, ut qvæ legibus priſcis contineantur, vix decimus qvisqve intelligat. De antiqvis nôſtris ritibus nihil unqvam typis mandatum. *Leges* noſtræ trium ſunt generum; aliis utuntur in *Cimbria* degentes, qvæ, utpote perfectiores, lingva, qva jam utimur, typis expreſſæ, vulgo extant vendibiles. *Selandicæ* rariſſimè cernuntur, manuſcriptæ ſunt apud qvosdam. *Scanicæ* olim ab *Andrea Sunonis*, Archiepiſcopo Lundenſi Latinitate donatæ, & ab *Arnoldo Hvitfeldio* typis divulgatæ; ſed jam vix haberi poſſunt; mitto tamen exemplum, qvod meis uſibus olim acqviſivi, ex cujus præloqvio tantæ diverſitatis cauſas agnoſcas. Utinam eſſet, qvo nobiliſſimos tuos conatus heic, præter ea juvare poſſem, promptiſſimum invenires. De *Hvitfeldii* Genealogia, habere qvæ licuit, hiſce addo; Maternum genus e Regia Familia eum trahere invenio: fuſe cuncta deducere operoſum foret. Siqvid deſideras, mone; nihil eorum, qvæ apud me ſunt, clam habebo. Eſt mihi de *offa judiciali* dubium, in qvo enodando opera ſecundæ partis *Archaologi* maximopere indigeo. Ut igitur in hoc enodando facilem Te mihi præbere haud graveris, etiam atqve etiam rogo. Puto, me in *Archaonomia Lambardi* legiſſe *offam judicialem* fuiſſe panem euchariſticum, certis ritibus accuſato oblatum, qvi ſi absqve difficultate deglutiebatur, abſolvebatur accuſatus; ſin ſecus, reus habebatur. Sed in *Archaologo* ad vocem Judicium Dei, videris offam judicialem, utpote pane hordeaceo conſtantem, ab Euchariſtia diſtingvere. Ut ſe res habeat, qværſo expone. Vides, ex qvibus nos extricare valeat ſecunda Libri tui pars, qvam ne nobis diutius invideas, per omnia Muſarum ſacra Te iterum atqve iterum rogito. Pervolvens *Catalogum Gloria Mundi Caſſanei*, incidi in vocem *Corveas*, qva ſæpe utitur *Parte* I. *Conſider.* 68. cujus genuinum ſenſum cum ex *Archaologo* peterem, non inveni. Siqvid igitur de ea habeas, communica qværſo. Vides audaciam, qvam tua mihi inſtillavit benevolentia & amor prolixus, cui propterea ignoſcendum. Va-

le Spel-

Spelmanne amiciſſime, & Archæologi tui parte altera nos ram primum bea. 1634.

CCCCXXXIII.

HENRICUS SPELMAN

Eq. au. Angl.

Doctiſſimo amico ſuo

D. Olao Wormio

S. P.

Iaſniam.

QVas XI. Calend. Novemb. anno jam elapſo dabas (Vir ornatiſſime) ego ſub Calendis inſtantis hujus Junii accepi & his una benignitatis tuæ munera, *Leges Scaniæ* & *Nomenclatorem Danicum.* Gratiſſima certè omnia & magno mihi deſiderio expetita, ſed deeſt (& hoc ægrè fero,) qvod retribuam ſubitò. Interea benè res ſe habet, qvod literæ & libri, qvæ tertio abhinc anno ad te & alios amicos noſtros veſtri tractûs miſimus, tandem aliqvando ad manus tuas integre pervenerunt. Factum id agnoſco eximia tuâ cura & perplures ago gratias: Qvod de *Offa judiciali* qværis, certum eſt, panem fuiſſe non eucharisticum, ſed hordeaceum qvendam conceptis ê ritu verbis â Sacerdote conſecratum, vel qvod rectius dixeris execratum: ex eo enim apud Anglo-Saxones noſtros vulgari nomine *Corsned* appellatus eſt. Differentia ſit perſpicua ê *Canuti Legib. Eccleſiaſt. Cap.* 5. ubi ſic habetur: *And gif man freondleasne ve. ofodþegn mid tihtlan belecgo. þe ah fultum nabbe. ga to corſnade. and þar þonne at geſare þat þat god ville buton he on husle geladian mote.* hoc non ego, ſed Interpres vetus ita reddit: *Si qvis altari miniſtrantium accuſetur & amicis deſtitutus ſit, cum ſacramentales non habeat, vadat ad judicium, qvod Anglicè dicitur Corsned, & fiat ſicut DEus velit, niſi ſuper ſanctum Corpus Domini permittatur ut ſe purget.* Vides hic liqvidò, aliud eſſe *Corsned* ſeu panem illum hordeaceum, qvi & offa judicialis nuncupatur, aliud corpus Domini ſeu panem Euchari-

chariſticum. Præterea ex hac lege obſervandum eſt, *Cor:*
ſtud ſive *offam judicialem* , minus ſolennem fuiſſe purga
modum , leniorem qve illo, qvi per ſacram Euchariſtiam :
eſt. De his fuſius alibi. Triſtem me faciunt qvæ ſcribis (
tentis adhuc in carcere lucubrationibus tuis Literaturæ Go
Runicæ & Aqvilonaris. Liberas obſecro facias , & cogi
noſtram Saxonicam , qvam *Vulcanius* non præteriit, tu
jice. Gratias ago ob interpretatas, qvas cupiebam inſcrip
Runicas : apud nos autem rariſſimè emergunt (neſcio an d
duæ aliæ. Gratias utiqve ob *Huitfeldi.* Genealogiam; ſed
poſſim maximas ob inſignem tuam benevolentiam & in c
bus noſtris promovendis alacritatem. Petis in calce liter
expoſitionem vocis *Corveas* , qvam occurrere ais ſæpiuſculè
Caſſaneum in *Catalogo Gloriæ Mundi Parte I. Conſiderat.* LX
Certè in meo codice impreſſo Francofurti An. Dn. 1579
bentur in Parte I. tantummodo 38. Conſiderationes. Forte
dex veſter auctioris eſt editionis : ſed loco non inſpecto
ti nihil ſtatuam. Propriè autem ſignificat *Corvea* operis alic
qvod Vaſallus ê tenuræ ratione præſtare domino tenetur
propriâ ſua perſona vel eqvorum aut plauſtri ſui miniſterio
ta, angarias, averagia, manoperas precarias, opera gratuit
hujuſmodi , á Gallico *Corvée* hæc omnia ſignificante. Vi
valeat, floreat *Olaus Wormius* qvaſi ὁ λαοῦ ὅρμος. Lon
in vico Barbacan V. Id. Julii an. Dn. MDCXXXV.

CCCCXXXIV.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelman.

Londinum.

IMportunis & creberrimis amicorum eorumqve, qvorum a
ritatem merito æſtimare debeo, aſſidue ſollicitatus preci
non poſſum non tibi moleſtias , ſed nobis omnibus totiqve
bi literato gratas creare. Urgent, poſtulant, extrudunt *Ar*
ologi tui partem alteram. Qvæſo , boni publici cauſa, diu
nobis tantum tamqve neceſſarium bonum non invideas. Per

de rerum humanarum viciſſitudinem; qvod ſi tibi humanitus qvid contingeret, forſan aut ad perpetuos tenebrarum carceres ab invidis aut aliis, ad qvorum manus pervenire poſſet, damnaretur, aut forſan ab alio, diſſimulato tuo nomine inepte & non ad Auctoris mentem divulgaretur. Rumpe moras, qvæſo; tot bonorum, qvi aſſiduis precibus me fatigant, ut eum â mihi amiciſſimo extorqvere non deſinam, deſideriis ne deſis ulterius. Talentum concreditum, ſatis diu defoſſum, profer. Sin verò ſtet ſententia, cunctari aliqvantum, cura per amanuenſem aliqvem, meis ſumptibus, deſcribi; ſanctè polliceor, me redempturum qvocunqve ære. Age, Vir Generoſe, tot tui amantium votis & precibus annue, & bono publico diu & feliciter vive. Hafniæ 1636.

CCCCXXXV.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelmanno.

Londinum.

EN tibi, amiciſſime Spelmanne, *Literaturam* meam *Danicam*, qvam eo fine ad te mitto, ut alteram *Archæologi* tui partem (qvam bono publico diutius ſubtrahere te nolle, confido) remittas. Lege per otium, ſi libet, & libere cenſe, ſi qvando exorbitaſſe me ſenſeris, more Tuo, amice in viam revoca; mihi gratius nihil præſtiteris unqvàm. Scio enim me in re, vix ab ullo tacta, á nemine exculta, non poſſe non labi & errare. Honorificam tui in ipſo limine injectam mentionem invenies, qvod haud gravatè Te laturum ſpero, cum hic amori non potuerim non indulgere meo. Scripſi, ante menſes aliqvot, ad Te, ſed vereor, ut probe curatæ ſint literæ. Ab amicis, præſertim Magnifico Regis Cancellario, inſtigatus ſum, omnibus modis ad maturandam editionem ut te provocarem, qvod, rerum humanarum viciſſitudinem, bonum publicum, commiſſum talentum dum perpendis, non potes non facere. Vides, ut nobis abreptus celſi ingenii *Seldenus*. Qvis ſibi craſtinum polliceri audet? Qvod ſi hinc migrandum, qvá conſcientia tineis & blattis vel invidis aut ingratis tantus theſaurus relinqvatur,

perpen-

perpende. Qvod ſi manuſcriptum ad me deferri poſſet, qvovis ære redimerem. Ne inter mala nomina tuum reperiatur: dudum enim in ære apud melioris notæ Viros fuiſti, libera te, & bono publico natum oſtende. Vale, Vir præſtantiſſime, & tot bonorum votis annue. 28. Octob. 1636.

CCCCXXXVI.

Ornatiſſimo doctiſſimoqve Viro
D. OLAO WORMIO
Medic. D. & in Hafnienſi Academia
Profeſſori P. S.

Hafniam.

ACcepi (Chariſſime *Olae*) ſumma cum gratulatione literas, atqve una *Literaturam* tuam *Runicam*. Magnæ mihi erant utræqve voluptati: etiam nuncius tuus *Ivarus Bangius*, juvenis ſanè doctus, comis & modeſtus. Subitò autem regreſſuro, nec qvam cupio poſſum cum eo amicitiam contrahere, nec qva tibi teneor obſervantia gratum aliqvid exhibere. In urbe qvippe hoſpes ipſemet verſor, ſolus, & pro tempore ſolitarius, dum familia noſtra integra (ad declinandam, ſi DEO placeat, contagionem peſtis,) ruſticatur. Lugere te in literis video *Seldeni* noſtri mortem: parce, vivit, etiam ſoſpes, nec (qvod ſciam) ulla unqvam delibatus infirmitate. Nos interea omnium calculo pro mortuo habiti fuimus. ſic campana populo prædicavit; ſic Regi ipſi nunciatum eſt, qvi è ſepulchri faucibus DEI miſericordia præter ſpem erepto, Regiæ munificentiæ teſtimonium contulit perexemium. Evaſi fateor, (Deo Opt. Max. immenſas ago gratias) ſed concuſſis penè & excuſſis radicalis vivacitatis omnibus facultatibus, memoriæ præſertim, qvam tamen nunqvam tibi in officio defuturum ſpero. Bene vale.

Tuus & tuorum

HENRICUS SPELMAN.

Londini in vico Barbacan ipſis Calend.
Julii MDCXXXVII.

CCCCXXXVII.

CCCCXXXVII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelmanno.

Londinum.

QVas per *Bangium* noſtrum curaſti, anno præterito probe accepi. Gratum mihi, *Literaturam* meam delatam; extorqvebit forſan tam diu promiſſam *Archæologi* alteram partem. Soſtra & ſoteria Deo meo debeo, qvi tam clementer Te è faucibus lethi eripuit, mihiqve amicum tam benignum in iſtis locis ſervavit. Is poro Te ſoſpitet, unà cum *Seldeno* (qvem vivere & valere, contrà qvam rumor apud nos ſpargebat, gaudeo) in multos annos magno Reipublicæ literariæ bono ſuperſtitem & incolumem velit! Sæviit & apud nos contagium peſtiferum, qvod mihi dulciſſimam abſtulit conjugem, familiamqve meam magno luctu & mœrore replevit, vigoremqve mentis adeo proſtravit, ut muneribus ſolitis vacare hactenus vix potuerim. Sed qvid agam? Voluntati Divinæ qvis reſiſtat? crudum adhuc vulnus refricare, ſine magno mœrore neqveo. Is, qvi inflixit, ſanabit. Cæterum, cum de Te nuper apud Nobiliſſimum *Axilium Julium* ſermo incideret, atqve inter reliqva *Legum* noſtrarum cupidiſſimum te eſſe exponerem, liberali manu mihi priſcum codicem *Legum Cimbricarum*, qvi hic rariſſimus inventu, communicavit, tibi cum officioſa ſalute mittendum, qvem per præſentem cape. Memoriam tui, cum apud nos eſt, officioſe colit Vir optimus, & Cancellario noſtro gener. *Bangii* inſtinctu, mitto bibliopolæ veſtro *Simoni Stephani*, Literaturæ meæ 50. exempla, nullo aſſignato pretio. Poterit, ſi ipſi viſum, mihi qvædam, apud vos edita, remittere, qvæ ſtudiis meis videbuntur commoda. Si opus meum internuncium conſilio juveris, me hic habebis ad qvævis viciſſim promptiſſimum. Vale, mi *Spelmanne*, &, ut facis, amare perge. Hafn. 22. May 1638.

CCCCXXXVIII.

CCCCXXXVIII.

S. P.

JUſtum eſt & debitum (*Olae* optime,) ut tuis literis reſpondeam, ſed ne multis utar, prohibet jam adverſa valetudo, in qva utinam tuo licuiſſet frui judicio. De libris qvos miſiſti ad *Philemonem Stephenſem* Bibliopolam, rationem accepturum te ab eodem ſpero ſatis gratam, unà cum his noſtris literis, curaſſe enim hoc ſe aſſerit ex meis precibus diligenter. Contendit hic à me qvidam Eqves nobilis, & in fiſco Regio ampliſſimæ eminentiæ, Dn. *Petrus Osburn*, ut mea interceſſione, tuam referat ſententiam in his, qvas mittit, qvæſtionibus. Dignus qvidem eſt, ut ei ſatisfacias, & ſuo nomine vehementer rogo. Maximas tibi gratias ago, & *Axelio* nobili pro Codice *Legum Cimbricarum*. Non habeam ſubitò qvod retribuam. Sufficiat autem obſecro in præſenti ut propria mea manu ſalvere vos optaverim & Valere. Londini 4. Auguſt. ſti. vet. 1638.

Æger, ſed cordatè tuus

HENRICUS SPELMAN

Cupio ut ſi obvius tibi venerit *Arngrimus Jonas* Iſlandus, eum meo ſalutes nomine.

Quæſita D. Petri Osburn

Equ. au.

OLaus Wormius in ſuo libro *de Literatura Runica* cap. 28. pag. 168. inter alia Gothica vel Danica nomina, qvæ (ibidem dicit) ſunt antiqva & ſignificantia, hæc habet, qvæ ſunt nomina familiarum apud nos in Anglia, & videntur inde eſſe deducta:

Alf, *Doral*, *Lother*, *Olafr*, *Orm*, *Osbiurn*, *Rolf*, *Rudl*; *Skibern*, *Suein*, *Tuke*, *Tume*, *Ulf.*

Rogo hanc gratiam, ut intelligam derivationem eorum, & qvam habeant ſignificationem. Ac ſimiliter, an apud illos etiam in cognomina abierunt, ſicut & apud nos in Anglia.

Inter

Inter nomina Poetarum, qvos vocat ille Scaldros, invenio *Thorbiornum*, *Thorbernum*, *Halbiorn*, *Biorno*; qvæ videntur aliqvam habere affinitatem in derivatione cum *Osburne*. In hoc maxime cupio intelligere, rectáne ſit conjectura mea.

Si fortuitò apud ſe habet exemplar antiqvi alicujus monumenti, inſcripturæ &c. de nomine *Osbiurni*, cupio hanc cum eo inire gratiam, ut ad me mittat tranſcriptum, unà cum interpretatione.

CCCCXXXIX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelman.

Londinum.

PRo curato ex animi mei ſententia negotio librario, qvas poſſum, gratias ago maximas; optime enim mecum egit *Philemon* veſter *Stephanus* bibliopola, cui etiam viciſſim gratificari paratus ſum, ſed tibi maxime, cujus inſtinctu & ductu omnia ſunt peracta. Doleo verò de infirmiori tua valetudine. Deus te in Reipublicæ literariæ commodum diu nobis ſoſpitem & incolumem ſervet! Utinam locorum tanta diſtantia meam non excluderet operam, promptiorem tuæ ſanitatis curatorem vix haberes me ipſo. Interim hiſce humanæ fragilitatis ſortem tibi in memoriam revocare vult Divina Majeſtas, ut, qvæ adhuc latent, præclari ingenii tui monumenta diutius literato orbi invidere deſinas; alteram, inqvam, *Archaologi* partem, & reliqva, qvæ in pluteis recondita tenes, qvæ tibi extorqveant bonum publicum, patriæ amor, bonorum qvorumvis deſideria. Poſtulato Nobiliſſimi *Osburni*, ut potui, reſpondi; ſi omnia, ut debui, minus ſum aſſecutus, voluntatem pro facto ut capiar, rogo. Interim qvicqvid præſtitum, tui cauſa factum, cui qvovis modo gratificari ſemper allaborabo. *Arngrimum* à me ſeparat vaſta Oceani intercapedo, nec ipſum unqvam de facie vidi; interim literario commercio annuatim utimur per mercatores noſtros, eò euntes. Qvod igitur voce neqvivi, calamo præſtiti, tuo videlicet nomine ſalutavi diligentiſſime. Reſponſum,

ut ſpero, mihi dabit autumnus, ubi mercatores noſtri Islandici redierint. Faxit DEus, de Te optata ut referat hic internuncius, utqve vivere & valere pancratice Te audiam. Vale. 16. Jul. 1639.

Ad Qvæſita Nobiliſſ. Dn. Petri Osburni.

HOrtatu Ampliſſimi Viri *Dn. Henrici Spelman*, amici mei honoratiſſimi, qvæſitis Nobiliſſimi *Dn. Petri Osburni* reſpondere lubens tentabo: non qvod ſperem, me omni ex parte ejus voluntati ſatisfacere poſſe, ſed ut animum amicis inſerviendi promptum ac facilem agnoſcat, meisqve conatibus porrò favoris ſui aurâ aſpirare non deſinat. Si qvando à recto tramite exorbitaſſe me viderit, id rei difficultati & obliteratæ ferè antiqvitatis in lucem denuò revocandæ tenebris ut adſcribat, rogo. Ne verò qvicqvam intentatum relinqvam, ſingula eo, qvo mihi propoſita, ordine, repetam, momenta expendam, qvidqve noſtris antiqvitatibus conſonum de iis dici poſſit, notabo. Qvin cuncta in meliorem partem interpretaturus ſit Nobiliſſimus Dominus, nullus ambigo.

Primò ait me pag. 168. *Literaturæ* Runicæ, *inter alia Gothica vel Danica nomina, qvæ ſunt antiqva & ſignificantia, habere ſeqventia, qvæ ſunt nomina familiarum in Anglia, & inde videntur deducta.*

Verba *Literaturæ*, ex qvibus hæc collegit Nobiliſſimus Osburnus, citata pagina ità habent: *Exſtant adhuc veſtigia* (nominum propriorum) *à magnanimitate, ſervitio, urſis, feris, propugnaculis, aliisqve rebus deſumtorum &c.* Qvorum non ea eſt ſententia; omnia nomina propria antiqva eſſe ejus generis, imò nec ea omnia, qvæ ibidem recenſentur, ſed eorum qvamplurima. Multa enim caſu impoſita, multa pro arbitrio parentum, qvorum ratio reddi jam nulla poteſt; multa verò ſignificantia ſunt, qvod mox in exemplis, qvorum enucleationem flagitat Nobiliſſimus Dominus, oſtendendum. Cæterum, qvod familiarum in Anglia nomina, à qvibusdam noſtratium ſint deducta, dubitare is neutiqvam poteſt, qvi commune,

qvod

qvod ibi habuimus, imperium, noſtratium eò delatorum cum Anglis conjugia, affinitates, & commercia ex hiſtoria utriusqve gentis diligentius collegerit. In eadem igitur cum *Dn. Osburne* planè ſum opinione. Demonſtrare id qvodammodo tentavit veſtras *Richardus Verſtegan* in ſuis Antiqvitatibus pag. 303. ſed eo usqve non penetravit, antiqvitatum noſtrarum & documentorum, ut arbitror, penuria. Et qvis qvæſo, ſibi perſvaſerit, tot annorum decurſu, ex qvo Dani Angliam invaſerunt, eamqve ſuo ſub imperio tenuerunt, eos plures familiarum ſuarum poſt ſe non reliqviſſe notas, qvam qvas ille recenſet? Rectiſſimè igitur judicat Vir Nobiliſſimus, qvas proponit familias noſtris gaudentes nominibus, hinc eſſe deductas. Illas igitur ordine contemplemur:

II. *Alf*, *Doral*, *Lother*, *Olafr*, *Orm*, *Osbiurn*, *Rolfe*, *Rudl*, *Skibern*, *Svein*, *Tucke*, *Tume*, *Ulf*.

ALF. Priſcum fuit nomen Magnatum apud nos proprium, ſed ex eorum genere, qvæ primitiva cenſemus, qvæqve aliam nullam apud nos obtinent ſignificationem. *Saxo* Hiſtoriæ Danicæ ſcriptor celeberrimus libro V. refert qvendam hujus nominis in Hetmarchia imperium obtinuiſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Eodem tempore regnabat Alf in Hetmarchia, filium habens Asmundum.* Mox *Biornonis* cujusdam fit mentio, de qvo plura in *Osbiurno*. Patet igitur hinc vetuſtiſſimum fuiſſe nomen in ſeptentrionali plaga. Libro VII. Regi Sigaro Dano filius fuit *Alf* nomine, *cæteris animo formaqve præſtantior*, ut inqvit idem *Saxo*, qvi pluribus ejus venuſtatem & res geſtas perſeqvitur ibidem. Libro VIII. etiam *Alfi* Aggi filii fit mentio. Ut dubitare nemo qveat, qvin uſitatiſſimum apud nos exſtiterit nomen: ſed proprium & primitivum, cujus ratio reddi vix poteſt.

DORAL, etiam ex vetuſtioribus eſt nominibus propriis: ſed alterius cenſus, compoſitum ex *Thor* & *al*. Qvod ut melius capias, obſerva qvæ citato à te capite *Literaturæ* meæ ad nomina à D. incipientia notavi: pleraqve nempe, qvæ initialem Þ habent, antiqvitus per *Th* prolata. Qvod factum, qvia Þ litera priſca, qvandoqve *D* latina, qvandoqve *Th* exprimenda. Pro *Doral* igitur *Thoral* efferendum. *Thor* verò inter DEos ſeptentrionales primatum obtinebat, ut ex *Saxonis* libro I. conſtat. Ab eo itaqve denominationem ſortiri, magnæ laudis o-

proprium freqventiſſimum, ità jam apud vos in cognon
generaſſe nil mirum.

LOTHER primitivum mihi videtur, & Regibus
tibus familiare, ut ex toties citato conſtat *Saxone*; niſi
rivare velit à *Loth*, qvod *ſortem*, & *Er*, qvod *honorem*
qvaſi *Honoratam ſortem* vocares.

OLAFR, planè proprium primitivum, nobis
num in freqventiſſimo uſu. Latinè per *Olaum* expri
Olonem qvibusdam in locis *Saxo* vocat.

ORM appellativè *vermem* notat: interim pr
fuiſſe tàm apud noſtrates, qvam apud Britannos ſeu
Saxo docet. Lib. XIV. *Ormonem* memorat Norvegum,
Regis germanum cognominabant. Lib. VII. Haraldu
qvendam in Britannia *Orm* cognomento Britannicum ad
refert, & eundem hunc mox in principio libri ſeqventi
Anglicum vocare videtur, ubi inqvit: *His agglomerantu*
Anglicus, *Ubbo Freſicus*. Ut dubitem, an à Danis ad
nos, an à Britannis ad Danos hoc nomen defluxerit;
qvam prius magis arrideat; qvod vox ſit apud nos ſign
va. Hoc manifeſtè in cognomen degeneravit: ità en
totamqve meam familiam, aliosqve apud nos cognom
licet vulgò ſcribatur *Worm*, ad Germanicam prolat
(qvam nimis affectant noſtrates) habito reſpectu, qvá
delectati ſunt maiores mei.

:, qvi in bellis maritimis fortem ac ſtrenuum, ut urſus, ſe ræbeat. Vox hæc *Biurn* primitiva, qvamplurima de ſe pro- uxit compoſita, ut *Osbiurn*, *Skibiurn*, *Thorbiurn*, *Halfbiurn*, liaqve plura. Cæterum, qvem *Osbiurn* veteres dixerunt, m *Esbernum* vocant Romanorum mollitiei ſtudentes. Sed : *Osbiurno* plura in *Monumentis*, qvia ex profeſſo hoc a- itur.

ROLF, proprium primitivum, nullius, qvod ſciam, gnificationis appellativæ, licet hoc titulo gaviſi ſint Reges)aniæ, ut ex ſecundo & tertio libro *Saxonis* conſtat: jam *Ru- olphum* malunt.

De RUDL aliud non habeo qvod dicam: Significativum iim non eſt, ſed pro arbitratu vocantis impoſitum.

SKIBERN, ſeu *Skibiurn*, ex Biorno & Skib compoſi- im, ut ſupra monui; *Skib* navem, *Biurn* urſum denotan- :. Eum ità vocarunt, qvi in navibus aut prælio navali ho- es haud ſecus aggrediebatur, ac urſus venatorem aut præ- im aliam.

SVEIN, primitivum & ſimplex appellativè juvenem præcla- im, exercitatum & induſtrium, ſignificat, qvi tyrocinii an- os egreſſus, inter veteranos recenſeri meruit. *Sveno* Saxoni di- tur, apud qvem hujus nominis plures reperire licet. Qvin & odie in freqventi eſt uſu.

TUKE, appellativè *craſſum*, *obeſum* notat; ſed propri- n & olim & jam. *Tycho* malunt moderni.

TUME, merè proprium, tam fœminis, qvam viris. irili ſexui adſcriptum apud *Saxonem* invenies Lib. VIII. Fœ- iinis tribuunt Monumenta noſtra literis Runicis ſaxis in- :ulpta.

ULF, *Lupum* denotat, ex qvo non ſecus ac ex Biurn, va- a exſtant derivata & compoſita. Hinc *Ranulf*, & *Ulfvilda*, de va Saxo, qvi & pro Ulf *Ulvo* ponit. Ex ejus *dentibus* cogno- iina qvi ſortiti ſunt apud nos, vigent Nobiles antiqvæ proſa- iæ *Ulfſtandorum*. Ex dictis igitur conſtat, verum eſſe, qvod lſerit *Literatura*: Nomina propria veterum deſumpta eſſe par- im à ſervitiis, ut *Svein*; partim ab urſis, ut *Biorno*, *Osbiurn*, *kibiurn*; partim à feris aliis, ut *Ulf* & *Orm*: de qvibus fuſius iſſerendi hic non eſt locus.

Tertio qvæſito his maxima ex parte ſatisfactum eſſe reor. Derivationem enim eorum, qvantum licuit, pauciſſimis expoſui, unà cum ſignificationibus propriis. Sed in cognomina apud nos non eodem modo omnia abierunt. Olim qvidem rarò aliis uſi ſunt cognominibus noſtrates, qvam parentum propriis, ut *Alf Thoralſön*, qvi erat Thoraldi filius, *Lother Olafrſön*, qvi Olai erat; niſi in bello aut alibi à præclaris facinoribus vel eventu qvodam memorabili, vel corporis notabili qvodam nævo illis qvædam attributa. Qvorundam tamen veſtigia adhuc legimus, qvibus familiæ vetuſtiſſimæ diſcernebantur: in qvorum cenſum ex enumeratis nulla reponenda duco, præter *Orm*, *Tucke*, *Ulf*.

De *qvarto* dubio rectiſſimè judicat Nobiliſſ. Dn. *Osburnus*. Scaldrorum enim, à nobis enumeratorum nomina hæc: *Thorbiurn*, *Thorbern*, *Halbiurn*, non ſecus à Biurn ſeu Biornone deducta ſunt, ac *Osbiurn*. *Biurn* enim & *Biorno* idem ſunt: hoc ductum Romanum, illo priſcum Danicum agnoſcente. *Thorbiurn* & *Thorbern* ſynonyma, Dei Thoronis urſum, vel, ſi mavis, Divorum urſum, *Halbiurn* dimidium Urſum, ſeu qvi ad urſi veri perfectionem nondum devenit, denotantibus. Proba igitur conjectura.

Poſtulato *ultimo* ut qvodammodo ſatisfiat, ex Monumentis noſtris ſaxeis, literis Runicis inſcriptis, duo admodum vetuſta adducam, in qvibus *Osburni* fit mentio, utrumqve in Scania exiſtens, alterum juxta pagum Siórup, alterum probe Huneſtadium. Prius ſaxum hanc inſcriptionem exhibet:

Saxſi ſeti ſtin deſi euftir Osbiurn ſin ſilaga Tuſas ſunſum ſotu egi at Upſalum Anua maden Vabn eſdi.

h. e. *Saxo lapidem hunc poſuit Esberno ſocio ſuo, Tuſa filio, qvem ego Upſaliæ enutrivi: Anua inſignia & ornamenta addidit.*

Huneſtadenſe vero, elegans, & præclarum monumentum, ex octo conſpicuis & grandibus confectum ſaxis, (qvorum duo characteres obtinent Runicos, tria deinde urſæ, eqvitis & lupi monſtroſas oſtendunt imagines, reliqva tria lineamentis carent,) in altero lapide talem exhibet ſcripturam:

Osbarn

Osburn aug Tume deir ſeutu ſtain denſi eftir Rui aug Leigfrud ſunu Kunu benter.

h. e. *Esbernus & Tume lapidem hunc poſuerunt Rui & Leigfrud nurui ſuæ.*

In altero ſaxo hanc:

Asburn-ſeti ſtain denſi eftir Tuma, ſun Kunu benter.

Id eſt: *Esbernus lapidem hunc poſuit nurui ſuæ Tumæ.*

[*NB.* Minus neceſſarium duximus, hoc loco inſcriptiones haſce Runicis characteribus exhibere; videri enim poſſunt, cum ipſis Lapidum figuris, & ampla *Wormii* illuſtratione, *Monumentorum lib. III. à pag.* 185. ad *pag.* 191.]

CCCCXL.

S. P.

MAximas tibi ago gratias (*Olae* mi dilecte) pro eximia tua opera in negotio Dn. *Petri Osburni* Eqvitis noſtratis rogatu meo eruditè impenſa. Miſi ad eum diligentius libellum tuum, qvàm citò acceperam: ſed me vereor non ſuſcepturum reſponſionem ejus ante tabellarii veſtri diſceſſum, qvi hinc ſub triduo regreſſurus eſt, ut refert. Verſatur enim Eqves jam in rure, ſed cum animum ejus intellexero, te qvam citò liceat certiorem faciam. Gratias etiam nec minores tibi habeo, qvod ſalutis noſtræ adeò temet ſtudioſum præbes; malè verò huic conſulis, dum me velut anhelantem jam ſenio ad ſepulchri limina, novum ſuades penſum aggredi, & hoc qvidem ingens illud *Archaeologi* noſtri, ſemivivi, ſemimortui. Præſertim cum animam mihi penè exhauſit liber hic noſter de *Conciliis Britannicis*, qvem dudum edidi & ad te jam mitto cum his noſtris: rogans pro amore noſtro, ut ſi qvid calleas in obſoleta illa lingva Saxonum antiqvorum (â veſtratum olim non omnino aliena,) & me vel in ea vel re alia qvalicunqve lapſum deprehenderis vel errantem, notes ſedulò & admoneas. Mitto & qvod è prælo liberum jam primum exit, filii mei *Pſalterium Latino-Saxonicum*: optoqve ut in patris ſui amicitia eum habeas ſucceſſo-

ceſſorem. Vale. Londini in vico Barbacan 23. Auguſti 1639. ſti. vet. Tuus ex animo

HENRICUS SPELMAN.

CCCCXLI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Spelman.

Londinum.

OBlata commoda hac occaſione, non potui, Vir Nobiliſſime, qvin pro inſigni tua in me benevolentia, egregiis ad me miſſis operibus denuo declarata, gratias agerem debitas. Opus certe illud de *Conciliis Britannicis*, ut laboris immenſi, ita prima Religionis Chriſtianæ apud vos incunabula ſcrutantibus utiliſſimum, æternitati Nominis tui famam inſeret nullô ævo obliterandum. Qvam gratum, qvam jucundum, priſcam mirari ſimplicitatem, & qvibus gradibus paulatim ad iſtam majeſtatem Romana aſcenderit curia, contemplari. Tibi non ſolum patriam eximio hoc opere devinctam tenes, ſed & omnes, qvi melioribus diſciplinis imbuti, antiqvitatis majeſtatem admirantur. DEus te porro incolumem ſervet, ut reliqvos Tomos, pari felicitate, ad umbilicum proſpere perducas. Non eſt, qvod à me qvicqvam exſpectes, qvod ad exaſciati hujus operis illuſtrationem ſpectare poſſit. Singula probe expenſa, accurate deſcripta, ut nec Momus ipſe haberet, qvod carperet. Vocem unam atqve alteram offendi, qvæ cum noſtris affinitatem habere videntur, ſed tanti non ſunt momenti, ut in disqviſitionem trahantur. *Pag.* 404. *wyrſte* nobis **vryſte**, denotat articulationem illam, qva carpus jungitur ulnæ aut pedium tibiæ, atqve hoc ſenſu hic qvoqve capi, mihi perſvaſum. Sic *pag.* 423. *Eworice*, convenit cum Germanico **Ehebruch**, qvod adulterium notat. *Pag.* 462. voc. *aht*, nobis vox freqvens, progeniem, proſapiam & ſangvinis nexum notat; ſic dicimus: **Hand er af good æt**: *honeſtis ortus parentibus aut proſapia*; Hoc in loco ärbitror *a ht* conſangvineum denotare. *Pag. ſeqventi* vox *Ceor*, nobis **Karl**, virum robuſtum ætatis maturæ notat. Pag. 465. Leg. 30. *driſth* nos

driſver

driſver, *perpetrare*, *committere*; *underſenge*, underfange, *auderi*. Ejus generis ſaltem paucula notavi, cum noſtris affinitatem habentia; ſed digna non judico, iis te ut remorer. Perge modò, ut cœpiſti; melioris orbis certum exſpectabis applauſum. Effari neqveo, qvantopere gaviſus ſim, ubi pag. 352. *Gloſſarii* injectam vidi mentionem, etiam in iis, qvæ deſideramus; aut excuſum jam integrum, aut brevi proditurum, ominabar. Oneri humeros ſubmittat filius, Vir, qvod gaudeo, Parenti æmulus, & laboribus ferendis aptus. Te jam nollem ab exorſa avocatum telâ, ſed filium Parenti ſubvenire cuperem, ne tam utili tamqve neceſſario etiam ad meliorem Conciliorum &c. intellectum opere diutius deſtitueremur. Multorum enim in his lucem, non niſi ex *Gloſſario* petendam, video. Qvis me jam MANCUSAS docebit, illo deſtitutum? infinita prætereo. Qvàm vellem, conatus noſtros Nobiliſſimo non diſplicuiſſe *Osburno*. Ex qvo ad vos ea amandavi, *Monumentum Huneſtadenſe* diligentius luſtrari curavi, & diverſa qvædam ab iis, qvæ transmiſi, (non qvidem in literis, ſed in aliis lapidum ornamentis) offendi, qvæ accurate delineanda curavi, ut, ſiqvando monumenta mea lucem aſpexerint, emendatum cum reliqvis prodeat. Filium tuum officioſe ſaluto, utqve Parentis inſiſtens veſtigiis, me ſuo haud dedignetur favore, rogito. Vale. 27. Martii, 1640.

CCCCXLII.

JACOBUS SVABIUS

D. Olao Wormio.

Londinum.

CLariſſime Wormi. Haud facile verbis aſſeqvi poſſum magnitudinem lætitiæ, qvâ ſum affectus, perlectis utrisqve tuis literis. Spirabant enim inſignem amorem, & qvi non poteſt proficiſci aliunde, qvam ab integerrimo affectu. Id etſi jampridem permultis & certiſſimis ſignis deprehenderam, gratiſſimum tamen fuit manus tuæ ſymbolum epiſtolari monumento conſignatum. Qvo nomine ingentes gratias tibi debeo, qvi non dedignatus fueris juvenem, cætera qvidem nullius meriti, Tui

tamen, qvod præcipuum in ſe putat, obſervantiſſimum. Porrò nihil mihi gratius in tuis obvenit, qvam qvod creſcenti meæ virtuti plurimum faveas, adeoqve methodum mihi ac ſemitam qvandam præſcripſeris, qvam inſiſtere tutò poſſim in addiſcenda Medicina. Ego verò fateor, qvod tamen ſine arrogantia dixerim; me ultro ire iis veſtigiis, qvæ & tu patefeceris, & optimus qvisqve fideliter preſſerit &, qvamvis haud paſſibus æqvis, in eodem tamen curriculo, ad eandem metam anhelare. Ex animo lætor & glorior, Clariſſimos Medicos *Heurnium* & *Falkoburgium* nuperrimis menſibus ternas celebraſſe publicè humanorum cadaverum ſectiones, in qvibus qvid viderim, didicerim, probè animo liqvet. Illud ſane diffiteri non licet, vivam inſpectionem artificioſè diſſecti cadaveris longè præferendam ſpecioſis illis & operoſis picturis, in qvibus eruditionis Anatomicæ puppim proramqve permulti collocant: qvæ tamen & ſua laude non ſpolianda, cum oculos mentemqve umbratili ideâ paſcant, cum verâ non licet. Sed vides, Excell. *Wormi*, qvam neqve heic frigeat frigida hac anni tempeſtate Phoebea noſtra & Medica Facultas? ſane videtur Natura, dum aliis novercatur ſatis, huic celeberrimo loco benigna mater contuliſſe omnia, qvæ ad Medicinam, nobiliſſimam artem, non dicam exornandam, ſed perficiendam pertinent. Etenim, qvid Philiatris heic, ſeu æſtivo ſeu hyberno tempore, qvod addiſcant, qvo ſe in ſtudiis exerceant, deeſſe poſſit, haud video. Sed qværes fortaſſis, ecqvid ego agam, qvi nactus haſce rerum bene gerendarum occaſiones? Poſt publicas verò Lectiones, qvarum non infreqvens auditor ſum, ſingulis diebus cum aliqvot Philiatris inviſo ad Clariſſ. *Vorſtium*, fundamenta artis nobis explicantem pleniſſimè. Eſt ſanè Vir locuplete rerum omnium ſcientia non leviter tinctus, ſed imbutus penitus, cui nihil exoptatius contingere poteſt, qvam ſi cum pluribus communicetur, ſi qvid valet ingenio, uti maximè valet, & eruditione.

Mitto aliqvid ſeminii, ex pluribus iisqve rariſſimis, qvod ſciam, hujus loci ſtirpibus, qvarum nomina & chartis illevi, & hocce catalogo typis expreſſo maximam partem continentur. Optaſſem eqvidem à te catalogum, qvo conſtitiſſet, qvarum potiſſimum ſtirpium ſemina a te deſiderarentur. Non enim ſum neſcius, ea qvæ magni hic æſtimantur, apud vos ſubinde depretiari, utpote in patrio ſolo ubivis forte obvia. Sed

lineam

lineam hic figo, & omni affectu operaqve te rogo, ut eum complecti ac fovere pergas, qvi in omnibus rebus, qvæ ad laudem tuam pertinent, voluntatem, operam, obſervantiam prorſus defert ſuam. Lugduni Batav. Kal. Mart. ſt. nov. 1631.

CCCCXLIII.

OLAUS WORMIUS

Jacobo Svabe.

GAudeo, mi *Svabe*, curſu tam felici ad optatam te properare metam, præcipuè cum tam præclaram rerum bene gerendarum occaſionem nactus ſis. Perge, conatibus DEus ex alto benedicet. Cæterum pro transmiſſis ſeminibus, *Horto* ipſo & aliis gratias ago ingentes; effari enim neqveo, qvam opportunè advenerint, qvamqve hortum meum iis exornaveris. Ubi de pretio conſtiterit, ſolvam lubens, qvicqvid erogatum, & ſuo forſan tempore ex iis ipſemet fructus præſens capias. Siqvidem ternas te vidiſſe corporis humani diſſectiones hac hyeme, ſcribis; ſcire velim, an Anatomici veſtri lacteas in meſenterio demonſtraverint *Aſſellii* venas? qvid item de circulari ſangvinis motu in corpore, juxta decretum Angli iſtius, ſtatuant? In cane primum hac hyeme ipſe vidi, auctoris ſecutus manuductionem. Res certe magni eſt momenti & uſus. Tu tuos de iis conſule. Cum Tutore tuo egi, &, publica Magiſtratus auctoritate, tuis rebus ut non deeſſet, obtinui, cujus te fructum jam percepiſſe arbitror. Acolaſtum iſtum cœlum non animum mutaſſe audio; ſua eum maneat ſors. *Finchium* tuo ſalutavi nomine, qvi viciſſim ſalvere te jubet, & officia offerre. Tu modo literis audacter ipſum compella, habiturus in commoda tua eò promptiorem. Saluta *Mejerum*, & haſce *Cabeljavio*, qvem forte apud Clariſſimum *Heinſium* offendes, tradas, qvæſo. Vir eſt humanus, qvi mecum per literas haud rarò agere ſolet. 1631.

CCCCXLIV.

CCCCXLIV.

JACOBUS SVABIUS

D. Olao Wormio.

CLariſſime Wormi. Qvanti nunc tibi ſim, propenſo amoris judicio, qvod à vero facile declinat, vel opinione aliqva virtutis ac bonæ mentis, ad qvam aſpiro alacriter, hoc mihi ſufficit ad fidem, qvod me nuper immerentem amiciſſimo tibi *Cabeliavio*, Viro ſupra qvam calamo mentis interprete exprimi poteſt, humano, lubens ac ſponte tua commendaſti, manifeſto benevolentiæ teſtimonio. Neqve id tantum, ſed qvantillum mihi á Parentibus p. m. venit hæredium, paterno plane more affectuqve promoviſti, magno mearum rerum ſtabilimento: cohortatus tutorem, ut patris affectum in me indueret, meaqve, me abſente, non oſcitanter haberet. Accedit his etiam, vel in maxima felicitatis meæ parte deputandum, qvod primos aditus tua mihi commendatio ad illuſtrem gratiam Clar. *Finckii* patefecerit, qvem ſi ament alii, ego depereo, ſi colant, ego veneror & revereor. Ac vel ideo me plurimis devinctum tibi nominibus profiteor, qvando tam impenſè ſtudiis meis faves & votis. Sed qvid? Ecce cum humaniſſimas tuas, qvibus profuſum erga me affectum exprompſiſti, lego, novam qvandam & inauditam de reciproco ſangvinis motu ſententiam ab Anglo qvodam divulgatam edoceor. Qvæ res tantum in me effecit, ut integrum planè octiduum altioribus iſtius rei cogitationibus canderem. At verò cum pectus meum per me exſaturare vix poſſem, induſtrio cuidam Medicinæ ſtudioſo, *Conringio* nomine, qvô familiariter utor, rem omnem aperui, qvi, oſtenſo *Harveji* ſcripto, tam egregiè, tam ſubtiliter diſſerebat de circulatione ſangvinis, ut penè videretur eſſe in eadem hæreſi. Mox autem ut animum pèrpruriſcentem rei novitate, nimis titillari animadvertit, nimis allici, infit: hæc contemplatio in ſe qvidem elegans eſt, & prima facie valde probabilis, qvam ſi *Harveus* potuiſſet autopſia & anatomica adminiſtratione demonſtrare, næ ille punctum omne tuliſſet. Hæc ille. Poſtea me qvoqve contuli ad Clariſſimos Viros, *Heurnium* & *Falcoburgium*, qvi

qvi libenter ambobus, qvod ajunt, pedibus ibant in *Conringii* ſententiam, niſi qvod adderent, oportere nos in antiqvis mutandis novisqve approbandis timidiuſculos potius & cunctabundos eſſe, qvam audaculos & temerarios. Atqve en, qvæ experiri licuit, tantorum de re tanta Anatomicorum judicia. Ità vale, Vir Exc. & addictum me tibi cenſe. Lugd. Bart. 13. Jul. 1631.

CCCCXLV.

OLAUS WORMIUS

Jacobo Svabe.

TUas, 13. Julii datas, probe accepi, qvibus ad Clariſſimum *Finckium* exaratæ annexæ erant; pro illis ut gratias ago, ita haſce probe curavi, qvod ex ipſius Soceri forſan ubèrius percipies reſponſo. De *Harvei* ſcripto, idem qvod veſtri, hactenus & ego ſenſi. In arte enim noſtrà, præſertim qvà humani corporis ex partibus connexio ſpectatur, manus oculatas nos habere oportet, ut illud ſaltem credamus, qvod videamus. Qvia in officiis offerendis liberalem te adeo video, ignoſces, ſi iis iterum aliqvantulum abuſus fuero. Deſunt mihi *Naſturcii Indici* ſemina, ut & *Momordicæ*, *Amaranthi boloſerici*, *Mandragoræ*, *Tabaci veri*; qvæ ſi per te habuero, reducem te coronabit læta Flora noſtra. Eſt mihi elegantiſſima & rariſſima planta ex Luſitania transmiſſa, qvam in Veſtri horti non reperi Catalogo, *Arachidne* ſc. cujus ſemina, antidori loco, transmittere poſſem, modò grata ſcirem. Vides, ut fretus ingenuitate, officia duplicare non deſinam. Ignoſce, & paria hic exſpecta. Vale. 25. Septembris, 1631.

CCCCXLVI.

JACOBUS SVABIUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

PArum te conſtanter amare atqve æſtimare viderer, Celeberrime Wormi, Fautor & Patrone incomparabilis, niſi veterem affectum, qvem in hoc pectore conſtanter alui, meâ manu tibi

tibi conſignatum, cultumqve, qvem inſignis doctrina tua atqve virtus merentur, amicâ ſcriptione teſtarer. Nondum ſenſibus meis excidit liberaliſſimæ humanitatis tuæ affectus, qvin in me immerentem usqve præclariſſimè eluxit. Poſt expeditum & proſperum nobis iter, Andegavum tandem pervenimus, inclytum illud civilis literaturæ domicilium, ubi nunc commoramur, non ſine fructu Nobiliſſimi *Tottii*, qvantum ad lingvam, mores & civilem illam prudentiam facit. At dum incenſis & relucentibus hic dubiarum cauſarum facibus, Bartolus & Baldus mutuis ſe litigiis conficiunt, bonus dormitat Hippocrates: cui hic non tantopere litatur, atqve Pariſiis, ubi libentius viverem feliciusqve,

Qvod ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas.

Interim verſari cum elegantiſſimis Medicis ſoleo, qvorum ſingularis doctrina multarumqve rerum peritia neſcio qvid ſalubre animo cottidie inſtillet, ut procul negotiis Medicinæ momenta accuratius expendam, annos occupem, & locum votis aſſignem. Ajunt non idem ſolum perpetuò premendum. Ut ab uno flore mel ſuum apes nec ſugunt nec conficiunt, ſed ſparſim ê pluribus: ſic eruditionem hinc inde hauriendam. Habere ſuos Italiam, Germaniam, Galliam præſtantes doctrina Viros, â qvibus reſponſa utiliter petantur. Sed qvid ego alios apud te nomino, Vir Excellentiſſime? Licuiſſet per hanc qvidem cauſam pedem non movere. Tu unus mihi inſtar omnium es, qvi tot unus abundas virtutibus, ut omnium facile laudes exhaurias. Invitus tu hoc qvidem audis: ſed tamen cogit amor exprimere, quem ardentiſſimum tui profiteor, ſenſum. Non ultra in laudes eo, cum & tua ſingularis modeſtia & mea me ingenua verecundia refrænent. Hæc autem calentis calami impetu effuſa, voluntati meæ teſtandæ ſuffecerint, & obſervantiæ promtiſſimæ, qvam Wormianæ familiæ æternum conſecravi. Vale, Celeberrime Wormi, Patrone incomparabilis, mihiqve favere perge. Dabam Andegavi IIII. Kal. Febr. anni 1636. qvem fauſtum felicemqve voveo.

Clariſſ. Excellentiſſimumqve D. *Thomam Finckium*, Patronum meum magnum, amicâ ſalute complector, omnemqve ei cul-

ei cultum & obſeqvium nuncio. Qvi haſce literas tibi tradet, eſt popularis noſter, ornatiſſimus *Dn. Ericus Olai*, qvem ut amore & benevolentia complectaris, peramanter rogo. Meum certè amorem inſigniter provocavit. Eſt vero meliorum literatorum ſtudiis atqve Mathematum admodum exculptus.

CCCCXLVII.

M. CHRISTIANUS JOHANNIS, Superintendens Burglamenſis,

D. Olao Wormio

Ευ διάγειν.

Hafniam.

CLariſſime doctiſſimeqve Vir, Amice honorande. En memor promiſſi, mitto tibi monumenta duo Runica: alterum rudi ſaxo, prope fluvium Randruſium perfluentem *Guden*, literas magnas Runicas, ut vides, continens; Alterum bacillo huic literulas Runicas accuratè inciſas habens Certè ſingulare monumentum hoc, mihi olim á Generoſo meo Præſide *Otthone Schelio* datum, repertum fuit in agro Viburgenſi ante plures annos annos â ſcholaſtico qvodam, ut retulit mihi Vir ornatiſſimus *M. Vilhadus*, Lector Viburgenſis, tum temporis Scholæ illic Rector. Qvid ſibi velint iſtæ literæ, facilè videt Vir Clariſſimus. Cæterum in combinatione, literarum [illegible]: facie prima & latere 4to. [illegible], ut & in ſigno hoc lat. 3. [illegible] hæreo. Ità enim ego lego: *Bynaſn vet*, fac. 1. *Kacraſta mane* fac. 2. *af den Keſtol* (ubi clauditur ſigno ſuperius ex lat. 3. depicto & ſeqvitur fac. 4a.) *ande* [illegible] *landum*. Qvid ſibi velint neſcio. Utinam prodirent in publicum, ut ſpero, doctiſſimæ tuæ lucubrationes de Antiqvitatibus ejusmodi Runicis, ut videat etiam poſteritas majores noſtros in iſta barbarie, puto circa annum Domini 900. non planè fuiſſe rudes & literarum ignaros. Cujus rei ſpecimina qvædam edidit Vir Clariſſ. *Bonaventura Vulcanius* libello *de literis & lingva Getarum* ſive Gothorum.

Sed

Sed mitto iſta, Vir Clariſſ. &c, qvod reliqvum eſt, tibi gratias ago maximas pro cura & laboribus in privigno reſtituendo: operam dabo, ut nos gratos invenias, ſicut oportet officiorum memores. Plura non addo. Tu Deo opt. max. cum dilectiſſima Conjuge liberisqve dulciſſimis commendatus, ſalve & vale in Chriſto JEſu. Alburgi 10. Martii an. 1632.

CCCCXLVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Joachimo Burſero.

Seram.

PEtitioni tuæ qvò minus ex voto reſpondere valeam, facit tum hortuli mei Flora, præterito anno minus nobis, ut noſti, propitia, tum qvod ab amicis hoc anno nihil ad me delatum ſit, tua dignum cura. Paucula interim mitto, qvæ hiſce annis ex meis collegi, plura miſſurus, ſi fætura gregem ſuppleverit. Interim boni ominis reor, qvod primus amicorum ſis, qvi hoc anno noſtrum dotare Hortenſium voluerint. Gratiæ tibi arridebunt omnes, meqve ſemper habiturus es beneficii memorem. Vale, tuosqve omnes officioſiſſime ſaluta. 1633. menſ. April.

CCCCXLIX.

OLAUS WORMIUS

Joachimo Burſero.

EN tibi Floræ noſtræ fœtus aliqvos, apud te poſtac educandos. Cancellarius noſter etiam ex horto meo Violariarum copiam magnam accepit, qvam Lindholmium hodie defert ejus famulus. Semina qvædam nuper mihi miſit Hortulanus Fridricburgenſis ex reliqviis *Arniſæi*, qvorum tibi mitto partem dimidiam; boni conſule, qvæſo. Vale, mi *Burſere*, & porro favere perge. 1637.

CCCCL.

CCCCL.

OLAUS WORMIUS

D. Joachimo Burſero.

Soram.

AMicum tuum, qvem ſemper expertus ſum, exoſculor affectum, qvo etiam adverſis & triſtibus meis tangi, condolere, & dolorem, mihi tam acerbum, gratiſſimis tuis literis lenire conaris. Gratias igitur ago magnas, & læta qvævis apprecor, tantis adverſitatum procellis nunqvam deturbanda. Cæterum ea, qvæ percurrendo in eruditiſſimis tuis *commentationibus Phyſicis* vidi, perplacent omnia, nemoqve erit, cui tantum veritatis curandæ ſtudium, rationum momentoſarum ponderibus ſtabilitum, abſtruſaqve naturæ tanta perſpicuitate docendi felicitas non magnopere probabitur. Utinam brevi & auſpicato lucem videat, qvin juventutis magno id futurum ſit commodo, nullus dubito. Cum *Sartorio* qvid eo nomine actum, exponet frater. Me ubi convenerit, qvin de nota meliori, ut meretur, opus ſim commendaturus, non dubitabis, tum qvoqve, qvando manus operi ſit admoturus, expiſcabor, teqve de omnibus certiorem reddam. Commode hac vice fieri non potuit ob rationes, qvas à fratre percipies. Vale amice integertime, & porro me ama. Hafniæ d. 17. Jan. 1638.

CCCCLI.

JOACHIMUS BURSER

D. Olao Wormio.

Londinum.

EXcellens & Clariſſime Dn. D. Wormi, fautor & amice plurimum honorande. Per Dominum *Spormannum*, Collegam tuum, & communem amicum noſtrum egi cum *Sartorio*, Typographo veſtro, de *Cogitatis* meis *Phyſicis*, vellet typis ſuis excudenda curare. Qvo nomine etiam aliqvod eorum ſpecimen, qvod *Meteorologiam* continet (licet ea tractatus pars pauciora

habeat peculiaria, qvam cæteræ) nuper ipſi per fratrem miſi & inſpiciendum reliqvi. Qvandoqvidem verò tecum qvoqve antehac tum de propoſito meo, tum de qvæſtionibus nonnullis (qvarum deciſiones operi meo paſſim inſerui) collocutus ſum, Tibiqve adeò de rebus iſtis meis non parum conſtat, etiam atqve etiam rogatum te velim, ut ne graveris cum prænominato *Sartorio* agere de hoc negotio, & ex ipſo certi qvid reſciſcere, velitne laborem hunc impreſſionis ſuſcipere; Et ſi annuat, qvônam tempore cogitet manum primam admovere, qvamqve citò abſolvi poſſe ſperet (novit enim jam magnitudinem operis) Deniqve an poſt feliciter abſolutum opus duodenam exemplarium dono accipere ab eo poſſim, ne planè fruſtra laboraſſe videar. Hæc ubi ex eo didiceris, de omnibus qvæſo breviter certiorem me redde per hanc ipſam occaſionem, ut ſecundum ejus reſponſa res meas inſtituere & diſponere poſſim. Ignoſce meæ in moleſtiis tibi creandis audaciæ. Vale feliciter! Soræ 23. Januar. An 1638.

P. S. Diſſimulo in literis, qvod tibi mea ſcripta antehac inſpicienda dederim. Cauſam diſſimulationis noſti. Interim tam pro ſuſcepto in iis percurrendis labore, qvam pro amico judicio gratias ago, non qvicqvam magis in votis habeo, qvam ut tibi viciſſim aliqvâ re gratificari qveam. Vale & fave.

CCCCLII.

JOACHIMUS BURSER

D. Olao Wormio,

Hafniam.

S. & felix novi anni auſpicium unà cum multa gratiarum actione.

VIr Clariſſime, fautor & amice honoratiſſime, qvam doluerim ſortem tuam, nolo pluribus dicere, ne vulnus refricem. Certè vehementer dolui. Semper ſperavi occaſionem te coram alloqvendi, ſed ea hactenus nulla fuit, nulla eſt etiamnum.

enim. Interim haſce exaro, tui qvoad cætera ſtatus exploratrices ſimulqve conſilii, aut verius auxilii oratrices. Dixi aliquando, me in chartam conjicere *Cogitata* mea *Phyſica*, (cauſam, qvæ me impulit, alias narrabo,) conjeci jam, abſolutum eſt opus, qværo typographum. *Sartorius* veſter multas cauſatur difficultates, interim mitti ſibi legendas cupit pagellas qvasdam, qvaſi deliberans adhuc, qvid facere velit. Ablego ego fratrem cum maxima tractatus parte, non tam ut prænominato *Sartorio*, qvam ut Tibi oſtendat, an fortè tantum a rebus tuis otii Tibi ſit, ut titulos ſaltem & ſumma capita evolvere aut inſpicere poſſis, atqve ſic *Sartorio* judicium tuum indicare, in qvo uno haud dubiè acqvieſcet homo. Vide ergo, ut ei perſvadeas impreſſionem, ſiqvidem prælo dignum cenſeas ſcriptum. Sed qvia mirabile & ſæpe heteroclitum eſt caput hominis, velim categoricum ab eo reſponſum, & qvam citò cogitet manum admovere. Nam ſi tergiverſetur, præſtat aliam potius venari occaſionem, in Hollandia aut alibi. qvamvis propterea mallem Hafniæ imprimi, qvod ita poſſem errata, etiam poſt correctionem relicta, aut relinqvi ſolita, notare ſub finem operis. Pro labore meo contentus ero paucis exemplaribus, modò dare ea velit typographus moroſior. Tibi, amico ſincero, omnia committo. Poteris horulæ ſpatio pervolvere, aut pagellam vel caput aliqvod perlegere; nam aliud exemplar non habeo, cujus tamen deſcriptionem per ſcholaſticos nunc molior, qvorum laborem nolim interrumpi aut tardari diuturniori mei hujus exemplaris emanſione. Vale & fave. Properanter Soræ die 25. Jan. Ao. 1638.

CCCCLIII.

OLAUS WORMIUS

D. Joachimo Burſero.

Soram.

CUm *Sartorio* noſtro de *Phyſices* tuæ editione egi. Mirus homo eſt, lubricus, planeqve inconſtans. Categoricam cum urgerem reſponſionem, cœpit ſe plane excuſare, qvod tempora jam ſint difficilia, libri emptores non habeant, ad exteros trans-

in qvem ſenſum etiam *Artemidorus* ait : ἄνευ συνουσίας ἀφροδισίου ἔχειν γάλα : Recentiores vero JCti *Alciatus*, *nochius*, *Maſcardus*, *Caranza*, poſtqvam inter violenta vehementem præſumtionem diſcrimen ſtatuerunt, illam qv *Fabii* : Peperit E. coijt cum Viro, neceſſariam reputant, lentam & irrefragabilem, contra qvam exceptio non adr tur, *Fabius* vocat τεκμήριον inſolubile eorum, qvæ ſe alit bere neqveunt, hanc verò *Sexti* tantum vehementem, qv am non prægnantibus, alicubi Viris qvoqve, ubera lact bo & inculpato, qvod de rugis item ventris notat *Pi* oriri ſcil. eas poſt qvemcunqve magnum addominis tum diſſipatum.

Cæterum exoletæ huic & tritæ (cui enim non d Hylas puer) qvæſtioni in præſenti caſu locus non eſt, non ſ qvod non conſtet de prægreſſo tumore, cujus evaneſcentia abdominis collabi ſindive potuerit, ſed potiſſimum qvod ipſa, ſecundo examine, conſeſſa ſit, ſe & concubuiſſe & cepiſſe & peperiſſe, negat autem vivum fuiſſe & perfectum, peperit, & contra aſſerit, excidiſſe ſibi qvarto circiter r tulem qvandam maſſam, qvam projecerit. Status igitur cc verſiæ eſt, *utrum ex lacte, qvod in mammis poſt annum cubitu deprehenſum eſt, & ex fiſſuris ventris, de qvibus teſt obſtetrices & alia honeſta fœmina, qvibus inſpectio ventris miſſa fuit, evidenter demonſtrari poſſit, qvod mulier hac, partum & perfectum ediderit, eumqve interemerit*, ita u probatio inficiationi mulieris prævalere, eamqve non ci ſam damnare debeat, prout qvatuordecim Viris, c hac cauſa judices dati fuerunt, viſum fuit. Id qvod ſimpl negandum cenſeo. Lac enim in mammis etiamſi album & copioſius deprehenſum in primâ, qvam ſecundâ inſpec nihil amplius indicat, qvam eam concepiſſe : Fiſſuræ vent hil aliud teſtantur, qvam eam peperiſſe. Utrum perfect vivum fœtum juſto, an immaturum & inchoatum abortiv tu excluſerit, id verò ex ſignis hiſce, qvæ communia ſu utrumqve partum ſeqvuntur, diſtingui ac dijudicari nul do poteſt. Habent qvidem Medici ſigna Diagnoſtica, q abortum à partu legitimo diſcernant, qvorum qvædam n tulavit *Zacchias* in qq. Medico-Leg. lib. 3. t. 2. ſed ea

non faciunt infallibilem, & de qva dubitare non liceat, ſed veriſimilem tantum, ambiguam & precariam, nec diſtingvunt alterum ab altero, niſi in muliere ex recenti partu adhuc calente. Intervallum enim & progreſſus temporis confundunt omnia, nec inter ea recenſentur lac & fiſſuræ, qvæ, uti jam monui, tam partum legitimum, qvam abortum comitantur. Molam non fuiſſe, qvam projecit, bonitas forte lactis demonſtraret, ſiqvidem *Hippocr.* in lib. de Steril. in molam geſtantium mammis lac non apparere, Recentiores verò, ex qvibus *Salium* & *Zacchiam* nomino, apparere qvidem aliqvando, ſed aqveum, lividum, paucum, & inutile teſtantur. Ut autem mola non fuerit, potuit tamen eſſe abortus imperfecti fœtus, qvem lactis proventus neceſſario ſecutus fuit, & qvædam etiam diſtractio cutis, ita ut ex his ſignis nihil contra confeſſionem reæ concludi vel minimum poſſit.

Miror autem judices in his nauci & inutilibus ſignis ſententiæ ſuæ fundamen poſuiſſe, cum potius, tempus concubitus, qvod ex confeſſione utriusqve partis liqvidum eſt & certum, contendere debuiſſent, cum iis, qvæ Rea iterum iterumqve incerta confeſſa eſt. Nam cum inſpectione obſtetricum territa confiteretur, qvod ante obſtinatè negaverat, ſecundam qvoqve confeſſionem ſuſpectam fecit mendacii. Unde judicum partes fuiſſent, poſtqvam conſtaret de facinore, de tempore patrati facinoris apud eos homines inqvirere, apud qvos morata fuit eo tempore, qvo ſe affirmat abortiiſſe, aut qvo parere debuiſſet, ſi infantem vivum in lucem pertuliſſet. Tempus abortus deſcribit ipſa & teſtatur, abortiiſſe circa feſtum Johannis Baptiſtæ. Tempus legitimi partus incideret in ſolſtitium hibernum, aut præter propter, ſi à principio coitus, qvem utriqve referunt ad Æqvinoctium vernum, qvadraginta ſeptimanæ computentur. Nunqvam enim tam occultè labores ſuos celare potuiſſet, qvin ægritudine aliqva, pallore, tumeſcentia uteri, pollutione ſangvinis, ſuſpicionem ſiniſtram de ſe excitaſſet apud eas mulieres, in qvarum vel conſortio vel ſervitio, qvovis tempore fuit, unde utrumqve definiri tempus poſſet partus, qvod obſtetrices negant ſe ex inſpectione dijudicare poſſe, & qvidem jure merito. Nam de fiſſuris nihil referunt, utrum copioſæ fuerint, profundæ, patulæ, inveteratæ, cicatricoſæ, an verò paucæ, ſuperficiariæ, recentes, molles & adhuc rubentes, ut inde judicium

de tempore dubio capere licuiſſet : nec lactis copia & albedo certum indicium eſt recentis partus, utut veriſimilem conjecturam præbeat, partum recentiorem fuiſſe, qvam Rea affirmat. Qvi enim per novem aut decem menſes (tanto enim intervallo diſtant inter ſe tempus partus, qvod ipſa agnoſcit, & tempus inſpectionis obſtetricum) mulieri non lactanti, lac non ſupprimeretur &, ſi non in totum ſaltem maxima ex parte, deliteſceret ? Tum etiam ſi abortiit circa feſtum Johannis, id eſt, qvarto menſe, plagæ vel fiſſuræ ventris non poſſent eſſe copioſæ, hiulcæ, amplæ; qvia trimeſtris fœtus non admodum diſtendit uterum, ideoqve collapſus exigui tumoris non reliqviſſet poſt ſe multas & latas fiſſuras. Sed hæc obiter tantum moneo, qvod ad condemnandam mulierem qvidem nihil faciant, nec qvæſtionem Collegio veſtro propoſitam attingant, ſed judici tamen ſtimuli loco eſſe poſſint, ut in facinus confeſſum, ejusqve qvalitatem, qvæ incerta adhuc eſt, & ex propoſitis ſignis dignoſci neqvit, majori ſollicitudine inqvirat, idqve eo magis, qvod confeſſio mulieris ſuſpecta ſit, & ſi non evidenter, ſaltem conjecturis veriſimiliter redarguatur. Veriſimilia enim ſigna, ut ad decretoriam ſententiam ferendam non ſufficiunt; ita neceſſitatem diligentius inqvirendi imponunt judici.

Pro Exodio, qvia Rea confitetur, ſe peperiſſe qvarto menſe, ſeu poſt 15. ſeptimanas, conſiderandum judici relinqvo, utrum per hoc excuſari poſſit à pœna infanticidii ſaltem extraordinaria, dum fœtum, qvi eo tempore vivus erat & animatus, ſceleſtè projecit, & qvis ſcit, ſi non Circeja arte abortum ſibi procuravit. Ex legis qvippe Divinæ rigore capitis damnas eſt, qvi prægnantem ita percuſſerit, ut abortiat, ſi fœtus fuerit animatus. *Exod.* 21. *v.* 22. 23. qvod & Juri Canonico inſertum eſt. c. *Qvod vero.* c. *Moſes.* c. *ſicuti.* 32. *q.* 2. Animatur autem fœtus, ut vulgo creditur, maſculus poſt qvadrageſimum, fœmella poſt nonageſimum à tempore conceptionis diem, qvanqvam *Auguſtinus* qvæſtionem de termino informationis corporis per animam, temeritate ſententiæ præcipitandam non eſſe, circumſpectè monet: qvicqvid igitur fuit, qvod mulier enixa fuit, ſi poſt centeſimum diem prodiit, qvia veriſimiliter & juxta ordinem naturæ vivere debuit, incumbet illi probandum, mortuum fuiſſe in utero qvod projecit, qvod qvidem ſine prægreſſo gravi aut lapſu aut morbo fieri non potuit, aut, ſi vixit, ratio

redden-

denda erit, qvomodo vivere deſiit: Qvin & locus oſtenden-
, qvo illud, qvicqvid fuerit, projectum fuerit.

Et priora qvidem pro qvalicunqve propoſitæ qvæſtionis
iſione, uti Magnif. Dn. Cancel. voluit, à tenuitate mea
ponſa ad te, Vir Clariſſ. remitto, qvæ rogo Magnifico no-
Promotori demiſſe renuntiari, ſed non prius, qvam Colle-
totius cenſura acceſſerit: Poſteriora verò pro ulteriori infor-
tione, qvia forte fortuna ſcribenti in mentem venerunt, ad-
enda putavi. Vos feſtino calamo ignoſcite, & rem totam in-
vos maturius deliberate. Valete omnes & Tu inprimis, cum
ore, qvam jam puerperam eſſe oportet, niſi me calculus
et. Scriptum Fridericiburgi die 24. Sept. 1633.

T. nominis ſtudioſiſſ.

HENNINGUS ARNISÆUS D.

CCCCLVI.

OLAUS WORMIUS

Henningo Arniſeo.

idriciburgum.

ERuditiſſimam & acutiſſimam tuam de propoſito caſu ſen-
tentiam, per nuntium, probè accepi, pro qva, nomine o-
nium, gratias ago ingentes. Magnifico Dn. Cancellario pri-
commoditate legendam offeram, cui à te ſolo abunde ſa-
factum ſpero. Adeo accuratè ſingula à te ponderata & exa-
nata animadverto, ut vix qvisqvam qvicqvam habeat, qvod
ea deſiderare poſſit, qvin igitur ei omnes calculum ſuum ſint
dituri, minus ambigo, Noſter conventus in adventum Deca-
differtur, qvi adhuc in negotiis Capituli expediundis Roeſchil-
e commoratur. Radices plantarum, qvas petis, mitto omnes,
l ex ſingulis unam ſaltem atqve alteram, qvarum, ut vi-
di, mihi rara copia. Additurus fuiſſem *Ferulam*, niſi trans-
am tenellam plantam adventantis hyemis ſævitiem vix tolera-
ram ſuſpicarer. *Scorzonera Hiſpanica* ecce ſemina, qvæ, cir-
autumnum terræ commiſſa, vernali tempore felicius ger-

 mina-

minare ſolent. *Alcea* peregrina perennare in horto meo non ſolet; addo igitur & ejus ſemina, qvæ hoc anno provenerunt. *Jaſmini* plantulam à te, inſtante vere, exſpecto, ac ſiqvæ præterea habueris rariora. 1633.

CCCCLVII.

OLAUS WORMIUS

Hemmingo Arniſæo.

DN. D. *Paſchaſium*, graviter hic decumbentem, officio, qvo hactenus functus eſt, ſe abdicare velle intellexi; Ejus autem locum, inter alios, ambit, qvi has affert, *M. Ambroſius Rhodius*, nobis à Te olim commendatus; juvenis, ut noſti, induſtrius eſt, ingenuus, & in arte Medica bene verſatus, qvod vel exercitia tam Medica, qvam Aſtrologica, qvæ magna cum laude in noſtra Academia publice & privatim inſtituit, abunde declarant. Qvod ſi igitur ex uſu eſſe judicaveris, conatus ejus auctoritate, qvâ apud Majeſtatem Regiam polles, promove. Hoc autem, ut à te impetrarem, ſubmiſſè petiit, nec petitioni ejus tam honeſtæ ob affectum, qvo te ipſum proſeqvi ſcio, deeſſe, qvamvis valetudine infirmior, potui. DEUS, qvi mihi, graviſſimis preſſo morbis, hactenus clementer aſtitit, te nobis brevi ſalvum & incolumen ſiſtat. Vale. 1636.

CCCCLVIII.

JOANNES MEURSIUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

LIteras tuas, Vir Clariſſime, rectè accepi. Doleo abiiſſe eum, qvi meas ad *Cabeljavium* referre debebat. Niſi grave eſt, ſub involucro ad *Gerardum Voſſium* mitte, qvi nunc Hiſtoriarum agit Profeſſorem Amſtelodami. Is ad eum rectè curabit. Optimè verò transmittet, ſi mittendi rationem ipſe fa-

norabis, *Johannes von Gendt*, mercator, habitans in urbe a, è regione *Chriſtophori Ivari*. Eſt is mihi amiciſſimus, & nego in ſe libens recepturus. Qvod de menſe *Agranio* qværis, npræſens aliud occurrit mihi, qvam Coorum hunc fuiſſe, Athenienſium menſi cui reſponderit, tecum neſcio. Vale, Clariſſime, & me amare, qvod facis, perge. Soræ, ad di. X. Septembr. CIↃ IↃC XXXIII.

CCCCLIX.

JOANNES MEURSIUS

Viro Clariſſ.

D. Olao Wormio

Eſtè tuas, vir amiciſſime, mihi tradidit communis amicus noſter, D. *Burſerus*. De Menſe *Agranio* utinam opera mea profuiſſet. Sed tu tamen, pro humanitate tua, gratigis. Si qvid poſtea invenero, qvod ad rem hanc pertinebit, celabo. De literis, qvas *Cabeljavio* deſtinavi, qvando is :læ, uti ſcribis, totâ hâc hieme eſt manſurus, qvæ ubinam exſtet, planè ignoro, tuo arbitrio negotium permitto, esqve qvod videbitur ex uſu. Qvod ſi per te ſcire liceat, gentium ſit Nucla, & qvâ item conditione *Cabeljavius* hic :ur, erit mihi id gratiſſimum. Intellexi ex *Burſero*, iterum role auctum, eâqve maſculâ, gratulor qvam poſſum maxi, &, ut in virtute creſcat ad doctrinam exemplô Patris, um precor. Is te qvoqve diutiſſimè ſanum & florentem et. Raptim, Soræ, ad diem XIV. Septembris CIↃ IↃC XXXIII.

CCCCLX.

OLAUS WORMIUS

D. Johanni Meurſio.

Ox ab abitu Burſeri noſtri, literas tuas per Mercatorem *Johan van Gent* ad *Voſſium* curavi meisqve incluſi, qvi, ut data commoditate ad *Cabeljavium* transmitteret, roga. Qvid mihi conſtet de Nucla, ut & ſtatu ac conditione

Cabel-

Cabeljavii noſtri, ex proximis ejus ad me datis literis meliùs percipies, qvam ex me ipſo. Eas igitur mitto, data commoditate reddendas. Pro voto amico, qvo filiolum meum, recens natum, proſeqveris, maximas ago gratias; nihilqve mihi foret antiqvius, qvam ut brevi par pari referre valerem, tuamqve familiam *Meurſio Dano* auctam inaudirem. Qvod ut fiat, vive, vale, & uxorem meo nomine ſvaviter amplectere. Hafniæ. 1633.

CCCCLXI.

HENRICUS CUSTERUS

D. Olao Wormio.

CLariſſime Dn. D. Amice ſummè honorande. Ab eo tempore, qvo ob theſaurarios Geryonacei generis hirudines, damni illos ſatores, ſartores, meſſores maximos, patriâ dulciſſima mea relicta, ligneo eqvo per cœruleas vias Hafniæ aſylum qvæſivi, (id qvod biennium & qvod excurrit, eſt factum,) T. E. verè benevolentem mihi ſemper vixiſſe, bonamqve operam ſedulò dediſſe, memoriâ probè teneo. Qvemadmodum itaqve muſca, loci alicujus dulcedine ſemel deguſtatâ, ad eundem retrahitur ſubinde, Homero ſic loqvente; itâ ad T. E. data occaſione, hiſce jam recurro revertorqve, gratias gratas multas denuò habens, pro omnibus in me abunde collatis beneficiis & officiis.

Ubi loci fortunæ meæ hic ſint, ſcire T. E. ſi avet, ſciat principia mihi, Dei gratia, bene habuiſſe, optanti interim tam multi mihi hîc loci benè ut faciant, qvam multi benè volunt: ſiqvidem in dando plurimi ſteriles adhuc ſatis, etiam ii, qvibus divitiarum eſt affatim, exceptis tamen Regiis noſtris Præfectis. Sumtus, in itineribus qvos feci ſemel atqve iterum haud leves, Generoſorum Nobilium arceſſitu Haffniâ Othoniam iter habens in media etiam hyeme, mihi nondum ſunt reſtituti; mentionem eorum modeſtè per amicos qvando facio, idem eſt ac ſi ad ſepulchrum mortuo diceretur jocus; aſt qvid faciam? parendum tempori eſt; volunt Nobilium ingenia duci, non cogi. Novorum penuriâ laboramus; niſi qvod menſe præterito *D. Johannem Muleniom* anima dereliqvit, Medicum ætatis plenum

nem, cujus beneficio Eccleſiaſtico jam gaudebit Secretarii Regii, *Ivari Wind*, filius primogenitus, ni fallor. Excellentiſſimo Dn. D. *Thomæ Finckio*, Viro optimè de re Medica & Philoſophica merito, pro ſingulis in me collatis beneficiis gratias ut agas rogo: nec non Magnif. Rectori, totiqve Reverendo Academiæ Conſiſtorio me commendes. Summum inprimis Theologum veſtrum Dn. *D. Caſparum Brochmannum*, Patronum meum magnum, officioſiſſimè ſalutari peto, ut & Dn. *M. Wolphgangum Rhumannum* amicum de me optimè cum *D. Th. Finckio* meritum. Jamqve feliciter in Domino valeat E. T. &c. Othoniæ d. 11. Junii 1633.

CCCCLXII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

TUas, amoris, & benevolentiæ, ut ſolent, plenas ante nenſem circiter, accepi, ex qvibus, qva integritate tecum agant, qvos fautores & patronos agnoſcere debebas, non ſine dolore perſpexi. Miror rem tantam, ſanitatem nempe, qva nihil in mortalitate pretioſius, tantilli à tantis Viris fieri, de ea ita ludere ut geſtiant. Qvod ſi hoc pacto à Medico tractandi iſti, qvo ipſi Medicum, pœniteret profecto facti. ſed lenitate & patientia emolliendi, qvos aliis mediis ad ſaniorem mentem reducere, ſanitatis præſidi non foret operoſum. Diſputationem meam anniverſariam mitto, qvam æger, & continnis catharris divexatus, conſcripſi; ſi igitur eam, qvam debebat, non oleat ἀκρίβειαν, ignoſce. Qvædam invenies à me, veritatis inveſtigandæ gratia potius, qvam certi qvid ſtatuendi aut determinandi pertractata; inter qvæ illa ſunt, qvæ *de renum uſu* ventilavimus, de qvibus tuum avidè exſpecto judicium. Mihi in iis planè nondum ſatisfacio; ſunt enim, qvæ ſcrupulum adhuc moveant, de qvibus alias, ubi amicorum expiſcer candidas cenſuras. Tu boni conſule, & amicè mone, ſi qvid minus ad palatum; nihil enim mihi gratius illorum ſententiis, qvi, nullis effaſcinati præjudiciis, unicum ſibi veritatis ſcopum habent

bent præfixum. A Regni Sveciæ apud nos Reſidente accepi, D. *Aſverum* mille Dalerorum ſtipendio evocatum eſſe, ut Electæ Reginæ valetudini præſit, qvam conditionem eum non invitum arripuiſſe reor, ut vel hoc pacto adverſariis viciſſim crucem figat. Dabam occupatiſſimus Hafniæ 26. Martii, 1634.

CCCCLXIII.

Ex literis
HENRICI CUSTERI
ad
OL. WORMIUM.

INtermittere nolim, dum commoda ſeſe hæc ſcribendi occaſio per Secretarium Sereniſſimi Principis mei, ad ſocrus nuptias Hafniam euntem, offerret, qvin hos mutui inter nos amoris teſtes darem &c. Generoſi Fionenſes Domini mei, me 10. Junii præteritâ, cum gratia & favore laudabili dimiſerunt, ſalarium promittentes usqve ad 10. Julii anni currentis. Aula, (in qva vada plerumqve & Syrtes) mihi qvomodo placeat, ſi qværis; certè judicium meum adhuc ſuſpendo; placet tamen inprimis placidum Sereniſſimi Principis mei ingenium, * * * Nycopiæ Falſtorum 9. Julii 1635.

CCCCLXIV.

OLAUS WORMIUS
D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

PRolixum tuum in me affectum, tum aliis indiciis multis, tum nuperrimis literis, per Sereniſſimi Principis Secretarium tranſmiſſis, abunde declaratum, ut non poſſum non exoſculari, Vir Clariſſime, ita Wormium tuum viciſſim tibi tuisqve addictiſſimum, malo, re ipſa ut experiaris potius, qvam ut verbis multa pollicear. Ut primum ab Epiſcopo Veſtro,

tum

apud nos commorante, & Empiricum iſtum *Lomannum* is modis tractante, percepi, (eas enim, qvas te ex Fionia ne dediſſe ſcribis, hoc anno non vidi) te in aulam Illuſtris. Principis noſtri vocatum, Ejus valetudini ut præſis, ga. ſum ex animo, tum qvod inter eos poſthac te verſari con. :ret, qvi virtuti juſtum ſtatuere pretium noviſſent, tum ibidem âmicum tam ſincerum habere mihi datum ſit. ulor itaqve, Deumqve rogo, conatibus tuis benedicat, in :ipis Illuſtriſſimi totiusqve Aulæ valetudinem proſperam, tu. ve commodum & utilitatem. Anniverſariam meam *Diſputa. m* indignam fateor eruditorum oculis; qvia tamen ita lu. , mitto. *Primarias Phyſiologiæ controverſias* præcedentibus dem tractavi, placuit jam ab iis, qvæ ὑγιεινὴν concer. :, ordiri; qvod ſanitatis conſervationem ſpectantia, præ. :nda exiſtimem iis, qvæ ejus amiſſæ reſtitutionem promit. . Addo aliam *de ſcorbuto*, qvam nuper conſcripſit, &, me ide, ventilandam propoſuit juvenis eruditus, *M. Ambro. Rhodius*, celebris iſtius *Rhodii*, Profeſſoris Wittebergenſis, atre nepos, qvi etiamnum apud nos commoratur, & Phyſicam itim docet. Boni conſulas, qvæſo, & ſi qvæ minus ar. nt, dele. Spes, qvam nobis colloqvii facis, me multum laravit; amica enim tua converſatione nil mihi futurum us. Nova hic nulla. Navem enim noſtram, *Chriſtianshà. dictam*, ex India benè onuſtam huc appuliſſe, dudum te epiſſe reor, ut & reditum Sereniſſimi Regis noſtri ex Nor. i. Claſſis noſtra, neceſſariis inſtructa, in freto Cronebur. commoratur, cui fini, omnes latet. DEus Opt. Max. m nobis largiatur optatam! Neſcio, qvo fato, hoc vere, es ferme Medici noſtri, *Finchius*, *Arniſæus*, *Tancredus*, lecto fuere affixi: ego per 14. dies cum tertiana luctatus , ex qva Divino favore, probe convalui; nec te immunem : inaudivimus. Deus poſthac meliora! Salutant te *Brochmus*, jam Academiæ Rector Magnificus, *Finchius*, nove omnes, Vale, mi *Cuſtere*, & favere perge. Haſniæ, Jul. 1635.

CCCCLXV.

CCCCLXV.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

ALteras à te jam accipio, Vir Clariſſime, qvibus reſponſum debeo. Prioribus qvidem, in Octobri datis nondum a me ſatisfactum, non qvidem negligentia aut oblivione aliqva tui, ſed tabellionis defectu, qvi eas ad te deferret. Qvamvis enim hinc ad vos ſæpius eant tabellione.; qvi tamen & qvando eant, plane me latet. Jam igitur, hac commoditate, una fidelia duos parietes dealbare conabor, neglecti officii me accuſare ut neqveas, efficiam. Novembri præterito intermiſſum à me fuit anniverſarium diſputationis officium, tum qvod extraordinarie partibus meis qvodammodo eram defunctus in *M. Ambroſii Rhodii* de Scorbuto exercitatione, qvam Tibi miſiſſe me, memini, tum qvod aliis impediebar momentoſioribus, inprimis Pharmacopoliorum viſitatione, Regiis literis iterum ſeverè nobis impoſita. In pharmacorum pretio æſtimando jam occupamur, cum indies conqverantur tam pharmacopolæ, qvod, hoc rerum ſtatu, tam vili ſua neqveant divendere, qvam ægri, qvod carius, qvam præſcriptum, neceſſaria emere cogantur. Siqvid hiſce annis obſervaveris, ad hanc rem ſpectans, rogo, publici boni ergo, qvam primum communices, ut ejus haberi poſſit ratio, anteqvam prælo *Taxa* (ut vocant) committatur. Meum *de priſca* noſtra *Literatura* tractatam publici juris ut faciam, urgent variæ amicorum literæ, tum & ipſe Cancellarius; ſed ea in re difficiles admodum ſunt typographi noſtri. Specimen characterum, huc ſpectantium, ligno incidi curavit noſtratium qvidam, cujus mitto exemplum, ut eorum, qvæ huc ſpectant, guſtum aliqvem habeas, & ſiqvæ occurrant hujus generis, me moneas; non ſine honorifica tui mentione futurum id ſpondeo. Sunt apud Vos, in Lalandia & vicino tractu, monumenta his inſignita, qvorum qvædam ad me delata, *Tiletſenſe* nempe, *Brignicenſe*, *Scolengenſe* & *Tirſtedenſe*. Ad hæcce ſi forſan perveneris loca, luſtra qvæſo accuratius aliqvanto, & delineationes, accolarumqve de iis relationes communicare

nicare haud reſpue. In iis enim, qvæ ad me de hiſce ſunt delata, multa deſidero. Sed nimis Tibi moleſtus ut ſim, facit intermiſſum ſcribendi officium & exſpectati tui (cujus nobis ſpem feceras) adventus dilatio. Cæterum tibi ex votis cuncta minus cedere, doleo. Principium omne grave. Non dubito, qvin, ſi Sereniſſimo Principi, per Patronos, ſtatus & conditionis tuæ ratio fuerit expoſita, de ſtipendii auctione aliisqve neceſſariis ſit cogitaturus, qvod unice cupio & voveo. Mea ſiqvid hac in re poſſint, ſive vota, ſive conſilia, Tibi paratiſſima ut ſpondeas, volo. Interea tibi tuisqve annum hunc proſperum ac felicem ex animo opto. Vale. Salutant te tui-mei omnes. Vale. 6. Febr. 1636.

CCCCLXVI.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
OL. WORM.

MEas fortunas qvod ſpectat, ſalvus DEI gratiâ cum meis hic egi hactenus; alias hic una litera fermè plus ſum qvam Medicus, ex ſalario me ſuſtentans: qvod & tenuius, qvam ut mihi ac familiæ in hoc loco alendæ ſufficere poſſit. Promiſſis in initio ſuſceptarum Vocatoriarum, largiter datis, de beneficio Eccleſiaſtico lautiori accipiendo, necdum effectus reſpondit. Auget inopiam meam, qvod Nobilitas Lollandica, ex inſtinctu *Borchardi R.* - - ducentorum imperialium thalerorum mercede annua non itá pridem conduxerit Medicum qvendam, olim caſtrenſem, ex Holſatiæ obſcuro ac lutulento oppidulo, Lichenburg qvod vocatur, venientem, jamqve Naſcoviæ degentem: qvicqvid etiam Vocatoriæ meæ contradicant, qvibus expreſſè dicitur, Sereniſſimum Principem clementer annuiſſe, ut in Falſtria & Lolandia libera praxi frui mihi liceret. Hac verò nunqvam ex voto frui dabitur, niſi apud Nobilitatem inprimis; nam vulgi aut plebis fortunæ non ſunt tales in his terris ut Me-

H h dicum

dicum poſſint alere, ſolâ Roſtochiana cerevifia qvicqvid morbosi curantes. Si qvid igitur habes remedii, Vir optime, qvo mederi meo malo poſſis, fac me, qvæſo, participem, habebis obtemperantem & obſeqventem ægrum. *D. Jacobum Fabritium* Profeſſorem Roſtochienſem, Medicum Regium ferunt factum, certâ tamen conditione, nempe qvatenus Regia Majeſtas viri ejus conſilio & ope in Holſatia indiguerit, non verò in Dania. Avidè hic præſtolamur *Taxam Medicamentorum* novam impreſſam, qva commodum publicum egregiè promovebitis, ne anſa major detur Pharmacopœis, iſtis pecuniarum accipitribus, deglubere vulgus. Bimeſtre eſt, qvod Sereniſſ. Rex carnificem Gluckſtadienſem, Chirurgiæ peritum, huc miſerit, ad medelam conſtantem, qvam pleno ore promiſit, Sereniſſimo Principi, ex carie pedis, uti fert, & oſſiculis corruptis & vacillantibus, laboranti, faciendam. Licet initium ſatis benè habuerit, facinus tamen hactenus intra gloriam manſit; de qvo coram aliqvando plenius. * * * Nycopiæ d. 12. Januar. 1638.

CCCCLXVII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

QVantopere ſvaviſſimæ conjugis tam præmaturus obitus animum meum dejecerit, & in qvantas anguſtias & mœrores me conjecerit, nemo, niſi talibus jactatus procellis, cogitatione aſſeqvi unqvam valet. Et qvamvis, præter domeſticas amicorum conſolationes, crebris abſentium & jam amiciſſimis tuis non parum erigar literis, humana tamen imbecillitate victus, adeo animi angor, ut nec mens, nec corporis debilitati membra, officio defungi qveant. Interim pro amico affectu non poſſum non tibi gratias agere, qvod & triſtibus meis condolere, & malo tam acerbo medicam manum adhibere coneris. Doleo, res tuas familiares nondum lautiori adauctas ſalarii augmento. Ita eſt, ſpe ſuos lactare ſolent aulici, ſi non inani, lenta tamen. Utinam mihi datum, huic malo mederi, facerem, promptiſſimum experireris Medicum. Suſpenſa hactenus fuit Academia;

hinc

hinc factum, ut ceſſaverint exercitia, nec ego cœpta continuare potuerim. Ad Feſtum Paſchatos reditum ad conſveta molimur; tum mox, ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit, *ſecundam Diſputationem de tuenda valetudine*, pro Regio ſtipendio obtinendo, defendet filius *M. Tancredi*: ubi typis mandata, mox mittam. Taxa Medicamentorum, qvalem exoptant pharmacopœi, confecta qvidem eſt, ſed qvia iniqviores in pretio aſſignando nobis videntur, prætendentes temporum difficultates, teloniorum & periculorum magnitudinem; adhuc dubii hæremus, annon præſtaret, editionem in meliora tempora reſervare. Ubi enim ſemel pretia auxerint, nunqvam diminuent. Peſtis hic ultra qvinqve millia abſtulit; jam verò benignitate Divina contagium ſerpere deſiit, ut rari audiantur, hoc morbo decumbentes. Deus nos porro clementer conſervet, teqve cum tota familia nobis ſalvum & incolumem præſtet. Vale. Hafniæ, 28. Jan. 1638.

D. Finchius, pedibus æger, adhuc Roëſchildiæ hæret. *D. Egbertus* utcunqve ſanus officioſe Te ſalutat.

CCCCLXVIII.

HENRICUS CUSTERUS

D. Olao Wormio.

INjurius in te ſim, ſi qvenqvam meorum, occaſione datâ, ſalutem; te vero inſalutatum relinqvam; licet hac vice te dignum non habeam qvicqvam, niſi qvod ad conjecturam delabar, Sereniſſimum Principem meum etiam apud vos, uti audio, vulgi fabulam eſſe, ob curam methodicam, qvam, neceſſitate flagitante, non ità pridem inſtitui curavit, anſam ad hanc maximam præbente Empirico, carnifice celebri Gluckſtadiano. Qvi in fine anni præteriti à Regia Majeſtate, optimo propoſito, huc miſſus, ob ſummè refrigerantium & adſtringentium continuum & externum uſum, puta, gallas, nitrum, vitriolum & acetum, pedi affecto refrigerationem, indurationem, calloſitatem, gangrænam, atqve, ex repercuſſione humorum intra corpus pectoris, anguſtiam, inqvietem inſolitam, hypochon-

driorum dolorem, lienis obſtructionem, hæmorrhoidum interdum nimium fluxum &c. induxit. Nunqvam enim per totum illud bimeſtre ſpatium & qvod excurrit, qvô Empiricus dictus, tam aptus ad hanc curam, qvam aſinus ad lyram, curationi præfuit, pedem affectum vidi, multò minus in conſilium adhibitus, (Deum teſtor, cui neſcio mentiri,) priusqvam & dum curæ præficeretur ille: Et qvis qvæſo, niſi cui cor inhoneſtè ſitum, cum tali hominum fæce conſilia Medica inſtituet? Et licet ex ſolo effectu repercuſſio dicta humorum â me deprehenſa, Sereniſſimoqve Principi plus vice ſimplici á me indicata fuerit, contradicente tamen carnifice, idem fuiſſe comperi, ac ſi ad ſepulchrum mortuo jocus dictus. Siccine Hygieine noſtra ſacerrima permittet de ſe fieri & ferri Comœdias, imò Tragœdias? ſiccine ſatis luſiſſe de corio hominis, Principis qvoqve, imò futuri Regis? Hem qvam plectuntur Achivi, imò Reges, qvicqvid delirent iſti Empirici peſſimi, non digni, qvibus pediculi regimen ac curatio committeretur. Idcirco certiorem te facio, Sereniſſimum Principem meum, per bimeſtre proximè præteritum, â qvo, abrogato pediculoſo dicto rege (cum ducentis imperialibus thaleris & cantharo argenteo majori, intus & extra deaurato,) per qvendam Chirurgiæ & Medicinæ Doctorem, Electoris Brandenburgici ordinarium Medico-Chirurgum, *Helvicum Dieterich*, in manualibus operationibus talibus exercitatiſſimum (hominem alias ambitioſum & nigrum; ſed hoc in aurem,) pes læſus manibus propriis viri dicti methodicè curari cœpit, ob cruciatus atrociſſimos, á cauteriis potentialibus excitatos, os enim tibiæ ad dimidiam ſpithamam denudandum hiſce erat, qvò gangræna latens, dictis impenſè refrigerantibus & adſtringentibus verè introducta, caries oſſis duplex exterius nigra, interius alba, inſtar cretæ, calcis vivæ vel ovorum putaminis combuſti apparens, calli etiam bini intra os & carnem cartilaginis inſtar hærentes &c. conſpici poſſent) lecto affixum hæſiſſe; jam vero, Dei gratiâ, ſcipioni innixum, per triduum proximum ambulare in cubiculo cœpiſſe, ſublatis maxima ex parte, uti voveo, qvæ Sereniſſimum urgebant, malis. *Taxam Medicamentorum* conceptam, præſtat ſupprimere, qvam typis mandare, ob rationem tuis litteris additam. &c. Nycopiæ 13. Martii 1638.

CCCCLXIX.

CCCCLXIX.

HFNR. CUSTERUS

D. Olao Wormio

ſniam.

DUplex non ità pridem beneficium á te accepiſſe me profi-
teor, & ſcriptionis tuæ, & doni, qvod miſiſti. Ipſa profe-
ſcriptio mihi, ut hactenus ſemper, gratiſſima, firmumqve
imi tui, ſic in me affecti, teſtimonium? Qvid de dono di-
n? breviter & fideliter, chariſſimum & elaboratiſſimum eſſe
ve á ſe mereri, in tabulas accepti cum filio ut referam:
icuit etiam ſummopere Corollarium, boni publici cauſâ an-
cum, minus, ut puto, mercatoribus gratum. Tradidi et-
n exemplar Theſium transmiſſarum Chirurgo-Medico noſtro,
icioſâ ſalute præmiſſâ; qvas per tranſennam qvaſi perluſtrans,
llas, qvod ſciam, gratias ad te perſcribendas mihi egit, di-
urus forſan in adventum ad vos, qvem, uti ſcribis, præſto-
is. Dictus Chirurgo-Medicus ægerrimè tulit, qvod literas ex
rmania á conjuge & amicis ad te miſſas, & ad ipſum huc
nittendas, á tabellario ordinario recipere nolueris; qvæ num
a necne, tibi conſtabit. Dici præterea neqvit, qvantas hic
turbas nobis det in aula, nihil rectum putans, niſi qvod
ſuo, tanqvam Jovis cerebro, unde meras ſcilicet projici au-
nat Pallades, profectum; nos reliqvos Boeotos eſſe, aut ver-
um in patria craſſove ſub aëre natos præ aliis exiſtimans,
em non ferens, ruinâ aliorum, ut videtur, famam qværens,
is viris detrahens. Nuperrimè enim in literis ad Regiam
jeſt. miſſis, in qvibus affectum Sereniſſimi delineavit, im-
ritò graviſſimè invehitur in Chirurgos, initio huic curæ præ-
tos, dicens hoſce Sereniſſimum peſſimè tractaſſe, ligamenti
joris paulò ſupra calcem intra & infra utrumqve taleolum,
omnia ſecula hactenus inauditâ, & nonniſi extremis Chi-
gorum, carnificum potius deliramentis digna, ſtultiſſima &
nte factâ inciſione, ipſiſſima cruce & nece digniſſima; cum
nen nullus unqvam Chirurgorum tale facinus perpetra-
it, ſic ipſo mihi referente Sereniſſ. Principe. Plura ut ad-

dam, Chirurgo-Medicus dictus, Chirurgum noſtrum ordinarium, virum in operationibus Chirurgicis clarum, cubiculô Principis prohibuit, qvò clam faciat omnia in pedis affecti curatione. Adverſus Pharmacopœum Principis plumbeas iras gerit, colaphos ipſi impingendos afferens, carceremqve minitans. De me qvid dicam? qvid mali malá ab hoc viro mihi objectum manu? & qvid advorſum me contechnatus? longos logos ne loqvar, me ſocium ſuorum conſiliorum & participem in Sereniſſima jam curanda habere renuit. - - Prohibuit inſuper Pharmacopœo ſeverè, ne receptas, qvas vocant, â ſe conſcriptas (præter vulgaria, qvod ſciam, nil continentes,) mihi det conſpiciendas. An verum hic illud Celſi: *parum qvi habet, parum ſibi detrahi patitur?* Verum autem ut fatear, qvantum meum fert judicium, æſtimo certè hunc Virum, in me licet injurium, ceu Chirurgum rationalem & expertum: In reliqvis, ſalva rectius ſentientium cenſurâ, ſibi ipſi videtur placere nimis, ſupercilium vertice altius geſtare, & maximè ſe efferre, fortunæ forſan proſperiori, & Principum gratiæ, raró alias hæreditariæ, confiſus: Qvam qvidem ipſi non invideo, ob virtutem in Chirurgia dictam, modò reverenter eam haberet; *neminem enim fallit, niſi qvem decepit*, Seneca teſte. De remuneratione laboris habiti ac habendi ab hoc Viro (omnia in aurem,) qvid addam? Primò cantharum maximum argenteum deauratum, uti & ciſtulam auream, conjugi ſuæ jam transmiſſam, cui diadema pretioſum impoſitum, jam accepit, unà cum qvadringentis imperialibus thaleris, ceu ſumtibus itinerariis â ſe expoſitis: accepturus adhuc, (ut fama hic fert,) duas catenas aureas, junctis effigiebus Sereniſſimi & Sereniſſimæ Principis; inſuper & ſummam ad minimum bis millium imperialium thaleror. Haberem plura de hiſce tecum communicanda, ſed temporis viduitas prohibet, nec tutò calamo confidere qveo; dabitur ſine dubio occaſio coram pluribus talia communicandi. Tu ſalve, tibiqve ſoli hæc ſerva; forſan in tuum qvoqve commodum. Sat ſapienti. Raptim Nycop. 4. April. 1638.

CCCCLXX.

CCCCLXX.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

copiam.

GRatiſſimum mihi fuit, ex literis tuis Sereniſſimi Princi-
pis valetudinem percipere, inprimis cum ad proſperiorem
dat. Faxit æternus ille DEus, ut ex voto cuncta ſuccedant,
principiis exitus reſpondeat, qvod omnes unice ſperamus
confidimus. Male ſit peſſimo iſti carnifici, qvi ita de corio
ti Principis ludere non ſit veritus. At mirari ſatis neqveo,
: hominum catharma non ſolum admiſſum, ſed & ob tot tamqve
iculoſos admiſſos errores tantis præmiis ornatum, qvanta
noſtratium qvispiam, etiam in arte exercitatiſſimus, re bene
ta, & Principe optime ex artis præſcripto curato, reportaret.
gnus fuiſſet catena, ſed ferrea. Te non admiſſum in conſilium,
ile mihi perſvadeo, cum nemo ſanæ mentis cum tali homi-
n faece commercium exercuerit, vel ex plebejis aut vulgo;
a qvod hoc hominum genus cane pejus & angve eruditos
in arte exercitatos fugiat, horrenda ſua prætendentes ſecreta,
qvæ nolunt divulgata. Ita effaſcinare mentes etiam Magna-
n norunt. Sed DEI ſingulari factum providentia, qvod oppor-
ıe Vir in Chirurgicis exercitatus ſupervenerit, qvi methodice
arte rem aggreſſus ſit, qvem (ſi Princeps porro morigerum ſe præ-
ıt) Voti & ſui & noſtri compotem futurum ſperamus. Deus
ro conatibus benedicat! Curavit me, ignotum qvamvis,
aliqvot amicos huc venientes ſalutari, qvocirca, ni mo-
um ſit, eidem viciſſim amicam ſalutem, meo nomine, nun-
re haud gravere. Mihi nihil futurum gratius, qvam, ubi
: appulerit, ejus alloqvio & converſatione oblata frui. Mit-
ſecundam meam *inſtitutionum diſputationem*, adhuc à prælo
idam, filii tui, optimæ indolis juvenis uſibus deſtinatam;
enim crepundiis hiſce, tyronibus noſtris deſtinatis, haud
ci, ſatis ſcio. Siqvid occurrat, in qvo me exorbitaſſe vi-
is, mone, & amico nil gratius præſtiteris. Corollarium,
od vides chartæ implendæ deſtinatum, paradoxum prorſus,

mihi bonum extorſit publicum & conſcientia, qvæ non permiſit me diſſimulare, qvod oculis & ſenſibus comperi ab aliis non animadverſum, & multis proficuum, licet noſtratium qvidam id ægre ſint laturi. Tria Tibi ſiſto exempla; tibi & filio bina deſtinantur, tertium *Dn. D. Helvico*, ſi eum hiſce capi putes, alioqvin alteri, cui lubet, amico. Vale, & amare perge. Hafniæ, ipſis vigiliis Paſchatos, 1638.

CCCCLXXI.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

Binis meis jam te affatus ſum, ſilentium verò tuum pro reſponſo hactenus mihi habendum fuit; tribuo tamen id omne diſtractionibus tuis, partim publicis, partim privatis, qvæ ſine dubio te mihi tamdiu eripuere, nec niſi cogitationem & affectum, uti omnino mihi perſvadeo, paſſæ ad me mitti. . . Res meæ loco antiqvo ſunt, â Mareſchallo noſtro ſpe vana lactati, de qvo pluribus aliqvando coram. Sereniſſ. Princeps meus valetudine minus firma fruitur ab eo tempore, qvo Medico-Chirurgi curæ ſe ſubjecit. Pes inducias, ſi non pacem, dedit; aſt lien, maligni ulceris, ut arbitror, fomes, turbas freqventes ac ſeditiones non leves movet, adeò qvidem ut appetitum fermè proſtraverit; â cœna enim Sereniſſimus præter conſuetudinem abſtinet omnino; pavores etiam in ſomno ſatis graves & freqventes animadvertens, non obſtantibus duobus fonticulis tam in pede læſo, qvam ſano, ex conſilio Medici-Chirurgi, &, uti rumor eſt, *Fabritii* qvoqve. Qvid novi iſti importaturi, inprimis is, qvi prope locum affectum, (nullâ præcedente Revulſione per fonticulum, in pede ſano exiſtentem, qvam tamen, ut noſti, medendi methodus ſuadet,) autumnus nobis dabit, ſed optanda optima, in firmam ſanitatem Principis, DEus bone! tam probi, ſi vix ſperanda. Nova in hac aula nulla, niſi qvod Vicarius Regni Daniæ *Ubrne* ante biduum Sereniſſ. Principis conviva fuit, & regiè exceptus, uno prandio, uti ferunt, ferculis centum & viginti. Rumor eſt,

D. Caſp.

D. *Caſp. Brochmannum* Theſes meditari adverſus opinionem ſingularem Generoſi Domini *Oligeri Roſencrantzii*, ſi qvid certi hac in re, edoce me, qvæſo, ſimulqve, niſi grave, Theſes communica mecum. Vale hiſce, amice &c. Salutem adſcribo *D. Finckio*, *Brochmannis* & *Egbrechtio*. Nycopiæ Falſtrorum 22. Julii 1638.

CCCCLXXII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

QVod votis tuis nondum omnia reſpondeant, aulicæ conſvetudini tribuendum; ſperandum tamen & ferendum, qvod mutari non poteſt. Vices Optimi Principis ſeriò dolemus, qvi toties excarnificatus adhuc, â perfectæ ſanitatis portu tam procul abeſſe cogitur. Dum lien & viſcera interna laborant, fruſtra pedis læſi grata ſperatur ſanitas. Ferunt, Medico-Chirurgum huc reverſurum, & ſedes fixas apud nos habiturum, qvod tamen certo aſſerere non valeo. *D. Brochmannum* publice qvidpiam contra *Roſacrantzium* moliri, non credo; ſed rumor forſan inde ortus, qvod Theologis noſtris qvædam ex *Roſacrantzii* ſcriptis cenſenda obtulerit Regia Majeſtas, de qvibus etiam conjunctim ſuas ſententias privatim ſcriptis ſuis ei obtulerunt. Sed hæc ſecretè adeo aguntur, ut nec illa, nec haſce videre, nobis reliqvis fas fuerit. Nova in Academia nulla, niſi qvod Eloqventiæ Profeſſor publicus, *M. Jacobus Matthiæ*, in aulam Regiam ſit vocatus, Reg. Majeſt. a concionibus futurus. Menſe Majo, ex mandato Regio Helſingoræ fui, pharmacopolium ibidem luſtraturus, ubi tui præſentis alloqvio fruiturum me ſperabam, ſed fruſtra. Dabimus poſthac utrinqve operam, ut certius & rectius literæ curentur. Vale. Salutant te officioſe noſtri omnes. Hafn. 28. Jul. 1638.

CCCCLXXIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

PErplacuit, Vir Clariſſime, qvod de natura morbi mecum per literas conferre haud ſis gravatus. Specioſa certe & probabilis prima fronte tua mihi viſa eſt opinio; ſed, re accuratius trutinata, nondum tanti momenti eſſe vidi, ut me præceptorum caſtra deſerere compelleret. Non enim video, qvo pacto, propriè loqvendo, dici poſſit, *morbi naturam in eo conſiſtere ſaltem, ut inſtrumentorum lædat ſanitatem.* Cum enim morbus contrarius ſit ſanitati, eam non tam lædit qvam tollit, imo potius ſublatæ ſuccedit. Et ut morbus eſt affectus contra naturam, ita ſanitas ſecundum naturam, qvæ ſimul ambo, lege contrariorum, ſubſiſtere neqveunt. Utqve ſanitatis eſſentia in potentia ad actiones,, ita morbi in impotentia conſiſtit. Nec inſtrumentorum ſaltem ſanitatem lædere dici poteſt, niſi morbos ſimilarium partium & ſolutionis continui excluſos velimus. Soli namqve morbi organici & ſolutionis continui inſtrumenta afficiunt. Accedit, qvod ſubjectum morborum ſint partes omnes tam ſimilares qvam diſſimilares ſeu organicæ. Qvin dum Dn. D. concedit, morbi contrarium nullum eſſe, præter ſanitatem, inde liqvido patet, morbum ſuum contrarium non tam lædere qvam tollere, & in aliud qvid agere, qvod manet, ſublata ſanitate, qvod eſt ipſa actio partium corporis.

Objicis:

(1.) *Morbum eſſe diatheſin ſanitati contrariam inſtrumentorum.* Concedo eſſe ſanitati contrariam, ſed non inſtrumentorum ſolum; &, hoc dato, nullam video ſeqvelam liqvidam ſatis: Qvicqvid eſt contrarium morbo, ab eo læditur. Verum eſſe poteſt, ſi contrarium præſens ſit, & in ſe mutuo agant, at, præſente & agente morbo, ejus contrarium ſanitas abeſt, ergo in eam agere neqvit. Ubi enim nullum eſt objectum, qvod actionem recipere poteſt; ibi nec actio.

(2.) Addis, *ſanitatem non eſſe actionem.* Certum: potentia

ia enim eſt. Inde ego infero, à morbo non lædi, ſed id, d eam ſeqvitur, actio.

(3.) Qværis, cur morbus opponatur actioni, non ſa- ti? Non opponitur actioni, ſed ſanitati; interim cauſa ſta- ur vitiatæ actionis. Qvando enim dico, *morbus eſt affectus er naturalis &c. actiones lædens*, perinde eſt, ac ſi dicam: *bus eſt non-ſanitas, qvam ſeqvitur actio læſa ut cauſam tus.*

(4.) Dices, *actionem, in qvantum eſt actio, non à ſa- te, ſed à partibus, tanqvam animæ inſtrumentis, immediate anare.* Qvod omni ex parte concedi neqvit, niſi per par- , pattes animæ potentiis dotatas intelligas, ad actiones eden- aptas & diſpoſitas. Hæ enim ſanæ ſanas, morbo infeſta- mminutas, depravatas aut nullas edunt. Qvocirca morbus immediate ſanitatem, qvæ abeſt, lædere poteſt, ſed acti- s, qvod ipſe fateri cogeris, dum addis: *Eamqve è ſubjecto pel- atqve in locum depulſæ ſanitatis ipſe ſuccedit.* Qvod ubi fa- n, per ſe lædit actiones, qvamvis, proprie loqvendo, non rbus, ſed morbi cauſa, pellat ſanitatem, qva ſublata, ſub- vitur morbus actiones lædens. Recte mentem meam aſſeqve- in vocibus primo & per ſe. Hiſce feriis ſilent apud nos cun- . *Dn. Eggebertus* (qvi periculoſe hiſce diebus decubuit, acce- itibus ad conſvetos dolores arthriticos hypochondriorum in- ionibus & ventriculi dyſcraſiâ) te officioſe ſalutat, ut & *chmannus* noſter, in Synodo Paſtorum unanimi conſenſu Epiſcopum electus, *Finchius*, reliqviqve omnes amici. vum hunc annum Tibi tuisqve proſperum ac feliciſſi- m apprecor. Vale, &, ut facis, ama. Haſniæ, prid. lend. Jan. 1639.

CCCCLXXIV.

HENRICUS CUSTERUS

D. Olao Wormio.

ſniam.

Ltera jam ſcriptione te occupo, priusqvam priori reſpon- deas; menſis enim fermè eſt qvod literis tuis proximis pro- lixè

lixè reſpondi, ſimulqve gratas grates egi pro Theſibus tuis benignè ad me filiumqve miſſis, qvas hiſce reitero. Statum noſtrum qvod attinet, diem & novercam & parentem, ut ſunt humana, experimur; qvamvis ego, DEI gratiâ, propter adauctum ad 70. imperiales ſalarium annuum, non habeam, de qvo conqverar, meá ſorte contentus; niſi qvod comperiam, ambitioſum qvendam per mei nominis aut officii ruinam parere ſibi gradum ad tantopere exoptatam nominis celebritatem; ſed non ſinet Deus, cui ſtudia mea curæ eſſe expertus jam pridem ſum. Sereniſſ. Dominum meum qvod ſpectat, is fermè heu! in priſtino luto hæret; unde & Medicus p. t. Regius ante bimeſtre tempus â Regia Maj. clementer huc miſſus, qvi & adhucdum hic hæret, utriusqve noſtrum verè amicus, (cui & Theſes tuas perlegendas dedi, imprimis de balænæ dente, qvas avidè deſiderabat & commendabat,) *D. Jacobus Fabricius*, compater meus, parum adhuc commendat, qvæ hactenus plenis buccis decantata de Seren. Principis reſtitutione in integrum, facinusqve peractum facilè intra gloriam manſurum mecum autumat; dicens, palliatum hactenus malum, non curatum, cœptum, non perfectum; ingens enim inflammatio pedem non ità pridem, jam dudum affectum, atroci dolore juncto invaſit; qvalis renovatio ulceris non infreqvens, ubi os ſubſtratum malè affectum: qvam cutis, ulceri maligno circumſtantis gangræna illicò comitabatur, ſine dubi brevi vires eundo acqviſitura, niſi principiis obſtitum, qvibus DEus benedixit clementer hactenus. ſed hæc in aurem. Qvid factum de Germano, qvi apud vos Hiſtoriarum Profeſſionem ambiit, in proximis me edocebis; de qvo jam hic ſilentium altum. Per jus veteris amicitiæ te oro, ut me commendes Dn. *D. Caſparo Brochmanno*, *D. Finchio*, cæterisqve DD. Profeſſoribus, qvorum cliens adhuc ſum; id ſi feceris, illuſtri beneficio me demereberis. DEus te publico & mihi meisqve incolumem diutiſſimè ſervet. Qvibus ſalve, & hunc inchoatum novum annum atqve alios felix & lætus vide; ſimul etiam per præſentium exhibitorem, *Ericum Bredalinum*, hujus ſcholæ Rectorem, amicum meum ſingularem, reſcribe. Nycopiæ 8. Januarii 1639.

CCCCLXXV.

CCCCLXXV.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

PRolixi tui in me affectus teſtimonia exhibuerunt ultimæ tuæ, qvas ad me dirigere haud es veritus, etiamſi reſponſum ad priores nondum acceperis. Qvod tamen nulla meâ culpa factum, mecum teſtabitur Bibliopola noſter *Moltkenius*, cui eas curandas tradidi. Illum ipſum, ultimas haſce tuas ubi accepiſſem, cum convenirem, de non curatis expoſtulans, ſancte aſſeruit, nullam hactenus ipſi oblatam commoditatem, præterqvam die ab illo tertio, qvo ipſas ſe transmiſiſſe retulit. Spero, me iis dubiis circa morbi à me poſitam definitionem ita reſpondiſſe, ut rationes non videam, cur à trita hactenus diſcedam ſemita. Gratum mihi, qvod Clariſſimo *Fabricio* non diſpliceant crepundia noſtra; qvantum fama accepi, humanum ferunt & eruditum, Regi valde charum; de facie nunqvam vidi. Spero eum aliqvando hoc venturum, ita amicitiam cum eo contrahendi occaſio dabitur commodior. Tibi, qvod ſint, qvi invideant, nil mirum, cum nemo bonus, qvi non ſuos habeat oſores, vel ob ſolam virtutem. Vulgò jactatur: Miſera fortuna, qvæ caret invidia. Tu contra audentior ito. Germanus noſter, ubi de maturanda diſputatione pro Cathedra in Conſiſtorio à Profeſſoribus fuiſſet admonitus, eò qvod adeſſent competitores, Viri eruditi noſtrates, ſtipendiarii Regii & alii, qvi cum eo geſtirent certare, hinc diſceſſit, nec ex eo, ubi ſit, aut qvid moliatur, reſcire potuimus. Nova: inſtinctu Divino, & hortatu amicorum, re ita exigente familiari, vitam hanc ſolitariam & ærumnoſam cum ſocia commutare in animum induxi, mihiqve honeſtiſſimi civis, tibi procul dubio noti, *Petri Motsfeldii* filiam elegi, cum qva, qvicqvid ſuperfuerit vitæ, placide tranſigere decrevi. DEus clementiſſime conatibus adſit, omniaqve dirigat in ſui Nominis gloriam noſtrumqve commodum & emolumentum. *D. Brochmanno*, *Finckio* aliiſqve Collegis, ut ſæpius, ita & jam te tuaqve comendavi, qvi officioſa ſalute Te impertiunt, amicorum muneribus haud unqvam defuturi. Vale, & me, ut facis, ama. Hafn. 22. Jan 1639.

CCCCLXXVI.

CCCCLXXVI.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

ITa eſt, Clariſſ. & Experientiſſime Dn. D. amice non uno nomine æſtimande, Ubi amicus, ibi opus. Exemplum apud me habes, aliunde ne petas. Longius ne abeam, idqve ſolum, qvod res eſt, ut dicam; Regiæ, hiſce junctæ, ad me miſſæ ſunt literæ, de Canonicatu meo Londinenſi, non ità pridem accepto, agentes; qvas primâ oblatâ occaſione, ſed certâ, ad Dn. Epiſcopum Londinenſem *D. Winſtrupium* ſi miſeris, inſigni beneficio me demereberis. Nova, qvod ſciam, hic nulla, niſi qvod in nuptiis ultimo hujus menſis celebrandis aula ſit occupata tota; qvibus finitis, rumor eſt Sereniſſimum in Holſatiam illicò iturum. In hunc finem in Rödby, Lollandiæ freto, adornantur octo naves, 4. Julii, niſi qvid impediat, ad iter parandæ ac ineundæ. In cauſa *Dn. Tychonis Brahe* contra *M. Tancredum* qvid actum aut concluſum, plus ſemel ex me ſcrupuloſè ſciſcitatus eſt Seren. Princeps meus; facies mihi rem gratam, ſi in reſponſo tuo ad haſce dicti negotii mentionem feceris. Actorem Actorum transmiſſionem ad Germaniæ Academiam qvandam meditari, ex fide digno habeo, niſi res tranſigatur. Hiſce vale &c. Nycopiæ raptim 17. Junii 1639.

CCCCLXXVII.

OLAUS WORMIUS

D. Cuſtero.

Nycopiam.

ACtionem qvod attinet *Brahei* in *Tancredum*, replicam ſuam ſatis dentatam ubi produxiſſet Dominus *Tycho*, auctores omnes fuimus *Lalio*, operam daret, amice ut omnia per intercesſores componerentur, cumqve alios non haberet in promptu, me rogavit, hoc munus ut ſuſciperem: Feci lubens, qvantum potui, tantumqve effeci, ut Dn. *Tycho* totam actionem per

ſpatium

itium menſtruum in ſuſpenſo reliqverit. Interea aliorum o- utetur *Lælius*, componi totum ut poſſit. Rem omnem for- ı tibi exponet pluribus ipſe Tycho, ad vos ubi venerit. Va- , Vir amiciſſime, & ſi qvid ſit, qvo me tuis commodis prod- : poſſe putas, non jube modo, ſed impera; promptiorem ›ebis neminem. 1639.

CCCCLXXVIII.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
OL. WORMIUM.

Ræter Canonicatum dictum, clementiſſimam promiſſionem Regis generalem de Vicariatu in qvocunqve Capitulo, ›ximè qvi vacaverit, habeo, (ſed hoc in aurem.) Qvod ſi ıve de qvodam jam, vel inpoſterum, vacante, & lautiori, i conſtiterit, meqve maturè monueris, prolixè me demerebe- hocqve iterum iterumqve te rogo, oro & ſeriò obteſtor. Dies Se- iſſimi Principis itineri, Gluckſtadiam ituri, dictus eſt dies Julii. Generoſus *Dn. Tycho Brahe*, qvantum mihi conſtat, us adhuc in fermento, dilaturus actionem ſuam poſt partus ıpus, qvod feliciſſimum voveo. Salutem adſcribo DD. *Fin-* › & *Brochmanno.* Generoſus *Dn. Roſencrantzius* ſuam *Apo-* *am* Sereniſſ. Principi meo hodie obtulit ſcriptam. ſalve & me a. Nycopiæ Cal. Jul. 1639.

CCCCLXXIX.

HENR. CUSTERUS
D. Olao Wormio.

Romiſſo ut ſatisfaciam non ità pridem coram dato, Clariſſ. Dn. D. amice amiciſſime, ſcatulæ præſenti obſignatæ im- itam mitto mappam convolutam, ut & panem, qvo Perſæ nmuniter utuntur, huncqve cultro minime ſcindunt, ſed

juxta

juxta longitudinem manibus in comedendo divellunt. Tu hæc inter κειμήλιον, ſi lubet, repone. Rariora teqve digniora ſi haberem, lubentiſſimè communicarem.

Veſter recens natus Anatomicus, Aulæ noſtræ Medicus audire petiit (Beſtalter von Hauß aus, ut vocant Germani,) per Secretarium noſtrum, cujus intimus eſt, ſua officia Sereniſſ. Principi meo offerens; aſt illico repulſam paſſus: qvod facinus ſtultum Generi Socer reſciſcens ægerrimè tulit. Sed hoc in aurem, Tibiqve ſoli - - - Nycopiæ Falſtrior. 13. Novembr. 1639.

Generoſum *Dn. Joſt Hög* officium ſuum Soræ reſignaſſe, haud te fugiet.

CCCCLXXX.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam

LAtuere aliqvamdiu apud me Dni Epiſcopi Lundenſis literæ, qvibus incluſas eſſe arbitror Regias, qvas ipſi Capitulo offerendas miſiſti. Eas etiamnum penes me detineo, cum non occurrat, cui tuto credere poſſim. Has eo fine ad te jam do, ut, ſiqvis à Vobis huc ablegetur, cui eas committendas putes, moneas. Qvod tibi gratum intellexero, expediam protinus. Nihil apud nos novi; nam de *Elephante* fœmina, qvam huc advexit mercator qvidam, dudum te inaudiviſſe reor. Bellua eſt magnitudinis vaſtæ, & ſupra qvam credi poteſt, docilis; proboſcide ea perficit, qvæ melius nemo hominum dextrâ; ſaltat, choreas ducit, ſtricto enſe adverſarium provocat, genua flectit, ſcopis ſeſe purgat, linteo tergit, caput pileo tegit, & detegit, ſeſſores admittit; in ſumma, qvævis à Magiſtro imperata confeſtim exſeqvitur. Vale & annum hunc novum feliciter tranſige. Hafniæ, 24. Jan. 1640.

CCCCLXXXI.

CCCCLXXXI.

Ex literis

HENR. CUSTERI

ad

OL. WORM.

DE Elephante qvæ memoras, Sereniſſ. Principi meo retuli, qvi jam ad vos ivit cum Sereniſſima, viſum vaſtum ſæ- :qve iſtud animal. Literas Epiſcopales apud te latentes, bus incluſæ Regiæ, qvas Capitulo legendas olim miſi, pe- præſentium exhibitori *Gabrieli*, Sereniſſ. Principis mei Mu- præclaro, huc deferendas tradi, ac ſummopere ſimul nmendari, propter Regias iis incluſas - - - Nycop. Februar. 1640.

CCCCLXXXII.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

REdux non ita pridem ex Holſatia & Jutlandia huc fa- ctus, non potui non ad ſcribendi officium, tibi, ut ami- ſimo, debitum, redire, ſalvere ſimul & valere cum tuis hoc noviter inchoato anno te plurimum jubens. Peregrina- noſtra, ſub brumam licet inſtituta, hactenus ſatis feliciter ſit, DEI gratiâ; niſi qvod Sereniſſ. Princeps meus de ſua pochondriaca affectione adhuc circa primas noctis horas con- eratur; ſi non ſingulis, alternis tamen noctibus utplurimum. gis perſonæ Medicus ipſi utendum ſuaſit *Pulverem ſtomacha- Qvercetani*, *ex rad. Pimpinell. Aron. Ocul. cancr.* &c. ut *pilulas*, parum admodum â noſtris differentes, niſi qvod *ina aliqvot Maſtichis & ſpec. diatr. ſant.* addita habeant. ſuc- ſum poſthac videbimus. Ita eheu! ſit apud Magnates; ſi n ſtatim juvemus, ad alios & alia tranſeunt. aſt aliter *Hippo- tes 2. Aphor. 52.* ſed tranſeant hæc. De aulico Conciona-

tore noſtro ſine dubio ad te relatum, ægerrimè tuliſſe Regiam Majeſtatem, qvod Panegyricam ſuam Concionem, juſſu Reginæ Sveciæ non ità pridem Nycopiæ habitam, (adulatoriam â Regiâ Maj. appellatam,) publicæ luci dederit, & Hamburgi typis imprimi curaverit: qvam typis impreſſam, ſeriò & ſub indignationis Regiæ pœna, (fama uti fert,) ſupprimere juſſus; niſi qvod Reginæ pauciſſima exemplaria communicare ipſi indultum, octo vel decem. Sed hæc in aurem; malim enim te hujus rei hiſtoriam ab aliis, qvam â me percipere. Vale. Anderſchoviæ 13. Januar. 1641.

P. S. Regina Sveciæ Gottorpii hybernatura. Judicium tuum de Judæi *Zacuti* Amſterodamſis *Operibus Medicis* præſtolor, mihi nondum lectis aut viſis, â Regis noſtri perſonæ Medico Præfatione ornatis, mihi ut relatum.

CCCCLXXXIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

HAbes hic unà exemplum *Diſſertationis* meæ de *aureo Cornu Principis*; boni conſulas, qvæſo, & in meliorem cuncta interpretare partem, ſi qvos roſores apud vos habere animadverteris. inſtigatus ab aliis, hoc ſubii laboris, qvo eventu, dies dabit. Principi ſe oblaturum ſpopondit *Geſtrupius*, qva fronte eam excepturus ſit, avidus exſpecto. Tu, qvæſo, me de ſingulis mone. *Zacutum* qvod attinet, minor ſum qvam ut de ejus Operibus ſententiam feram. Vir eſt multæ Lectionis, in arte probe exercitatus, qvi *Galeni* & Principum Medicorum preſſè legit veſtigia, recentioribus qvandoqve parum æqvus; utilem certe Æſculapii filiis navavit operam, ſed in qvibusdam judicii deſidero ἀκρίβειαν. Sex mihi ſunt tomi Operum, in Octavo editorum, de *Hiſtoriis Principum Medicorum*, ſed in nullo invenio præfationem Medici perſonæ Regis. Sponſum noſtrum qvæ moverint, *Gagelmannum* ut præterierit, cum ignariſſimis ignoro, nec eum niſi ſemel vidi, ex qvo apud vos

unà

nà fuimus. Invitatus, promotioni Doctorali aut diſputationi intereſſe noluit; ſe plane à noſtro conſortio & ſocietate Academica alienum gerit. Vale, &, ut ſoles, fave. 1641. anuar.

CCCCLXXXIV.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

QVas per Generoſum Dn. *Gerſtorfium*, Aulæ noſtræ decus eximium, jam ſponſum, ad me miſiſti literas, junctis *Theſibus* inauguralibus & *Diſſertatione de Aureo Cornu* Sereniſſ. Principis mei, ritè accepi. Perqvam grata Sereniſſ. Principi, tuo nomine â me oblata, Diſſertatio iſta fuit, (*Gerſtorffio* enim ob nimiam in Fioniam & Cimbriam feſtinationem non data Sereniſſimum adeundi copia;) ne qvid dicam de Sereniſſima; qvæ exemplar meum illicò etiam expetiit, Gottorfiam mittendum, qvod huic denegare minimè auſus fui, dolenti Germanicè aut Danicè non editam. Princeps ipſe diligenter Diſſertationem perluſtravit, & hactenus, â qvo tempore ſubmiſſè dictum librum ipſe obtuli, nullum prandium, nec cœna nulla præteriit, qvin honorifica ejus ſit facta mentio: Commendat non ſolum genuinam Cornu delineationem, ſed præter reliqva, illa inprimis, qvæ ex Danicis Hiſtoriis optimè deducta & allegata. Nec dubites velim de compenſatione, & inprimis de poculo argenteo aurato ampliori, poſteaqvam Nycopiam reverſi fuerimus, uti ſpero & voveo. Judicium tuum de *Zacuto* mihi acceptum. Coronidis loco addo, Ser. Principem mihi ſeriò in cœna heſterna injunxiſſe, ad te ut ſcriberem, teqve rogarem, num â te unqvam viſus & perluſtratus Lapis in Falſtria; (ni fallor, propè Stubcopiam,) ad maris ripam ibi erectus, aliqvot ulnas longus, Runicis literis ornatus. De quo nil tibi ſi conſtiterit, Sereniſſimo ſtat ſententia, reduci in Falſtriam facto, te iſtuc arceſſere, qvò certior fiat te interprete, qvid ſibi literæ iſtæ lapidi inſculptæ velint. * * * Anderſchoviæ 25. Januar. 1641.

CCCCLXXXV.

OLAUS WORMIUS

Henrico Cuſtero.

GAudeo, haud diſplicuiſſe Sereniſſ. Principi conatus meos; tibi verò gratias ago ingentes, qvod formâ meliori eidem eos offerre haud ſis gravatus. Niſi ſe ſponte hic obtuliſſet *Geſtrupius* noſter, animus erat te ſollicitandi, ut eo, qvo jam defunctus es, munere, meo nomine, haud invite defungereris. De lapide, qvi prope Stubcopiam in Falſtria extat, nihil hactenus inaudivi, qvin valdè dubito Runicis eum exaratum eſſe literis, ſiqvidem ante annos non ita multos ad omnes Epiſcopos & Provinciarum Præpoſitos literæ devenere Regiæ, ut Paſtoribus per totam Daniam & Norvegiam injungerent, ſollicite ut in ejusmodi inqvirerent monumenta, eaqve deſcripta cum omnibus circumſtantiis huc transmitterent, qvod etiam factum, ſiqvidem collectanea meæ fuere poteſtatis. Aut igitur mala fide nobiſcum egerunt Falſtrienſes, à qvibus plane nihil accepimus, aut noſtris literis inſignitus non erit lapis. Ex Lalandia qvæ accepimus, transmitto, qvorum deſcriptionem & explicationem cum reliqvis, qvæ in Dioeceſi extant Fionienſi, dabit *Liber IV. Monumentorum* noſtrorum, ſiqvando lucem viderit. Qvantos fecerim ſumptus in hiſce colligendis & exprimendis, effari non audeo; ſed qvid inde commodi? Niſi ſuccurrat Rex, peſſum ibunt omnia. Qvod ſi Sereniſſimus Princeps lapidem hunc depingi curaret, atqve ad me transmitteret, locum inter mea inveniret; ſed ut ego meis ſumptibus, relicta praxi, ex qva lucelli aliqva ſpes, eam ſolum ob cauſam in Falſtriam eam, nullius favoris ſed magni oneris loco ducerem. Tu, qvantum potes, diſſvade, cum per alios expediri id commode poſſit. Paſtori loci hoc injungatur negotii, pictorem qvi ſibi jungat Serniſſimo Principi à ſervitiis. Mea nec valetudo nec conditio tot ſuſtinet labores incaſſum. Alibi tempus ac ſtudia Antiqvitatibus qvi impendunt, amplis remunerantur ſtipendiis; hic, ut video, oneribus gravare ſatis ducunt. Qvia, qvod tibi miſi exemplum, vendicarunt alii, aliud mitto, qvod tibi ſerves. Addo tentamenta Germanica, qvibus Bibliopola noſter

ter *Moltkenius* vulgo gratificari conatus eſt, qvæ inter a-
:os noſtros in Aula, qvi Lingva minus delectantur Roma-
, meo nomine ut diſtribuas, rogo. Vale, fave. Haſn.
Jan. 1641.

CCCCLXXXVI.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

)Fficium in eleganti (Seren. Principis mei verbis ut utar, ità ſim ſalvus,) & jucunda Diſſertatione tua, de *Aureo nu*, offerenda adeò amplas non meretur gratias: feci in eo, d amico debui, facturus poſthac qvoqve, ne laboris exant- te poeniteat. Commendavit eandem Diſſertationem ſummo- : coram Sereniſſ. Principe Pro-Rex *Ulfeldius*, referens ſe do- eandem à te, ni fallor, accepiſſe. Pro exemplari optimo uò traſmiſſo, gratas tibi grates habeo. Exemplaria Germa- ı (uno excepto, mihi ſervato,) avidè expetiit Sereniſſi- , Gottorfiam ea qvæ mittet. Lapidem Falſtricum ad maris ıs, duobus fermè milliaribus â Stubcopia ſitum, Runicis li- s ornatum, pertinaciter adhuc defendit Sereniſſimus, fretus imoniis Regiæ Majeſtatis, Archi-Epiſcopi FRIDERICI, Do- æ *Wibicka* & aliorum claræ famæ Virorum. Qvamprimum alſtriam redierimus, (qvod poſt menſem fiet, Deo juvan-) anxiè eum inqvirere Principi ſtat ſententia; qvo facto neationem deſideratam ut habeas, faciam. ſin minus, ad- :xantlatis laboribus id unum, & clementi vocationi Princi- obtempera. Comperies re ipſâ immunem te non abiturum Falſtria, ſi non erravero. Vale. Ex arce Anderſchoviana 'ebr. 1641.

CCCCLXXXVII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Cuſtero.

:opiam.

|Um hiſce diebus Monumenta Runica, à me collecta, per currerem, incidit illud, qvod hyeme præterita ad me de

 Lapi-

Lapide Falſtrico, nomine Sereniſſimi Principis, ſcripſiſti. Inqviſivi diligenter apud Studioſos & alios, qvi in veſtrâ nati provincia, an aliqvid fando de eo audiverint, aut eum unqvam viderint, ſed negabant ſtrenue. Ut igitur certus hac de re ſim, qvæſo, proxima data commoditate indicare haud graveris, an Sereniſſimus Princeps in eum inqviri juſſerit? qvid invenerint? ubi locorum extet? Si aliqvid ſubſit, non negligam occaſionem ad vos excurrendi, viarum ubi lenita fuerint tædia, mihiqve ab ægrorum cura aliqvantulum reſpirare licuerit. Vale, & more tuo fave. Hafn. Calend. April. 1641.

CCCCLXXXVIII.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

NUnc tandem, poſt aliqvas moras, ſcribendi occaſionem nactus, certiorem te facio, Seren. Principem meum Lapidem iſtum, de qvo antea ſcripſi, inveſtigari curaſſe ſolicitè, non procul à Stubcopia, in maris littore, ubi perhibent eum ſitum fuiſſe; Paſtoriqve iſtius loci in mandatis dediſſe, ulterius in eundem diligenter ut inqvirat, qvi ſi qvid invenerit, faciam ut ſcias, primâ occaſione. Aulæ noſtræ ſtatum qvod attinet, ſcito eum ſatis bene Dei gratia habere. Acceſſit nos heri ex improviſo *D. Dieterich Helvich*, viſitaturus Sereniſſ. Principem meum, offerens ſimul ipſius Celſitudini ſua officia ac miniſteria, mirè, ut audio, ſimul deprædicans, qvam lautis vocationibus Rex Poloniæ, aliiqve innumeri Principes Viri ſeſe ſolicitaverint. Qvandiu & in qvem finem hic manſurus, (Vocatorias â Sereniſſimo, niſi erro, ut impetret, proximæ meæ te plenius edocebunt. Cæterum, chariſſime Dn. Doctor, octriduum eſt factum, qvod Sereniſſ. Princeps meus mihi retulerit, de *aureo cornu* opinionem aliam, â tua aliqvantò diverſam, literis eſſe conceptam. Hanc avidè videre & legere expetens, enixè rogavi Generoſum Dn. *Gerſtorfium* noſtrum, iſtarum literarum copiam mihi ut faceret, qvod cum impetraſſem, non potui non, tui inprimis in gratiam, easdem, prout Ser. Principi fuerunt oblatæ, deſcribere, tecumqve amicè communicare,

re. Tu, poſtqvam eas perlegeris, certâ occaſione facies, ut
cipiam chirographum meum. Qvod ſi etiam tibi libuerit,
ntentiam tuam de iſtis literis aperire, certò ſtatuas, me fide-
er eam Clementiſſ. Domino meo, ut & doctiſſimo Dn *Gerſtorſ*
, mei amantiſſimo, relaturum; manſurus interim tuus tuo-
mqve amicus conſtantiſſimus: ità ſim ſalvus. Qvod ſi Archi-
r Regius Dn. *D. Jacobus Fabricius* reverſionem ad vos
rerit, ſalutem ipſi meo nomine dicito plurimam, ut &
D. Finckio ac Epiſcopo *Brochmanno* &c. Nycop. 21. A-
il. 1641.

CCCCLXXXIX.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

QVas ante octiduum, nempe 20. Aprilis ad te dedi literas,
qvibus juncta erat *Epiſtola de aureo cornu Sereniſſimi Princi-*
, ad Generoſ. *Dn. Gerſtorſium* ſcripta â D. *Ernſtio*, ad ma-
s tuas perveniſſe vix ambigo, reſponſum, juncto autogra-
o meo, certa occaſione præſtolans. De Lapide Falſtrico Ru-
cis literis inſcripto, â Reg. Majeſtate olim viſo, necdum
n reperto, ad te qvoqve ſcripſi; qvi ſi poſthac comparue-
faciam ut ſcias. *D. Dietrich Helwig* per octiduum hic commo-
us, hodie Nycopiâ relicta, Hamburgum, indeqve Dresdam
t, poſt bimeſtre nos reſalutaturus, uti retulit, anchoram hic
vens: qvâ intentione, literis credere necdum auſim; for-
ı aliqvando coram narraturus. * * * prid. Cal.
ıji 1641.

CCCCXC.

OLAUS WORMIUS

Henrico Cuſtero.

ıcopiam.

AMoris & candoris tui in me haud leve edidiſti ſpecimen
Cuſtere Clariſſime, dum me participem iſtius epiſtolæ ad

Principem miſſæ reddere dignatus es; in qva cum Auctor & gentem noſtram falſe perſtringere viſus mihi ſit, & me nonuno in loco meamqve diſſertationem vellicare, ſimulqve nihil adferre, qvod ad rhombum faciat, non potui non eam expendere & examinare. Acrior forſan ſi tibi viſus fuero, hoc hominis impudentiæ tribuas, qvi totus in eo eſt, ut noſtras antiqvitates elevet, & Danici nominis odio nil non molitur, aureum iſtud cornu nobis ut auferat, & ſuis Rugianis vindicet. Nomen interim diſſimulavi & crimen ab ipſo qvantum potui, amovere conatus ſum, cum mei nominis etiam non faciat mentionem, & longe doctiora noſtræqve genti acceptiora ab ipſo ſemper exſpectaverim. Tu, qvæſo, Nobiliſſimo *Gerſtorſio* offer, & ad Sereniſſimum Principem ut perveniat, cura, ut intelligat, qvam præclaris rationibus fretus, nobis tam eximium κειμήλιον eripere ſatagat, & ſciat eſſe, qvi ejusmodi ineptias intelligant. Regiæ Majeſtatis ferium hiſce diebus accepi mandatum, qvo jubeor ad vos me conferre, inqviſitum lapidem iſtum, de qvo ſcripſiſti; qvam vellem inventum ante meum adventum, ne nimium mihi faceſſeret negotii; Me igitur brevi exſpectabitis, ſi DEus voluerit. Tu iterim fac, & cura, hæc ut expendantur. Nycopiam ad vos ſi venero, de aliis pluribus. Vale. Manum tuam remitto.

CCCCXCI.

HENRICUS CUSTERUS

D. Olao Wormio.

OFficium tibi exhibitum in transmiſſa epiſtola adverſarii inſperati tui, gratiam non meretur; Feci ita eo qvod amico debui, condolens interim iſtam Epiſtolam tam freqventem tibi nauſeam, uti ſcribis, excitaſſe. Notas & animadverſiones tuas ſtudioſè perlegam; & poſtmodum cum Nobiliſſ. *Dn. Gerſtorſio*, amplo iſto aulæ noſtræ decore, & optimè de me merito, communicare, ipſiqve, uti petis, offerre ſtat ſententia. nec eſt qvod dubites de excuſatione ulteriore petita, de qva plenius coram. Ego, ſalvo rectius ſentientium judicio, vix patior mihi perſua-

perſuaderi, hoc aureum cornu poculi vicem ſuſtinuiſſe olim, tum ob rationes â te adductas, tum qvod tam exactè absqve ullo operculo ab antiqvitate ad centenas uncias fabrefactum animadvertam; duas enim iſtas drachmas cum à cœno purgaret ac qvisqviliis aurifaber, dumqve particulam aurifabro examinandam offerri curaret puella Dana, periiſſe, nec operculum conſtituere potuiſſe cenſeo. Multò minus poſſum illi adſentire ſententiæ, qvá dicitur opulentiſſimum Rugianum theſaurum, ex inſulæ Rugiæ metropoli Arcona, (hæc enim idolum habuit, genti ſacerrimum, *Svantevit*, qvaſi *Sanct Vit* appellatum) *Woldemarum Primum* ſecum in Daniam attuliſſe; cum non ſolus *Woldemarus*, ſed ope *Caſimiri* & *Bugislai*, Pomeraniæ Principum, ceu amicorum tum temporis, Arconam, iſtiusqve idolum everterit, uti *Petrus Lindenbergius* in ſuo *Chronica* Roſtochii a. 1596. edito, *lib. I. c. 7. p.* 32. teſtatur: qvi procul dubio haud permiſerunt, tam amplos theſauros ex ſua ditione per amicum, in regnum peregrinum avehi. ſed hæc, ut dixi, ſtentqve cadantqve rectius ſentientium judicio. * * * Nycop. 3. Maji 1641.

P. S. *D. Dietrich* Gottorffiam, & inde Dresdam ivit, poſt bimeſtre huc reverſurus, qvô fine dies docebit. Depoſuit hic interea apud aulæ Concionatorem, uti ferunt, amplam pecuniæ ſummam, 3000. imperiales.

CCCCXCII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

A meo diſceſſu nihil ad te hactenus dedi, qvod opportunitatem, qvam mihi jam cum *M. Marco* ſuggeris, exſpectaveram. Valemus adhuc Dei gratia, & vivimus; ſed ea ipſa nocte, qvam præcedente die ad vos abieram, ingens incendium in domo Regiis Eleemoſynariis deputata exortum eſſe, te inaudiviſſe non dubito; in ea maxime res meæ periclitabantur, ſed ſingulari providentia Divina, Regiæqve Majeſtatis cura

 factum,

tactum, latius ut non ſerpſerit malum. Bibliothecam amiſit ſocer *Finckius*, & ſuppellectilis atqve æris ſummam haud exiguam. Annona alumnis deputata maxima ex parte igne conſumpta; vaſtitas atqve hiatus in area Collegii ingens. Reſarciri damnum hoc haud facile poteſt. DEO optimo maximo gratias debitas agere neqveo, meos meaqve illæſa qvod ſervaverit. Ex qvo apud Vos fui, hæc in cauſa adverſarii acta ſunt: Scripſit mihi epiſtolam, in qva vehementer conqveritur, verba ſua in alienum ſenſum à me diſtorta, eamqve per affines meos miſit, *Stephanum* & *Drachardum*, qvi voce retulerunt, ipſum non putaſſe, rem ita caſuram, expetere nihilominus, firma inter nos ut maneat amicitia. Reſpondi per epiſtolam, amici munere ipſum haud defunctum eſſe, me inſcio epiſtolam inter ſuos dum ſpargit, meæ apud Principem exiſtimationi haud parum obfuturam; nihilominus habiturum me in utrumqve paratum, ſeu pacem ſeu bella movet. Hoc credo eſſe reſponſum, qvod ad mea moliri ſe ſpargit apud ſuos; ſin aliud, mutum me non inveniet Halecem Rugianum. Huc demum appulit, ut inaudivi, (non ut à conſiliis eſſet *Comiti Woldemaro*, ut ſpargit) ſed ut me apud Magnificum Dominum Cancellarium accuſaret, ut demum animadverti. Ab ejus enim abitu ad cœnam me vocavit, ubi inter reliqva familiaria retulit conqveſtum de me eſſe, i. e. nimis duriter à me qvod fuerit tractatus; cui reſpondi, ſibi ipſi hoc imputandum, qvod primus camarinam moverit, qvodqve ſe indigna ſcripſerit, utqve hoc conſtaret, obtuli reſponſum meum, utqve eo pellecto, an ipſi injuriam facerem, judicaret, ſubmiſſe petii; altera enim parte inaudita, ſententiam ferre eum non poſſe. Ac valde gaviſus ſum, tam commodam mihi oblatam occaſionem Apologiam meam ei inſinuandi, qvam ante non viderat. Ex eo nihil plane de adverſario audivi. Mox ut domum veni, cum *Bangio* de debito tuo egi, is refert, *Tanderupium* in Norvegia tenui adhuc valde ſtipendio Comminiſtrum agere Sacerdotis cujusdam, ſe per literas de debito, prima qvaqve commoditate, moniturum. Interim, ſi mora aliqvalis Dom. D. non foret moleſta futura, ut cum fœnore gratus ſolvat. Filio, meo nomine, ubi ſcripſeris, gratias age maximas; faxo, ut me viciſſim in ſua commoda paratum inveniat. Qvas ad eum mihi dediſti literas, nondum

lum curavi, qvod junctam velim meam Epitomen. Va-amice conſtantiſſime, 2. Jun. 1641.

CCCCXCIII.

Ex literis HENR. CUSTERI ad *OL. WORMIUM.*

Ro ſeminibus *Herba viva* transmiſſis gratias tibi ago. Ob-tuli ea illico Sereniſſ. Principi meo, qvi hortulano tradidit :ommendavit. Tibi num fœtum Flora benigna de retentis, *D. Sperlingio*, qvem officioſè ſaluto, indulſerit, edoce me, :ſo. Nova, qvod ſciam, hic nulla, niſi qvod Ducem Hol-æ exſpectemus, ut & Ducem Lauenburgenſem, Hambur-degentem, qvi Viduam *Bethlehemi Gaboris* duxit in uxorem. o in loco res tuæ verſentur cum adverſario, ex literis tuis nè animadverto. Is hic per menſem ferme latuit, & adhuc n apud ſocrum, indies iter Soram, ut ait, maturans, mo-a tamen interim ex mora nectens, qvo fine, mihi incomper-n: Num reditum noſtri *Gerſtorfii* præſtoletur, præterit me. nqveritur ſæpe ſæpius, tecum in arenam qvod deſcenderit, qve verba â te in ſenſum alienum, ſi non pravum, diſtor-aſſerit. De amicitia, qvod ſcribis, oblata qvid tibi promit-e valeas, pro tua prudentia, qvâ polles, habes per te, qvod ligas. Retorſionem ſub manibus adverſarium premere, cer-n eſt. Aulæ Magiſter noſter Sereniſſimæ hic ſparſit, (ex njuge mea qvod habeo,) adverſarium tuum dicam tibi pro-l dubio in proximis Comitiis regni ſcripturum. Adverſarius :m ponit maximam in Cancellario Regni, litem componen-m fore. *D. Dietricum*, veſtimentis ſuis, ſupellectiliqve toto nudatum ac ſpoliatum â militibus Germanicis, (ut refert Se-iſſimus,) indies exſpectamus, qvò pedis, tibi noti, fre-enti & antiqvo ſuccurrat dolori; aſt hoc in aurem. Vale &c. ſc. 11. Julii 1641.

CCCCXCIV.

CCCCXCIV.

OLAUS WORM

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

SErius tuis qvod jam reſpondeam, adverſæ meæ valetudini eſt qvod adſcribas: de ſcala enim præceps delapſus in ſiniſtrum hypochondrium partium vicinarum ipſius etiam diaphragmatis doloribus aliqvamdiu excarnificatus, jam primum liberius aliqvanto reſpirare incipio. Molitiones adverſarii ne tantilli facio; Ejus *Apologiam* ubi videro, ni firmioribus nitatur rationibus qvam reliqva ab ipſo edita, faciam, ut me non elingvem experiatur. Fulgura ex pelvi ſunt, qvæ de Comitiis minatur. Qvæſo, ſi in aula qvid ſparſerit, fac habeam. Nihil plane aut mihi aut *D. Sperlingio* ex transmiſſis enatum eſt ſeminibus; carioſa fuere maxima ex parte, &, ut arbitror, ob vetuſtatem vi omni prolifica deſtituta. An veſter Hortulanus nobis fuerit felicior, proxime docebis. *D. Dietericus* nuper Helſingoræ fuit; ajunt enim eum Regiomontum iviſſe, familiam ſuam Nycopiam ut transportaret, conſtituiſſe namqve apud vos nulli obnoxium privatam agere vitam. An ita ſit, videbimus. Librum hunc data opportunitate ad *M. Marcum* deferri ut cures, amice rogo. Officioſe te ſalutat *Brochmannus*, *Finckius* & reliqvi. Vale. Hafn. 7. Auguſti. 1641.

CCCCXCV.

Ex literis

HENR. CUSTERI

ad

Olaum Wormium.

DE *D. Dietrico* ſi qvid habes, edoce me qvæſo: altum de eo, â qvo tempore nos ſalvere ſimul & valere juſſit, hic ſilentium. Ex Aula Gottorfiana ſub 9. Julii, ab Archiatro *D.*

Oslero

Oilero hæc habeo, ſeqventibus verbis: „ *Zobelius* ex cura ac „ ſtudio á Regina reportavit ducentos imperiales, honorarium ſa- „ nè huic Medico ſatis amplum. Inſuper & hoc moneo, *D. Die-* „ *tericum*, (qvi nuper, ut audio, in Archiatrum Illuſtriſſimi „ Principis veſtri receptus fuit, & pro annuo ſalario meretur „ 500. imperiales,) ad nos ex Dania rediiſſe, & idem qvo- „ qve obtinuiſſe apud Illuſtriſſ. Principem noſtrum, & per ab- „ ſentiam Archiater lucratur annuatim 250. imperiales, liberas „ ædes, & ligna neceſſaria rei domeſticæ. Habitabit Chilonii „ cum familia ſua. Obtinuit hanc functionem ex eo, qvod „ promiſerit ſcrophulam cujusdam Nobilis puellæ ex Gynæceo „ noſtro, qvæ hæret in glandulis colli, & ad magnitudinem ovi „ anſerini jam excrevit, radicitus tollere; de qvo ego, for- „ ſan & ipſe Medicus mecum, nunc ut antea, qvam maximè du- „ bito. Caveat ſibi ab infamia, ni res feliciter ſucceſſerit: „ Nam acceptis literis ſtipendiariis, ſtatim altero die iter mo- „ liebatur, nimis maturando, qvod mihi magnam movit ſu- „ ſpicionem. Hæc ille. Qvod verò *Dietricus* in Archiatrum receptus â Sereniſſimo, de eo nos adhuc in noſtra, qvod ſciam, Aula nil certi habemus. Vocatorias eum necdum accepiſſe certum eſt: Dubito qvoqve adhuc de conſenſu Regio & voluntate Sereniſſ. Principis mei. Tantum hac vice, qvibus ſalve & me ama, plurimamqve ſalutem dic Rev. Dn. Epiſcopo *D. Brochmanno*, mei amantiſſimo. Raptim 12. Aug. 1641.

CCCCXCVI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Cuſtero.

FRidericiburgum evocatus fui â Principe Sereniſſimo, Filiæ Regiæ, febri epidemia conflictanti, ut mederer: hinc factum ultimis tuis qvod non reſponderim. Accedit, qvod cum Sereniſſ. Princeps apud nos commoretur, non adeo proclivis mittendi ad vos literas ſit commoditas.

Ante aliqvot ſeptimanas Tibi ſcripſi, & librum *M. Marco* tradendum transmiſi, qvem num acceperis & curaveris, indica qvæſo.

Fri-

Fridricsburgi dum eſſem, duo aderant nobiles à Duce Holſatiæ ad Sereniſſimum Principem miſſi, cum qvibus in menſa ultra citroqve de rebus Medicis dum diſſereret, me præſente, Regina tui fecit mentionem valde honorificam, ſeqve tibi multa debere, fatebatur ob fidelem ſibi præſtitam curam; cumqve alter illorum interrogaret, qvid de *Zobelio* ejusqve curandi modo ſentiret, dixit ſe nunqvam uſam illius opera; ex ejus tamen diſcurſibus intelligere, impoſtorem & fumivendulum potius eſſe, qvam rationalem Medicum, utpote qvi multa promitteret, pauca præſtaret. Emiſſe ſe ab eo tincturam corallorum, qvam cum D. *Dieterico* oſtendiſſet, docuit hic nihil minus eſſe qvam tincturam, qvocirca mox illam abjeciſſe, mirariqve ſatis ſe non poſſe, Ducem Illuſtriſſimum ſanitatem ſuam huic homini credere velle. Non igitur videtur probabile, qvod ex aula ſcribunt, à Regina ducentos reportaſſe. Nihil plane ex eo de D. *Dieterico* inaudivi, altumqve adhuc apud nos de ipſo ſilentium. Mitto, qvas dediſti meo nomine ad filium literas; ante paucos enim dies Lugduno Batavorum remiſit is, ad qvem deſtinavi, aſſerens, filium tuum domum conceſſiſſe. Qvod ſi apud te ſit, ſaluta officioſe meo nomine. Vale, &, ut facis, ama. Hafn. 14. Septembr. 1641.

CCCCXCVII.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
D. Olaum Wormium.

NOva, qvæ hic, atqve inprimis Aulicus Paſtor noſter qvid mali malâ objecerit manu (furti ferme ſpeciem habentis, ſalvo rectius ſentientium judicio), Paſtori noſtro oppidano Dn. *M. Laurentio Petræo*, Viro doctiſſimo; & qvam docto dolo, apud Sereniſſ. Principem, hunc in tranſennam duxerit, ob temporis viduitatem addere jam prohibeor. habebis alias, ſub fide tamen ſilentii; nolo enim litem alterius facere meam, dum uterqve amicus. Dicam ſcripturum prædictum Dn. *M. Laurentium* Aulico Concionatori, retulit mihi Sereniſſ. Princeps

meus

meus in menſa heſterna: Qvo ſucceſſu, nos dies docebit. Tantum hac vice. Nycop. 9. Januarii 1642.

P. S. De adverſario tuo, à qvo tempore Dn. *Gerſtorfius* aulæ vale dixit, altum hic ſilentium. Socrus etiam illius ultra anni qvadrantem Soræ latet. Dn. *M. Marcus Chriſtierni Humbletus*, amicus meus, in locum defuncti Epiſcopi Wiburgenſis D. *Joh. Wandalini* ut ſuccedat, (ex promiſſo Regiæ Majeſtatis, per Dn. Cancellarium Regium, ipſi præterito anno Hafniæ clementiſſimè, de promotione, facto,) efficias, te enixè obteſtor, qvantum poſſis omnibus modis, commendatione ſcil. apud Dn. Epiſcopum veſtrum, &, ſi fieri poſſit, Dn. Cancellario dictam promiſſionem in memoriam revocando, priusqvam occaſioni tempus ſeſe ſubterducat. Paſtoratus ſic etiam lautior vacaturus eſt. Literæ hiſce junctæ, ad Regium Paſtorem Aulicum ſcriptæ, Dn. *M. Marci* promotionem ſpectantes, fac qvæſo ritè ut curentur.

CCCCXCVIII.

OL. WORM

D. Henrico Cuſtero.

QVæ te hactenus à ſcribendi avocarunt munere, eadem mihi remoram injecere. Utinam ſe offerret commoditas *M. Marco* noſtro gratificandi, Deus novit, qvam bono iſti Viro cupiam bene. Non multæ elapſæ ſunt ſeptimanæ, ex qvo diem ſuum obiit Epiſcopus Wiburgenſis. Si ex noſtris qvispiam eo vocatus fuerit, forſan erit, de qvo moneri Cancellarius poſſit. Eſt & aliud, ſed neſcio, an ad ipſius guſtum: Paſtor Amagrienſis Eccleſiæ Tornby dictæ (cujus tutela penes Academiam eſt) adulterii accuſatus eſt, nec facile ab hoc crimine ſe purgabit; ſi publica ſententia reus judicatus fuerit, vacabit & illa provincia, ſed haud ſcio, an ipſi commoda? Interim forſan non abs re erit, ſi per literas Magnificum Dnum Cancellarium (qvi jam in Cimbria nuptiis intereſt) ipſe de priori monuerit. Nihil ego intermittam, qvod ipſi commodum intellexero.

Hiſce

Hiſce diebus Patavio literas à *Thoma Bartholino* accepi, qvi inter reliqva narrat hæc: *Aureus ille aurei ingenii tractatus jam modo inter Barberinos Cardinales Romæ innotuit, & de nova Hieroglyphicorum explicatione aliqvid Bononiæ meditatur Licetus clariſſimus in edendo de annulis tractatu, ut mihi nominis tui ſtudioſiſſimus Rhodius narravit. Memini, in Tehnicotheca Florentina non abſimile cornu à Turcis ſpoliatum cum Emblematibus vidiſſe, qvum pertranſirem. Monumentorum* meorum opus jam ſub prælo fervet; conſtitui Diſſertationem de cornu auctam & à nugis adverſarii liberatam ei inſerere, locum inter *Falſtrica* ut obtineat, cum diſtracta jam ferme ſint exempla prius excuſa. Hác ipſa veſpere tuas demum accepi ac jam ad lucernam hæc ſcribo, qvia cras ſummo mane Soram pergo, invitatus ab Affine *M. Biornone*, ut filii recens nati, & per baptiſmatis Sacramentum renaſcendi Propatrem agam. Si qvid inciderit ſcitu dignum, faxo, data commoditate ſcias. Literas ad Epiſcopum, qvam fieri poteſt optime curabit uxor mea, qvæ te & tuam ſalutat, vobisqve junctim annum hunc novum precamur feliciſſimum. Hafn. 12. Januarii 1642.

CCCCXCIX.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
OL. WORM.

DEmum relatum eſt ad Sereniſſ. Principem meum, (à D. *Fabricio*, ni fallor,) Celeberrimum Dn. *Longomontanum*, veſtrum Aſtrologum inſignem, Thema cœli erexiſſe Ser. Principi meo, hocqve typis imprimi curaſſe; Qvod ipſum avidè cum videre cupiat Ser. Princeps, juſſus ſum à Dn. Mareſchallo noſtro Aulico, tui amantiſſimo, ad te ſcribere, idqve ut ſerio agas expetere, qvò libet iſte, cui Thema dictum inſertum, ad Dn. Mareſcallum mitti poſſit. Sumtum, qvem feceris, in libro iſto emendo, aut mutuo ſumendo, tibi plenè perſolvendum erit. Raptim 10. Januar. 1642.

D.

D.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

NAtalitium Sereniſſimi Principis thema, à *Longomontano* editum, me nunqvam vidiſſe fateor, qvocirca auctorem adii, utqve me de eo accurate erudiret, nomine Sereniſſimi Principis petii. Primum negare cœpit, qvicqvam tale à ſe profectum; deinde, à D. *Fabricio* hoc aſſertum in aula ubi urſi, dixit, ſe ſuppreſſo nomine in *Aſtronomia* ſua *Danica* Lib. 2. cap. 6. *Spharic.* exempli loco rectè illud adduxiſſe, ac locum monſtravit. Qvin addidit, in elevatione Poli paululum erratum, qvia non Hafniæ ſed Helſingoræ Principem natum exiſtimabat, cum hæc ſcriberet. Liber verò hic, qvi Amſterodami apud *Janſonium* ſecundo typis divulgatus eſt, apud nos non proſtat, ſed *Moltkenius*, ſe curaturum, ut proximo vere afferatur, ſpopondit. Ab auctore exemplum petii; is ſe non niſi unicum habere ait, qvo carere neqveat. Retulit verò, ſe Sereniſſimo Principi ante annos aliqvot miſiſſe, cum ejus appendicem *de Cometis* illi inſcripſiſſet, & jam procul dubio in ejus inveniri bibliotheca. Ubi redierit Magnif. Dnus Cancellarius, ipſi literas *M. Marci* coram exhibebo, cauſamqve ejus, qvam fieri poteſt, agam ſollicite: interea penes me ut qvieſcant, neceſſum eſt; qvod ipſi ut indices, rogo. Vale ac vive, Amicorum optime. Hafn. 29. Jan. 1642.

P. S. Soræ fui ante hos 14. dies: mecum ad convivium invitatus Adverſarius, comparere noluit. Nec qvicqvam ibidem de noſtra actum controverſia.

DI.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

HIſce diebus reduci Magnifico Dno. Cancellario *M. Marci* obtuli epiſtolam, ſimulqve viva voce in memoriam & promiſſa

miſſa revocavi. Ille probe ſibi conſcius omnium, ſancte promiſit, ſe ejus futurum memorem, ubi qvid occurrat, qvod è re fore exiſtimet. Hæc data occaſione ipſi ut ſignifices, cupio, qvò intelligat, me petitioni ejus, qvantum in me erat, ſatisfeciſſe. Non ita pridem diem ſuum Lundæ obiit *M. Nicolaus Ærilaus* ex Senioribus Capituli unus. Sperabam inde aliqvid ex bonis communibus ad nos redundaturum, ſed, ut audio, id non permittunt Statuta Capitularia. Qvem poſt ſe reliqvit Vicariatum, tuo nomine ſibi dari poſtulabat Dominus Epiſcopus; at obſtitit Lector Theologiæ, qvi ſuæ profeſſioni deberi proteſtabatur. Controverſia igitur hæc à Capitularibus decidenda reſtat. Hæc aliorum debeo relationi, nam ab Epiſcopo nondum qvicqvam accepi; qvæ non potui, qvin indicarem, ut videas, me nihil celare, qvod e re tua futurum intellexero. Interim vale, &, ut ſoles, fave. Haſn. 24. Februar. 1642.

DII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

SPero te meas jam accepiſſe. *M. Marco* favorem & officia promittit Cancellarius, ut tum qvoqve indicavi pluribus. Gaudeo, in Galliis qvoqve repertos, qvos cura aliqva noſtri *Cornu* tangat. Videat igitur *Svantoviti* patronus, præclariſſima Italiæ & Galliæ ingenia illud tanti facere, ut libenter horas, non perdant, ſed ei locent, idqve tanti apud eos eſſe, ut temporis bonam extrahat partem, ſecus ac ipſe judicat. Mihi gratulor, qvod ſcopum aſſecutus ſim meum, aliis nempe præclaris ingeniis anſam ſuppeditando, de hoc uberius cogitandi, ac cauſa fuerim, pluribus qvod innotuerit. Spero; in Germania futuros, qvi etiam operam aliqvam huic ſint locaturi. Scripſit enim Regiomonto amicus qvidam ad me, Chymicum ibidem eſſe, qvi, in eo veram rationem conficiendi Lapidem Philoſophicum contineri, ſe demonſtrare poſſe confidebat. Qvid pulchrius, qvam ita ingenia præclara ad honeſtam & amicam æmula-

mulationem excitare, ſimulqve de Patria & Principe optimo bene mereri? Regiam Majeſtatem in horas exſpectamus. Sunt, qvi in Selandiam veniſſe referant; ſunt, qvi Callingburgi Eum commorari ajunt. Nihil certi eſt qvod ſcribam. Monitus *Gagelmannus* de literis meis, ſe dudum eas curaſe, retulit; qvod non acceperis, miror. Hafn. 6. Mart. 1642.

DIII.

Ex literis

HENR. CUSTERI

ad

D. Ol. Wormium.

DEfuncto, & terræ jam mandato, Præfecto Regio Aalholmenſi & Nycopiano, *Dominus Pallante Roſencrantzio*, (tres tonnas auri cum dimidia hæredibus linqvente, ut retulit nobis *Dominus Gerſtorffius*,) ſucceſſor deſignatus eſt *Joſt Friederich von Papenheim*: Halſtedienſis Cœnobii Præfectus *Ericus Roſencrantzius* audit. De Swantoviti patrono jamdudum nihil audivi: Hujus ſocrum ſeptimanâ hac reducem exſpectamus, hirundines, *Plinius* uti notat, ſub undoſis fluminibus hyberno tempore latitantes, imitantem. *M. Nicolaus Æryleus* defunctus, num viduam reliqverit, annum gratiæ habentem, (qvem vocant,) anceps hæreo. Negotium Biblicum *M. Laurentii*, Paſtoris oppidani noſtri, adhuc ſub judice, qvo ſucceſſu, exitus dabit: Amicabilem adverſarius qværit compoſitionem, qvam renuit *M. Laurentius*, jus perſecuturus, nec agniturus ullam aliam compoſitionem, qvam Bibliorum per vim majorem, uti loqvuntur Juriſconſulti, ad ſolam adverſarii relationem ſibi ablatorum, legitimam reſtitutionem, ſive hoc fiat per compoſitionem, ſeu tranſactionem, vel per judicis non ſuſpecti ſententiam. Tantum hac vice, qvibus ſalve &c. Nycop. 22. Martii 1642.

DIV.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

HAud oblivione tui factum eſt, in hocusqve tempus ſcriptionem ad te meam qvod diſtulerim; ſed peregrinationes illæ noſtræ bimeſtres, ſatis difficiles, impedimento fuere, Gluckſtadium, Brehmerförde, Oldenburgum, Delmenhorſtum, Hamburgum & Gottorfium verſus; ubi cuticulam curavimus. Ad officium itaqve rediens, te cum tuis mihiqve benè cupientibus ſalvere plurimum jubeo. Nova in itinere dicto te digna nulla. *Cornu Oldenburgicum*, tibi ex *Chronico Oldenburg.* notum, vidi, & vino repletum evacuavi. Ex qvo metallo fabricatum, nemini conſtat; pes unus diffractus, à nullo aurifabro reparari poteſt, qvia non patitur agglutinationem, ſed qvam primum igni apponitur, (cujus ſolius beneficio glutinandus foret) diffringitur. Potus in eo, vinum inprimis, aliqvandiu contentus, pravum acqvirit ac valde nauſeabundum ſaporem. Tractatus tuus, *de Cornu aureo*, valdè in iſtis locis decantatus. In Aula Gottorfiana D. *Dietrich* Medicus extraordinarius audit, in Kile oppido habitans; Brevi ordinarius ibidem & Archiater auditurus, ob dimiſſionem D. *Oslero* Ordinario Medico aulico, à Duce Holſatiæ non ità pridem indulgenter conceſſam. Nuptias Archi-Epiſcopi Bremenſis, in ver futurum dilatas, (alias Gluckſtadii hoc anno celebrandas,) ſcito. Nycopiæ 17. Auguſti 1642.

P. S. Medicus Ordinarius Comitis Oldenburg. D. *Caſparus Ringelmannus*, te tuumqve ſocerum ſalute plurima impertit.

Gluckſtadii cum degeremus, Sereniſſ. Princeps meus pro *Themate natalitio* ſuo erigendo, ſolvit Judæo, Mathematico & Medico, *Roſales* appellato, octingentos imperiales.

DV.

DV.
Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
Ol. Wormium.

Ariora Muſei tui publicæ luci data mecumqve amicè com- municata, non ſolum mihi, ſed & multis aliis, amicis is, qvibus perluſtrandi copiam feci, gratiſſima fuere. Qvæ *melmannus* de Cornu Oldenburgico argenteo, & auro ob- ato recenſet, me haud fugiunt; proximè qvidem metallum, ex qvo factum, accedere ad argentum, non inficias eo, enteum tamen non eſſe, viſus facilè dijudicabit; accedit, od hoc metallum ferruminationem non patiatur; uti plurimi ici mihi Oldenburgi retulere; Qvæ cauſa cur pes iſtius cor- vacillet admodum. Abominandus etiam & valdè ad nauſe- provocandam aptus ſapor vini in hoc cornu, ad horæ dimi- um ſaltem contenti, aliud docet. Pergratum mihi fuit ponſum Magnifici Dn. Cancellarii vano ſolicitatori datum de tativo Vicariatu in Capitulo Lundenſi vacante; qvod ſi poſt- c tibi qvid certi conſtiterit, virum iſtum Reverendum, cu- mentionem facis, tanqvam Prognoſticis fermè relicti, ad ntos iviſſe, fac me mature certiorem. Dici neqvit, am peſſimè audiat Medicus, (qvem alias omnes Viri do- Experientiſſimum & doctiſſimum teſtantur mecum, mihi lâ famâ, non facie notum,) qvi curæ ægri dicti præ- , ob hypercatharſin â validiori cathartico (uti retulere r, qvæ ultra vulgus ſapere videbantur,) excitatam. Sed ſit á me, calumniandi animo talia revelare. &c. Nycop. 12. ptembr. 1642.

DVI.
OLAUS WORMIUS
D. Henrico Cuſtero.

Ale me habet, affectu iſto, Literatis familiari, tantope- re te gravari, à qvo nec ego immunis, licet hactenus

DEI gratia præcaverim, in tantam ἀκμὴν ut haud pervenerit. De ejus natura & cauſa tecum multis ut differam neceſſum eſſe non arbitror, niſi noctuas Athenas ferre laborarem; dubium enim nullum eſt, qvin vaſa in meſenterio, præſertim lactea, hujus mali foveant fomitem. Video præterea, iis te uti, qvæ in hoc caſu ab omnibus commendantur. Ego ad pillulas illas de Ammoniaco, tanqvam ad ſacram anchoram, confugere ſoleo; ſed modus utendi mihi longe diverſus. Soleo circa tertiam pomeridianam parvam doſin ſumere, ſine omni cura cœnor more conſveto, cubitum me confero circa nonam, nihil moleſtiæ per totam noctem ſentio, nec conſvetum ſomnum ullo modo turbari; ſeqventi die, qvandoqve ante prandium, qvandoqve poſt prandium, ſentio alvum laxiorem ſolito, & pro copia materiæ peccantis unam atqve alteram ſedem; ſi neceſſitas flagitat, bis ſingulis ſeptimanis utor eo, usqve dum diſcuſſos flatus & ſympotomata profligata animadverto; alioqvin ſingulis menſibus bis. Ex crebro igitur earum uſu, ſed in exigua doſi, non dubito qvin multum emolumenti ſis percepturus. Blande enim tractari vult hic hoſpes, nec ſelectiva admittit. Hinc *Crato* in qvodam conſilio ſvadet, ut Medicos & Medicinas in hoc affectu fugiamus. Alvus ut ſemper ſit lubrica ſive per ſe ſive clyſteribus, ſive ejusmodi benignis optimum eſt. In diæta multum ſitum, qva recte uteris, viſcerum dyſcraſiæ ſiccæ contraria. Ego ſæpiuſcule in prandio & cœna primum hauſtum capio vini abſinth. cui infuſa fuit meliſſa, carduus benedictus, flores centaurii, radices gentianæ, cortices citr. ejusqve cenſus alia tibi nota; & certe ventriculó viſceribusqve naturalibus robur haud leve conciliari percipio. Infuſis hiſce in vino optimo Rhenano, ſi Hiſpanici tertiam addideris partem circiter, palato gratum reddes. In uno peccare te, ex literis percipio, qvod mœrore & curis te nimium crucies. Hæc enim ut cauſa, ita qvoqve effectus hujus morbi eſſe ſolent. Animus æger ſemper corpus in conſenſum trahit. Horum igitur rationem qvam maximam ut habeas, ſvadeo; jucundæ cum amicis confabulationes & converſationes hic palmam obtinent. Ego loco *emplaſtri Fabriciani* in freqventi uſu habere ſoleo *Foreſti de Ammoniaco* dictum, qvod apud nos in pharmacopoliis proſtat, cujus inſignes vires magno cum ſucceſſu

crebro

crebro expertus ſum. Vina medicata in hoc caſu valde probo, qvod grata palato egregie penetrent, & viſceribus robur concilient. Conſerva & condita cordialia temperata, in qvibus caloris non magnus exceſſus, maxime ex uſu. Sed qvid tibi notiſſima inculco? Pauca eaqve commode & opportune exhibita in morbo hoc longo & contumaci ſufficere arbitror, ne vires & appetitus multis & vehementibus proſternantur. ſed hæc omnia tu me rectius noſti. Vale ac, mœrore ſepoſito, valetudinem tuam cura diligenter. Hafn. 12. Febr. 1643.

DVII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

QVod de Epiſcopo Ripenſi ſcribis, ita ſe habet; ſed ei neqvaqvam ſubſtituendus aut D. *Jacobus Matthias*, aut M. *Tilemannus*, ſed Dn. *Ericus*, ad S. Spiritum apud nos Paſtor, cujus locum qvendam ex Cimbria occupaturum ajunt. Arhuſienſis adhuc vivit, ſed deſperata valetudine. Niſi Sereniſſimi Principis ad Cancellarium obtinuerit M. *Marcus* commendatitias, parum proficimus. Importunus Domino Cancellario ejus nomine ſæpius fui, ſed nil niſi promiſſa refero. Tot hic indies à Regia Majeſtate audiuntur, ut eorum vix iniri poſſit numerus. Nihil certe ego in me deſiderari patiar, hujus negotii promotionem ſpectare qvod poſſit. Inſcriptionem gladii Neronis qvod attinet, mihi valde eſt ſuſpecta, cum illam ſapere non videatur antiqvitatem, qvam venditat. Obiter apud Pictorem *van Manderen* ſemel vidi, ſed characteres aſſeqvi non potui. Qvæ mittis, hunc ſenſum habere poſſe videntur; CUI, ſc. gladio, HEBER TIBI (per Heberum populum Iſraëliticum & Hebraicum intelligo, tibi genti Hebraicæ) NERO IMPERAT PARERE, ut ſenſus ſit: *Nero imperat tibi Hebero parere huic gladio.* Sed hæc probabiliter ſaltem conjicio, certi nihil adſtruens, cum, ut dixi, inſcriptio tota ejusqvè characteres ſeculum Neronis minimè ſanè redoleant. Vide, annon alludat impoſtor ad locum in

Sveton. Neron. cap. 40. Cura diligenter ut valeas. Hafn. ipſis Calend. Mart. 1643.

DVIII.
Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
OL. WORMIUM.

EXemplar tractatûs *Egardi* de *Cornu aureo* deſideratum, à Dn. *Leibzellero* noſtro, qvi te officioſiſſimè ſalutat, mutuò ſumtum, tranſmitto. qvô ad comitia usqve, frui poteris. Non placet (in aurem hoc,) Commentarius iſte Sereniſſ. Domino, utpote nimis longè petitus, ſi non adulatorius dicendus. Arridet contra tuus (Deum teſtor, cui neſcio mentiri, me hoc non dare tuis auribus,) & qvidem adhuc indies magis qvam antehac, ob invidioſam adverſarii chartam. ſat ſapienti. Librum qvod attinet, à *Steenwinckelio* Sereniſſ. Principi tuo nomine offerendum, an is ritè curatus necne, ignoro: qvod ſi per librum illum intelligis *Monumenta Danica*, rubro deaurato operculo obducta, & filis ſericis viridibus deligata, ea vidi in cubiculo Sereniſſ. Principis mei, in manibus Nani & morionis Ducis Saxoniæ *Mauricii*, viri literati, Mathematici & Medici, *Eſpe* dicti, cujus parens olim Profeſſor Wittebergenſis, ni fallor,) prælegentis Sereniſſimo Principi, qvi valdè attentè illum audiit. Tantum hac vice &c. Nycop. 15. Mart. 1643.

P. S. Salutat te filius meus *Henricus*, qvi Regiomonti *Diſputationem* publicam habuit *de Opio & Pipere*; ſimul addens in literis, tuam *de aureo Cornu* Diſſertationem avidiſſime deſiderare ibidem Profeſſores & Doctos hiſce nondum viſam. Dn. M. *Marci Chriſtierni* memor vive, eumqve, ſi potes, jura qvæſo.

DIX.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
D. Olaum Wormium.

Ereniſſimum Principem electum, Dominum noſtrum, Renſburgi adhuc, ſub cura Chirurgorum, ex pede olim fracto, ie nempe oſſis, denuò laborantem, ante 15. Auguſti hic non n exſpectamus: forſan citò ſat, ſi modò ſat benè: id qvod cum vovebunt ex animo, qvi optimo Principi cupiunt opti:. Vatem olim verum me fuiſſe, cum plenis interea buccis iitas pedis, jam denuò eheu! laborantis, thraſonicè à nonllis deprædicaretur, comperio, qvando monui, radicem matum temporis nondum ſublatam - - - Generum meum Profeſſionem Soranam Theologicam vacantem vocatum, te iudiviſſe, minimè dubito; incertus, de hac qvid futurum: Tu ſi qvid certi comperies, vel â Magnif. Dn. Cancellario :gio vel apud Epiſcopum *Brochmannum*, fac qvamprimum id ſciam, nec diu nimis animi pendeam. Inauditum contribudi modum ſeu exemplum enarraſti in tuis literis, nempe hoc cis tempore juberi omnes veſtræ jurisdictioni ſubjectos ſextam ndere non ſolum uſurarum, & pecuniæ fœnori datæ, ſed domi adhuc aſſervatæ, â qvo onere oneroſiſſimo nec ſtindia immunia. Qvid, qvæſo, futurum, ſi bellum, qvod Eus clementer avertat, huic regno ingruat? de aliis veſtræ risdictioni ſubjectis ne qvid dicam, certè Medici, ex tali conibuendi modo, ſi diuturnus fiat, citra dubium, literâ unâ usqvam Medici numqvid futuri? A talibus verò tributorum neribus Academia mea patria adhuc immunis planè eſt, llo aperto licet ultra 20. annos jam oppreſſa - - Nypiæ 27. Julii 1643.

DX.

OL. WORM

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

PAucos ante dies mihi reſponſum Epiſcopi Arhuſienſis monſtravit D. *Scavenius*, qvi ſibi de tuo gratulatur adventu, utpote qvem ſperat conſiliis ſalutaribus morbo ſuo chronico opem laturum expetitam; petit verò, tibi ut ſignificetur, ſiqvid rerum tuarum præmittere velis, aut qvid ante acceſſum curatum, id mature indices, curaturum ſe ut amici non deſideres operam. Non eſt, qvod magnopere te ſollicitum habeat hæc migratio, ſiqvidem & amicos ibidem ſis habiturus, & Arhuſia Medico deſtituta una cum Nobilibus ejus Diſtrictus, damnum, ſiqvid iter hoc attulerit, abunde ſint compenſaturi. Optimi Principis doleo vices, qvi iterato manus Chirurgorum experiri cogitur; putabam, te eò vocatum; an alii præter Primum adſint, ſcire vellem. Miror, ipſos hiſce canicularibus curam aggreſſos; utinam feliciter ac proſpere cuncta ſuccedant, ut de integra valetudine ſibi gratuletur Ejus Celſitudo! De cura Cinnabariana non ſatis aſſeqvor, qvid velis. Neſcio, an dolor ex obitu filioli mei, nuper defuncti, ita memoriam labefactaverit, ut horum recordari non valeam. Utcunqve mihi videor aſſeqvi Actoris ac Rei perſonam, ſed caſus mihi minus perſpectus. Generum tuum ad Profeſſionem Theologicam Soram vocatum fuiſſe, rumor apud nos erat conſtans, ac ita rem ſe habuiſſe, demum certo intellexi. Narravit enim mihi Concionator Regius, Affinis meus, Vir priſca fide, ſe ex ore Regiæ Majeſtatis nuper hic percepiſſe, vocatum fuiſſe Generum tuum, ſed provinciam detrectaſſe, qvod lautiori Haderslebii vivat ſtipendio, qvam Soræ ſperare poſſet; ſed hoc minus ægrè tuliſſe Majeſtatem Regiam, qvippe qvi operam ejus valde utilem & neceſſariam ibidem expertus ſit, in inſolentiis Paſtorum compeſcendis & collapſa diſciplina reſtauranda. Soram verò jam venire Eccleſiaſtem Gluckſtadienſem, qvi olim Regi GUSTAVO erat à Sacris; *Rötlebium*, ni fallor, vocant. Regia Majeſtas apud nos jam commoratur, manſurus aliqvantiſper. Cancellarius

in

Cimbriam ivit, relictam ab obitu *Roſacrantzii* hæreditatem ſurus. Noſtri omnes officioſè te ſalutant. Vale. Calend. guſt. 1643.

DXI.

Ex literis

HENR. CUSTERI

ad

D. Ol. Worminm.

QVod Sereniſſ. Domini mei affectum doles ſtatum, juſtè facis; indies tamen, laus Deo, malum mitigatur, ſi non litur. Curationi præeſt inprimis *D. Helvicus Dietricus*, & irurgus noſter *Chriſtianus*, Viduæ Electoralis olim Chirurs, vir ſatis expertus. Jam ſuppleo ego vices D. *Dietrici*, mè ad dies aliqvot decumbentis, ob podagram miſerè hunc um torqventem, lectoqve affigentem. Viro huic Glückſta, (per meam abſentiam, ex clementia Principis ad tempus hi indultam,) fuerunt adjuncti Medici Regii, *D. Fabricius D. Janus*; licet non adeò benè convenerit inter ipſos haud ò, uti audio. Sed diſſentire bonos in rebus iiſdem incolumi nnunqvam licet amicitia. *M. Marcus Chriſtierni* deſignatus ſtor Hafnienſis S. Annæ Rotundæ, Tychopolin vocatus ad giam Majeſtatem eſt, cum Legatis ad pacem faciendam, in rmaniam iturus, Concionator deputatus, fama uti fert, ſed qvantum dubia. Diem diſceſſus noſtri 15. Sept. dictum ſent; tu ſi qvid interea habes, vel hic, vel in Judtlandia ſeu mbria, vel Tychopoli, qvod curatum velis, impera, non ga. Vale &c. Nycopiæ 26. Auguſt. 1643.

DXII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

GAudeo Sereniſſimum Principem aliqvo modo reſtitutum; utinam de firma ac ſtabili valetudine Ipſius Celſitudo porro gaude-

gaudere poſſet! *M. Marcum* commendatione Concionatoris Regii, *D. Jacobi Matthiæ*, ei muneri, de qvo ſcribis, deſignatum eſſe, certum eſt. Viro enim lingvarum perito & docto, qvi cum aliarum Nationum Eccleſiaſticis converſari poſſet, indigebant Legati. Tychopolim ſi perveneris, *D. Janum* meo nomine officioſe ſalutes, qvæſo, ac, ut memor ſit promiſſi mihi ſvave fragrantis Lapidis, mone; ſi tibi tradiderit, non dubito, qvin recte ad me curetur; in ejus memoriam & initæ amicitiæ pignus ſervabit Muſeum meum. An noſter *Fabricius* deſtinatus ſit *Comitis Waldemari* Medicus, certò expiſcari adhuc neqveo. Retulit mihi amicus, ſe ex ejus ore audiviſſe, *Comitem Waldemarum* ſua manu datis literis hoc petiiſſe, ſe verò reſpondiſſe, ſi duorum millium & qvingentorum Dalerorum ſummam ſibi in annum deſtinaret ſtipendium, operam addicere, ſin ſecus, hinc non diſceſſurum. Qvas filio Regiomontum deſtinaſti, probe curabuntur. Vale. Salutat te Dn. Epiſcopus, (qvi ex duplici tertiana, qva per ſeptimanas tres conflictabatur, jam primum convaluit) ut & *Finckius*, *Scavenius* & amici reliqvi. Hafn. 4. Sept. 1643.

Jam jam à Studioſis qvibusdam Regiomonto venientibus accepi, hoſpitem filii tui in vitris liqvores qvosdam tenere, qvi cum ſole aſcendant, eodemqve occidente deſcendant, aliaqve præſtare mirabilia. Ut res ſe habeat, ubi iterum ſcripſeris, fac doceat; meis enim raris in Muſeo aſſervatis magnopere eſſent hæc accommoda.

DXIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Fridricsburgum.

Diu multumqve anxie de te qvæſivi, nec qvisqvam erat, qvi, ubinam hoc perturbatiſſimo rerum noſtrarum ſtatu eſſes, docere potuerit. Dudum eſt, ex qvo *Sperlingium* viderim, qvocirca de te nihil ab ipſo habere potui. Gratum verò mihi eſt, qvod jam ex te ipſo intelligam, ſalvum & incolumem, licet non ſine periculis & difficultate, Fridricsburgum delatum. Qvid

in

in communi calamitate faciendum, niſi adverſa patienter ferre, & divinam opem devote implorare? Nos nil niſi excitatæ procellæ turbines indies exſpectamus, tam ad reſiſtendum imparati, qvam qvi imparatiſſimi. Neminem credo unqvam in tali Regni conſtitutione vidiſſe aut audiviſſe tantam ſocordiam, tantam ſalubrium conſiliorum inopiam, tantamqve rerum neceſſariarum penuriam, qvantâ hic premimur, ut, niſi DEus ſingulariter ſuccurrat, de nobis actum ſit. Attamen nos omnium tutiſſimos putant ii, qvi indies reculas ſuas huc transportant; at accuratiori trutina hujus urbis conſtitutionem qvi expendunt, aliter judicant. Interim ſiqvid tu habeas, qvod velis ejusdem fortunæ aleæ ſubjectum, cujus noſtra ſunt, mitte; ſigillo tuo probe munita inter mea ſervabo accuratiſſime, ut, ſi hæc ſalva fuerint, & illa ſint, ſin præter exſpectationem qvid contigerit, mihi non adſcribatur. Sancte enim polliceor, in majori ciſta, ut res meæ, locum inventura. Interim à me, ut hactenus, ità poſthac qvævis ſinceri amici officia tibi pollicebere. V. Hafn. 26. Jan. 1644.

DXIV.

Ex literis HENR. CUSTERI ad D. OL. WORM.

SPerlingianum negotium, tibi notum, qvomodo ceſſerit, avidè hic ſcire deſideramus, ut &, num Peſtis ſemina apud vos ſparſa. Ferunt hic qvoqve omnes Medicos Hafnienſes ſeſe oppoſuiſſe *Acidulis artificialibus* à D. *Dietrico* inventis, & Regiæ Majeſtati ſummè commendatis: Qvid in hoc rumore veri, velim me doceas. *M. Olaum Wind* apud mortales eſſe deſiiſſe, narrant; qvod ſi ità, M. *Marcum Chriſtierni Hambletium*, Paſtorem in Karleby tibi commendatum ut habeas, te amanter oro. Nycop. 5. Januar. 1645.

Cl. Dn. D. Peculiarem ſi qvem de *Lapide Bezoar* habes librum, mecum communices rogo. Rariora, qvorum nuper mentio-

mentionem in ſcheda ad te miſſa feci, hac horâ benigniſſimè juſſu Sereniſſ. Principis mei, per Generoſ. Mareſchallum aulicum noſtrum & me, Magnifico Dn. Rectori, ab Academia ut conſerventur, in memoriam gratiæ Principis perpetuam, ſunt oblata. Pro *Bibliis Hebraicis* Judæi Hiſpani obtulerunt Sereniſſ. Principi aurum pondus Bibliorum æqvans; aſt prævaluit auro Hiſpanorum Italorumqve patrocinium ac gratia erga Academiam Hafnienſem. Tantum eſt.

DXV.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero

S. P.

Nycopiam.

DE tuo amore minus ut dubitarem, qvàm plurima mihi ſine argumento fuere; non ſolum officia creberrima, compellationes per literas haud raræ, meiqve apud alios facta mentio honorifica. Qvocirca in perpetuo ære tuo me eſſe fateor, ac, ſi ſortem neqveo, uſuram ut reddam allaborabo. Minus firma te gaudere valetudine doleo; mea talis, qvalem ætas & freqventes ægrorum viſitationes afferre ſolent, dum aliis inſerviendo conſumimur. Contagium apud nos nihil remittit; integræ familiæ decumbunt; evadunt tamen plurimi. A S. Reg. Maj. Facultati Medicæ injunctum, Conſilium contra luem hanc in vulgi gratiam vernacula lingva ut edat; qvod brevi fiet. Gener meus Divina gratia vivit ac valet, ſed utrumqve amiſit Comminiſtrum, hoc morbo exſtinctum. *Windius* bene ſe habet, ac heri concionem funebrem in exſeqviis uxoris Dn. Cancellarii habuit. Negotium *Sperlingianum* adhuc hæret, animum Regiæ Majeſt. mitigatum iri patronorum interceſſione ſperat, ſuſpenſum itaqve aliqvantiſper manet. Peſtis veræ indicia nondum, qvod ſciam, apud nos comparuere; nec enim audivi qvenqvam bubonibus aut anthracibus cruciatum. Peſtilentes alioqvin ſatis & ſymptomatis gravioribus affligunt petechiæ. Acidulis artificialibus *Dieterici* nos qvidem nihil oppoſuimus; ſed cum Pro-

illum

ſtarum ingredientia mineralia & antimonialia, per Pharmacopolam Regium, qvi ejus compoſitioni ex parte ſe interfuiſſe narrabat, nobis exponi curaſſet, ac qvidam, qvi iis uſi fuerant, (inter qvos Rex ipſe,) de affectu capitis temulento, qvidam de dentium vacillatione aliisqve ſymptomatis conqveſti fuiſſent, conſultum judicavimus, ab iis ut abſtineret Maj. Regia, dum aliiis valetudini inſervientibus uteretur. De *Halece* peculiarem non edidi diſcurſum, ſed in *Diſputatione* anni 1643. (qvem me tibi miſiſſe puto,) problema de Halecis ſalubritate ventilatum eſt. Vivit *Winſtrupius* Malmogiæ; *Hogius* & D. *Jacobus Matthia* cum qvartana adhuc ſtrenuè confliĉtantur. De pacificatorio conventu non habeo qvod dicam; ambigui ſparguntur rumores; benè ſperare jubet Gallus, Deus ſolus faciet. Vale. Hafn. a. d. 11. Januar. 1645.

DXVI.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
D. Olaum Worm.

ACtionem *Sperlingianam* antehac ſuſpenſam manſiſſe, moramqve pati, pergratum mihi. Sereniſſ. Principem meum huic viro gratioſè favere, non obſcurè animadverti, modò ſe præclarè, uti ſpero, evolvat ex cœptis tricis. Patronorum interceſſione mitigabitur haud dubiè animus Regiæ Majeſtatis, aliàs tenax & conſtans in opinione ſemel concepta - - - Judicium Facultatis Medicæ veſtræ de *Acidulis artificialibus* Collegæ mei D. *Dieterici*, ad Seren. Principem meum eſt delatum; qvi mihi gratioſè demandavit, á te ut qværerem, qvinam illi nominatim, qvi in & ex uſu Acidularum dictarum, de dentium vacillatione (de aliis ſymptomatibus à te enarratis ne qvid dicam,) conqveſti. Cum enim aciditatem ſenſilem vitriolatam habeant, laxitati adverſantes, (niſi erro,) eam, qvam refers, dentium vacillationem ſcorbuto, corporibus eorum immixto, qvi Acidulis uſi, attribuendam ſuſpicamur; niſi fortaſ-

ſis

ſis certi ſitis de copioſo Mercurio Acidulas has ingrediente. Temulentum capitis affectum num antimonio vel Mercurio adſcribatis, tuam qvoqve expeto ſententiam; citra dubium Mercurio, ſi copioſe Acidulas ingreditur, caput ferienti, replenti, humiditates reſolventi &c. Ego alias antehac de ingredientibus dictis audivi minimum, ſed de ſtanno ſepties vel novies ignito, iterumqve exſtincto. - - Nycopiæ 20. Januar. 1645.

DXVII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

OBlata ſcribendi hac commoditate, non potui qvin conſilii Medici, cujus in nuperis meis mentionem feci, copiam facerem. Juſſu Regio vulgi nos accommodavimus captui & crumenæ. Diſcurſus longiores ad ejus palatum eſſe non ſolent. Eſt præterea qvod velim: Ferunt D. *Dietbericum* acidulas ſuas ante annos - - apud Pharmacopolam veſtrum præparari curaſſe; qvod ſi ab eo iſtarum deſcriptionem impetraveris, communices rogo, ut, an conveniant cum iis, qvas hic qvibusdam propinavit, experiri poſſimus. Contagium adhuc ſtrenuè apud nos ſerpit. Obiit nudius tertius D. *Chriſtianus Stovgardius*, Profeſſor in Academia Oratorius, die morbi 14. *Moltkenii* etiam uxor, aliiqve tibi noti. Legati Belgici 15. hujus menſis ad Pacificationem diſceſſerunt, Gallus 18. noſtri 20. DEus inſtitutum eorum clementer fortunet! Ferunt *Wrangrelium*, nemine reſiſtente, pro arbitrio rem in Cimbria gerere: Suecum qvoqve Malmogiam cum exercitu tendere. omnia ubivis ferme deſperata. Deus clementer nos reſpiciat, & Vos ſervet! Hafn. 24. Januar. 1645.

DXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

IN ſumma temporis anguſtia, feſtinante tabellione, paucis ad tuas reſpondeo, 20. Januari datas. *Sperlingium* ſperamus gratiam

tiam Regiam impetraturum; patronorum qvorundam interceſſione emollitum animum Regium accepimus; qvamvis adhuc ſententiam deciſoriam urgeat Actor Secretarius Regius *Otth.* Kragius. Nos nullum de *Acidulis* iſtis judicium ſcripto tulimus: ſed, qvia in caſu qvodam à Viro Illuſtri nobis propoſito, earum facta fuit mentio, dum ægrum iis uti retulerit, & varia de ingrediente magna qvantitate ☿ ii & ♂ addiderit, ſimul relatum Regiam Majeſt. *Canutum Ulfeldium*, *Georgium Seefeldium*, *Johannem Bramium* aliosqve de temulento affectu ex earum uſu conqveri, & hunc inprimis de dentium vacillatione, ſuaſimus, ut æger noſter ab iis deſiſteret, dum aliis curaretur. Cum nemo noſtrum ſit, qvi veram earum teneat deſcriptionem, eas in genere damnare non potuimus; ſed qvia in enumeratis & aliis talia animadverſa ſunt ſymptomata, ex effectis noſtro ægro non congruere putavimus. De ☿ & ♂ ejus relatione, qvem alias nominavi, habemus. Tu, ſi verum teneas componendi modum, communica, ego nunqvam antea de eo fui ſollicitus. De pacificationis negotio nihil habemus, niſi qvod omnes, qvi hic erant, Legati, eò diſceſſerint. Vale &, ut ſoles, fave. Ea ipſa hora, qva tuas accepi, 25. Januar. 1645.

DXIX.

Ex literis
HENRICI CUSTERI
ad
OL. WORM.

* * *

Literæ tuæ dum exigant idem negotium de *Acidulis Dieterici*, nempe deſcriptionem earum, qvas noſter Pharmacopœus præparat, ut ſollicitem, egi id ſedulò, at fruſtra: Citius enim ab Hercule clavam qvam ab ipſo deſideratam deſcriptionem impetraturus; utpote qvam ſub jure jurando à D. *Dietherico* ſibi prohibitum, ne alteri communicet, ſanctè aſſeverat vir dictus. Id annon negotium hoc ſuſpectum magis reddat,

tuo aliorumqve judicio relinqvo. Interim qvod Antimonium, ſulphur & nitrum Acidulas has ingrediantur, palam fatetur; nec negat ſtannum (hoc ex ejus famulo habeo) ignitum aliqvoties exſtingvi in aqva illa, qvam neceſſario adhibent ad Acidulas præparandas. Id num Mercuriales vapores, qvibus plumbum alias refertum, dictis qvoqve liqvoribus communicet, alii judicent. Mihi jam per 20. annos nota fuit præparatio alicujus aqvæ acidæ, ex mineralibus dictis confectæ, qvam *Clyſſum* vocant, ſecretum ingens tum temporis apud Polonos & Livonos; niſi erravero, haud diſſimilis hæc erit cum illis: de qvo alias & forſan coram plura, dum *Clyſſi* deſcriptionem, qvod doleo, in libris Hafniæ adhuc depoſitis, genuinam ſervem. Vale &c. Prid. Calend. Februar. 1645.

DXX.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero,

Nycopiam.

ITeratis tuis nôn habeo, qvod reſpondeam, qvoniam tibi proximis meis ſatisfactum credo. Hoc ſaltem addam, Sereniſſ. Regiam Majeſt. ex eô, qvo ab iſtis abſtinuit acidulis, (qvamvis difficillimè ad abſtinendum pertractus,) ac noſtro uſus fuit conſilio, optimè jam valere, nec inſuetas vigilias, (de qvibus etiam alii conqverebantur,) aut affectum iſtum temulentum ulterius incuſare. *Bramtum*, qvi de vacillatione dentium qverebatur, ſcorbuto unqvam laboraſſe, aut jam laborare negat Medicus ejus familiaris *Sperlingius*, qvi cum Sereniſſ. Majeſt. Regia in gratiam jam rediit. De Antimonio, Mercurio, Vitriolo, Terra ſigillata nobis in præſentia Aulæ Magiſtri retulit Regius Pharmacopœus *Samuel*: iſtarum compoſitionem non ultra moror, nec morabor, ni præſtantiores etiam effectus videro. Multum & ſapore & colore differre ab iis, qvæ ex Boruſſia adferri ſolent, experti ſumus omnes, dum utraſqve guſtandas præbuit *Ulfeldius*. Veſtrarum copiam, qvam miſiſſe te ſcribis, non vidi, nec exhibuit tabellarius. Interim pro amico affectu & clyſſi tui mentione gratias ago. D. *Fabri-*

cius

ſ Friderieſburgi apud Regem moratur. Vale. Haſn. a. d. Febr. 1645.

DXXI.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

ſniam.

Iteras tuas, d. 4. Februar. ſcriptas, prælegi Sereniſſ. Prin-cipi, fueruntqve eæ perqvam gratæ, ob id inprimis, qvod gia Majeſtas optimè jam valeat, â qvo tempore abſtinuerit *Acidulis*, ob Mercurium & Antimonium ſuſpectis: De cu- valetudine alias ſoliciti hic fuimus, juſſusqve biduum ante Archiatrum Regium ea de re ſcribere, cujus reſponſum ad- c præſtolor. Sed hoc in aurem. Qvod Acidulæ dictæ vigili- & temulentum capitis affectum excitent, nobis hic non fit oſimile; cum temulentus capitis affectus ſoporem potius, àm vigilias, poſt ſe trahere videatur. *Bramii* ſedentaria vita, llidus color, cacochymicum corpus, â ſcorbuto id vix liberum endit; teſtimoniumqve Medici ordinarii, á te nominati, ſu- ctum, ob cauſam tibi notam. Mercurium ingredi has Aci-las (qvas jam iterum transmitto,) â noſtro Pharmacopœo præpa-as, negat is & pernegat. Interim ſibi ſoli ſervat deſcriptio-m; qvam, per me licet, ſervet ſepulchro: Ego enim eam ud moror; bis terve Acidulas guſtavi, ſed magnam pecto- conſtrictionem inde poſt aliqvot horas animadverti. Novi etiam, qvi iis uſi, absqve fructu tamen ſenſili; ſapore a- s gratæ ſatis. Differentiam qvam enarras ſaporis, coloris & ium, earum, qvas Elbingenſis transmiſit antehac Medicus, n ſatis oſtendere videtur, (loqvor ex ſenſu aliorum,) qvod ſint diverſæ ab illis. Color, ſapor &c. inducuntur ſaltem edulcoratione, qvæ modò fit ſaccharo, (qvo præſentes ſunt ulcoratæ,) Syr. violat. Tunic. &c. Qvicqvid ſit, qvam- u me latebit genuina præparatio, auctor ipſe iis utatur; Ego s nemini commendare auſim, nec judicium feram de igno- , niſi qvantum per juvantia aut lædentia judicare mihi licuer. In gratiam rediiſſe *D. Sperlingium* gratum mihi fuit auditu.

DEUS vos omnes diu ſervet incolumes, pacemqve tantoperè exoptatam nobis largiatur, qvi adhuc inter ſpem & metum, ſacra & ſaxum ſtamus, incerti, qvâ horâ fœdifragus hoſtis nos invaſurus ſit. - - - Nycopiæ 14. Febr. 1645.

DXXII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

QVæ hic obſervata ſint ſymptomata in iis, qvi acidulis iſtis uſi ſunt, bona fide retuli. Vivunt adhuc omnes, qvos allegavi, vivunt Medici, qvibus ægri conqveſti ſunt hac de re, qvos qvi interrogaverint, teſtimonium perhibebunt indubitatum. Qvin ipſi ægri, ex qvo bibere deſierunt hanc aqvam, meliuſculè ſe habuerunt. Qvis verò, niſi planè ſenſibus fidem derogare voluerit, hinc aliud collegerit, qvam temulentum iſtum affectum cum aliis, huic adſcribendum eſſe? Qvod regeris, temulentum capitis affectum ſoporem potius, qvam vigilias, comitem habere, id ità ſe habere fateor in ebriis & aliis qvibus â vino aut aliis narcoticis ſpiritibus orta temulentia, non verò in iis, qvibus ab acribus exhalationibus cerebrum turbatur, ſpiritus animales præter naturam agitantur, ac qvaſi in vertiginem rapiuntur, ſoporis namqve cauſa proxima non temulentia, ſed narcoſis, ut noſti. De *Bramio* non diſputo, ſiqvidem ejus curæ nunqvam fui admotus, nec de corporis ipſius conſtitutione magnopere fui ſolicitus. Si Mercurius non ingrediatur eas Acidulas, qvibus tum uſa eſt Maj. Regia, nos omnes fefellit Pharmacopœus Regius, qvi ſublimati haud exiguam copiam ſe iis miſcuiſſe coram retulit. Non tam ſapore & colore, qvam effectis, diverſas eſſe ab Elbingenſibus judicavimus, experientia convicti; qvamvis & illa, undecunqve acceſſerint, differentiam etiam qvandam accidentalem conſtituant. Nec veſtræ (pro qvibus gratias ago,) Elbingenſium ſapiunt naturam, qvibus atomi qvidam rubicundi innatare ſolent, qvæqve tanto acore palatum ac lingvam non mordicant. Sed deſino de re minus adhuc ſatis perſpecta fuſius garrire, ne aliqvid famæ auctoris detraxiſſe velle videar. Conveniſſe utrinqve Legatos in

Ponte

Ponte limitaneo, amicè collocutos, & adverſam partem multa de pace verbis declamitaſſe accepimus, ſed, qvid pectore clauſum geſtet, tum nondum protuliſſe. Tot hic de *Wrangelio* & *Königsmarchio* ſparguntur rumores, in noſtram perniciem, ut referre pigeat. DEUS Protector noſter clementer nos reſpiciat, alioqvin periimus. Hafn. a. d. 18. Febr. 1645.

DXXIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

MAgnas hic cieri turbas de *Acidulis* D. *Dietherici* audio; atqve eo in cardine rem verſari, ut meæ ad te in jus vocentur Epiſtolæ. Qvod ſi ea, qvæ amico privatim communicantur, eò trahi debeant, ut aliis periculum & damna creent, qvis tuto per literas cum amico agere poterit? Qvin igitur pro tua prudentia ità rem ſis acturus, ut hic a moleſtiis ſimus immunes, non dubito. Vale & feſtinationi ignoſce. 31. Marrtii 1645.

DXXIV.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

INopinatis tuis, ultimo Martii ad me datis, dedi 5. Aprilis reſponſum, idqve tradidi Dn. Secretario noſtro itinerario, *Hectori Poimer*, qvi id ſuis incluſit, atqve ad *Dn. Leibzellerum*, Cameræ Secretarium, ad te haud gravatim illicò mittendum, eodem die, per poſtam repente Hafniam ablegatam, miſit, cui Teſtimonii mei per Sereniſſimum Principem; juſſu, uti audio, Majeſtatis Regiæ, iteratis vicibus ſeriò â me poſtulati exemplum fuit incluſum; Qvod, prout conceptum vides, Seren. Principi heſternâ primum die, (aliter fieri dum non potuit)

poſteaqvam IpſiusCelſitudini prælegeram,in manus ſubmiſſè tradidi, ſeriò atqve enixè ſimul petens, apud Majeſtatem Regiam ipſius Celſitudo id ſtudioſè ut ageret, qvò á moleſtia ulteriore (periculo & damno, qvæ metuis, nihil Sereniſſ. Princeps, tibi benvolentior, affine in hac cauſa videt,) immunis maneres. Id autem adhuc inprimis in qvæſtione eſſe, rumor eſt, cur Medici Hafnienſes *Acidulas D. Dietherici* ſibi ſumpſerint judicandas, cum Regia Majeſtas id iis non mandaverit? Num tibi libuerit, (ſalvo tuo judicio. te eo excuſare, qvod de negotio, jam (uti ſcribis) apud vos turbas ciente, non absqve præſcitu Sereniſſ. Principis mei ad te ego ſcripſerim (verba teſtimonii mei uti habent expreſſa,) teqve Seren. Principi, utpote Magiſtratui tuo,qvomodo res geſta, celare non potuiſſe, nec debuiſſe, tuo arbitrio committo; cenſens, animum Regium eò commodius placari poſſe, ſi forſan commotus. Fuit enim. uti par, Sereniſſ. Princeps tum temporis, cum audiret, neſcio á qvo, deliberationem aut conſultationem duodecim Medicorum ſuper Regiæ Majeſt. infirmitate Hafniæ inſtitutam, Acidulasqve dictas ab illis tanqvam inutiles ex parte judicatas, de paterna ægritudine admodum ſollicitus. Proteſtor interim denuò ſolemniter ac ſanctè, (de qvo DEum etiam teſtor, cordium ſcrutatorem,) qvæ á me peracta per publicationem epiſtolæ tuæ, 25. Januar. (qvantum memoriâ teneo) datæ, animo lædendi, aut violandi amicitiam noſtram (tam ſanctè, Deus bone! habitam) aut malitioſè offendendi qvenqvam, facta minimè. Ego, ut verum fatear, audiens á Ser. Principe, *Acidulas* iſtas á Medicis Hafnienſibus improbatas, tum primum te ſciſcitari hac de re aggreſſus ſum; neqve á te antea ullum verbum, (vel á qvoqvam alio, teſt monii mei verba uti habent,) perlatum ad me fuerat; nec cauſam, cur improbatæ Acidulæ, cognoviſſe datum fuit. Iſtam verò neſciens, ſummopere de Seren. Principe meo fui ſollicitus, qvi, ex conſilio, ni fallor, Dn. *Dietherici*, *Knephelianis* antehac freqventer uſus *Acidulis*. Si qvid verò in publicatione Epiſtolæ tuæ incogitanter, præcipitanter, aut imprudenter á me factum cenſueris, homo ſum, delicti veniam petens, &, ne ob id animum benevolum & amicum tuum á me avertas, enixiſſimè obſecrans. Anſam etiam non levem rei præbuit inopina Epiſtolæ dictæ, in menſa Seren. Principis, inter prandium, (cui gratioſè juſſus ego intereſſe) á qvodam

auli-

ılicorum facta mentio, ſimulqve, qvod à te miſſa, obſignatam
iusqvam aperirem, indicatio, de qvo plenius aliqvando coram.
lvod ſi qvoqve meæ antè dictæ, 5. Aprilis datæ ad te non per-
neriint, cum teſtimonio iſto adjuncto, ſollicites ſubmiſſe, ſi o-
is, teſtimonii mei prolati exemplum, priusqvam reſpondeas.
am in eodem profiteor, tuam epiſtolam mihi deeſſe, cum à
reniſſimo mihi olim non demandatum eam ut ſervarem; de
'a etiam curioſius inveſtiganda non ero ſolicitus amplius, niſi
mma urgeat neceſſitas, dum contenta teſtimonium habeat,
mbuſtas partim, partim dilaceratas & abjectas, ex tuis ad me
tis, certus ſum. Vale hiſce, Vir Optime & verboſitatem in
ito negotio rectè atqve amicè accipe. Salutem adſcribo Dn.
iiſcopo, Dn. D. *Finckio*, D. *Sperlingio*, Dn. D. *Fabricio* & e-
s genero D, *Simoni Pauli*, atqve reliqvis, mihi bene cupien-
ıus. 8. April. 1645.

DXXV.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

ıcepiam.

QVas miſiſſe te ſcribis accepi, illis exceptis, qvas *Bertramo*
traditas refers. At reſpondere non licuit, ob infirmiorem
letudinem. Catarrhus enim in dextrum latus delapſus & tuſ-
ı validam & lateris dolores excitavit, ex qvibus nondum con-
lui. Declarationem tuam Sereniſſimo Principi oblatam le-
; non eſt qvod in ea deſiderem. Interim mihi offenſa Maje-
s Regia, qvod ad te hac de re ſcripſerim, nec qvo medio
gratiam redire valeam, video, ſiqvidem ad colloqvium non
nittor, ut me excuſem, nec camarinam hanc movere con-
tum duco. Qvod ſi ità agendum, præſtat à literarum com-
rcio abſtinere, qvam hoc pacto benigniſſimi Principis gra-
excidere. Val. Haſn. 14. April. 1645.

DXXVI.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

SEreniſſimum Principem innocentiam meam ſibi commendatam habere, valde lætor. DEus novit, nec tu diffiteri poteris, qvam ego in hac cauſa omni culpa vacuus; qvocirca ne verbulum amplius. Utinam pax publica rediret, ac tam facile publici ſedarentur tumultus, atqve hæc de nihilo orta tempeſtas. DEus noſtri miſereatur! Aves iſtas ad *Sperlingium* probe delatas intelligo. Vale. Hafn. 9. Maji, 1645.

DXXVII.

HENR. CUSTERUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

OCcaſione literas mittendi data, munere ſalutationis fungar; etſi qvod ſcribam, non habeo, præter vulgare id; Si vales, bene eſt. ego antiqvum obtineo, valetudine minus firma, vacillante & variante fruens, die uno matrem ſe gerente, novercam altero, ob hypochondriacum pertinacem affectum, eum qvo interdum habeo inducias, pacem ægrè ſperans. Medicamenta averſor, ſolâ diætâ ferme cum morbo pugno, eumqve abjeciſſe interdum videor: ſed ut Antæus qviſpiam vireſcit & reſurgit, ſeu, ut ille (olim â me viſus,) in Ætna ignis intervalla ſua habet, & cum deſæviiſſe creditur, redit, ex meſenterii venis illis (ex *Lipſio* ut loqvar) venenatis. Conſilium prudens tuum, mecum ante biennium fuſè communicatum, cum aliis mihi perqvam acceptis ſcriptis, fuga præpropera Judtlandica abſtulit. Deus pro meritis perfido rependat hoſti. Num D. *Sperlingius* tecum loqvutus, ex ipſius promiſſo, de planta Norwegica, *Orbin* appellata, qva ibidem in acetariis utuntur, ſic referente Regia Majeſtate, ſcire aveo. Ut & qvid cenſeas de *Aqva fontis S. Helenæ*: Judicium enim Medicorum Hafnienſium de

ea reqviſitum audio. Scripſit ad me non ità pridem D. *Sperius* de ea, qvod acceperit elapſis ſeptimanis literas Regias, vitrum, aqva fontis S. Helenæ plenum, ſex circiter libra..., ut qvid contineret, exploraret, qvod cum faceret & de...atione evaporaret, exiguam terræ ſalſæ portiunculam, vix ...pulum unum pendentem, in fundo relictam deprehendiſſe; ...m nitroſæ an alterius naturæ, facies ut ſciam; inprimis vel tu, vel alius majori in qvantitate periculum ejus fecerit; ...as mira hic ſparguntur de ejus viribus & facultatibus. Scrip... ad me non ità pridem Dn. Epiſcopus Scaniæ D. *Winſtrupius*, per optionem Capitularem, uti vocamus, Præbendam *Nö...le*, qvæ ab obitu *Galthii* vacabat, cum Karupiano Ca...nicatu meo, oppidò tenui & exiguo, meo nomine commu...le, conſiliô Dn. *Willichii Weſthovii*. Num confidas, aliqvot ...norum ſpatio, in florem priſtinum reſtitutum iri Scaniæ ter...orium, bonaqve imprimis Capitularia noſtra, â vicinis Har...iis ac perfidis hoſtibus deplorandum in modum devaſtata, ſi ...cem redonare velit Clementia Divina, tuum expeto judi...um. - - Generum meum, tui amantiſſimum, Superintenden...m & Paſtorem Ducis Holſatiæ audire, Doctorisqve in Theo...gia titulum, ni fallor, 23. Julii nuper præterito, ſuſcepiſſe ...ſtochii, tibi citra dubium jam innotuit. Qvis in Haders...bienſi Præpoſitura ipſius ſucceſſor futurus, altum apud nos ...entium. Adverſarium olim tuum qvendam, *Pfeiffer* nomine, ...omotum cupere, non nemo hic mihi narravit. Filius meus, ...tu major, ex Boruſſia plurimam ſalutem tibi denunciat of...cioſiſſimè. Vale &c. Nycopiæ Calend. Auguſti 1645.

DXXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

...ycopiam.

DE planta *Orbia* nihil plane à *Sperlingio* hactenus hauſi. Sin...gulis Medicorum aqvæ Fontis Heleniani vitrum transmi...it Regia Majeſtas, ut de eo ſententias ſeparatim ferrent; ſed ...vilibet ſuo abundabat ſenſu. Ego nihil præter margam qvan...

dam ochræ permiſtam in ea reperi; hinc, qvid præſtare valeat, ipſe facile collegeris. Multa de miraculis ibi editis ſparguntur; ſed ex iis, qvos ego conveni, qvi hoc fonte uſi ſunt, neminem adhuc vidi, qvi dicere poſſet, ſe eo reſtitutum. Ut mihi de Præbenda Wram, ita Tibi viciſſim de Nybölle gratulor. Nomen inane tenemus, cui parum jam ſubeſt rei. An brevi inde aliqvid ſperandum, mihi æqve atqve Tibi ignotum? De promotione generi tui antea nihil plane ſciebam. Tibi & Ipſi gratulor. Rogo officioſe, meo ſalutes nomine, ubi ſcripſeris. De Succeſſore altum apud nos ſilentium. Hafn. 17. Auguſt. 1645.

DXXIX.

Ex literis

HENR. CUSTERI

ad

OL. WORMIUM.

Hafniam.

IN *Taxam Pharmacopolarum* veſtram, nuper publicatum, vitiis plurimis ſcatentem, num conſenſeris, edoce me qvæſo: uti &, num familiaris tibi Wurtembergenſis non ità pridem advena ad vos factus Medicus, *aurum potabile* (modò non putabile) ac irreducibile venditans; qvidqve ſentias, poſitô, aurum potabile irreducibile poſſe effici, num unqvam expertus, liqvorem hunc adeò ſalutarem eſſe humano corpori, ut vitæ balſamus præcipuus meritò appellari poſſit, Chymici uti credunt. In hoc ego antehac ac etiamnum incredulus Thomas ſum; qvicqvid etiam *Plinius* de auri viribus ſentiat. Nova te digna hic nulla, niſi qvod decantatum illud Naturæ lumen, HUGO GROTIUS, in aula Regia Gallica Legatus Svecicus (acerrimus hujus regni hoſtis,) non ità pridem ex Svecia redux factus, ingenti naufragio, in Caſſubia qvod paſſus, conſternatus, Roſtochii vitæ exhæres factus, iverit, unde negant redire qvenqvam, qvò Divus Tullus & Ancus, qvò Paulus & Adam; Cadaver â Medicis Roſtochienſibus conditum, in Galliam

Galliam remiſſum, Regis Poloniæ Legatus, cum numeroſiſſimo comitatu ad trecentos homines ſe extendente, ad ſponſam ex Galliis petendam & in Poloniam inferendam, Roſtochium pertranſiens, in diverſoriis nimis parcè ſumtum fecit, ut fama fert. Comitatui dicto interfuit Regis Poloniæ cubicularius Medicus *D. Knephelius*. Hic toti adhuc ſumus in munienda arce & oppidulo, labore ſine dubio ad aliqvot annos continuando. Vale &c. Nycop. 17. Sept. 1645.

DXXX.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

QVæ penes me erant rerum tuarum, tradita ſunt uxori omnia, ut ſpero, ſalva; Faxit DEus, qvietè & ſine perturbatione iis frui ut poſſint etiam nepotes tui. *Taxam* novam qvi probarem, cum eam nunqvam viderim, anteqvam typis excuſam mihi oſtenderit *Moltkenius* noſter. Medicum, qvi aurum illud potabile venditat, in plateis qvidem vidi, ſed nulla mihi cum eo intercedit familiaritas. Qvid ejusmodi pharmacis tribuendum, per te noſti; ſatis enim à Medicis ventilata hæc eſt controverſia. De viribus ſit ut velit, præparationem ſine corroſivo irreducibilem, ut vocant, qvando videro & probavero, credam; Nam *Antonium Anglum*, famoſum illum veri auri potabilis venditorem, omnes fefelliſſe novi. Interea iis utor, qvæ longa experientia fulti majores noſtri tuta, ſana ac proba eſſe judicarunt. Magno deſiderio videndi aureum Cornu flagrat Legatus noſter Gallicus: forſan per alios Illuſtriſſ. Principem ſolicitabit, voti ut fiat compos. Vir eſt optimus, literatorum fautor ſummus. Nil hic novi, niſi qvod omnes ſibi de acqviſita pace gratulentur: & jam onere militum liberari ſi poſſint incolæ, præclarè ſecum actum putabunt. Vale Hafniæ 23. Sept. 1645. Mitto iteratam & auctiorem editionem Catalogi mei: boni conſule.

DXXXI.

DXXXI.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
Ol. Wormium.

De ſalario annuo, qvod, ut fama fert, â Pharmacopœis Hafnienſibus, pro Phyſicatu, ut vocant, ducentorum imperialium thalerorum exigit *D. Simon Pauli*, ſcire exopto. Stat ſententia Sereniſſ. Principi & Sereniſſimæ ipſius Conjugi, niſi aliter vortat qvi omnia moderatur, primo vere futuro ad Acidulas & Thermas ire, Langenſwalbenſes & Weisbadenſes. Jupiter, qvi genus colis aliſqve hominum, per qvem vivimus vitale ævum, da felicem & ſalutarem tam ſumtuoſi, ſi non &, hoc rerum in Germania turbulentiſſimo ſtatu, periculoſi itineris ſucceſſum, Sereniſſimorum Principum, totiusqve regni hujus diuturno bono! ne illis obveniat, de qvo *Abrah. Schopffius*, Aulæ Wirtembergicæ Medicus, in ſua *Omnium præſidiorum Medicorum, Univerſalium & Topicorum, Disqviſitione p.* 83. conqveritur, nempe, qvod ægri nonnulli, poſteaqvam defatigati „á Medicis, parvum ſucceſſum videntibus, ad balnea & ther„mas, ceu ad ſacram anchoram ablegentur, in iisdem inun„ctionem & ablutionem corporis recipiant, unde qvidam viri„bus omnibus exhauſti, vix domum reducantur, alii in Ema„us abeant, ipſisqve pro Lætare Reqvies æterna canatur. Facultatem veſtram Medicam, ſuper hoc tam arduo negotio, in conſilium adhibitam, vix ambigo. Ego, ſalvo aliorum judicio, Acidularum thermarumqve uſum non inutilem cenſerem, ſi qvotannis earum uſus iniri ac continuari poſſet. Sed hæc omnia in aurem; licet toti aulæ noſtræ de itinere dicto conſtet abundè; dum eqvis id & qvadrigis jam adornetur â nonnullis. Danus, neſcio qvis, ex Italia redux, Medicinæ D. in Chymia inprimis excellens, apud vos degens, nobis hic commendatur. : : : Nycop. 12. Decembr. 1645.

DXXXII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

ſcopiam.

Ro tua de ſtatu noſtro ſolicitudine merito gratias ago. Vi-
vo eqvidem, & de valetudine, ſic ſatis bona, gratias Deo
ɔeo, nec non de liberorum ac familiæ incolumitate. De
xa noſtra non habeo qvod ſcribam, ſiqvidem de ea aut mu-
ıda, aut rurſum imprimenda, nihil aliud audiverim, qvam
od Pharmacopolæ conqverantur. *Bramii* valetudo deſperata
D. *Fabricio*, qvi cum *Sperlingio* ejus agit curam. Pharmaco-
:i ſimpliciter renuunt ſe qvicqvam daturos D. *Simoni Pauli*,
m res ſit inaudita, Phyſicum Civitatis â Pharmacopœis ſti-
ndium flagitare, ejus nec expetentibus operam, neqve eâ indi-
ntibus. Ac, ut ſcias, non ducentorum, ſed qvingentorum
ſtulat annuatim ſummam, cum medicamentis pro ſua fami-
, charta, atramento, aliisqve neſcio qvibus. *Diſputatio-*
ordinariæ bina mitto exempla, qvorum alterum tibi, alte-
m filio tuo dicatum. De ultima ejus controverſia tuum expe-
judicium, ſiqvidem certis de cauſis reliqvis adjecta. Qvis ca-
:dram Theologicam ſit occupaturus, adhuc planè ignoramus.
rtholini filius natu maximus nuper pro Cathedra Philologi-
hic diſputavit. Huic proximus *Thomas*, ſcriptis clarus, Ba-
:æ gradum Doctoratus in Medicina nuper obtinuit. Dum in
ɪruſſia commoratur filius tuus, ſuaderem *Knefelii* ut ambiret
ɪiliaritatem: mira enim & rara de ejus medendi methodo
:ulit mihi illuſtriſſ. Legatus Gallicus, qvi qvibusdam ejus
rationibus in Belgio interfuit. De Sereniſſ. Principis ad Ther-
ıs itinere nihil plane inaudivi, anteqvam hæc ad me perſcri-
res. Deus ſanctis ſuis angelis eos conducat, & ſucceſſus lar-
ıtur proſperos! Is qvi ex Italia rediit Medicus Chymicus,
iis qvi familiariter ipſum Venetiis viderunt, tanti non fit,
'anti apud vos æſtimari ſcribis. Hominem qvidem novi, ſed
ıllam mecum colit familiaritatem; nec qvenqvam, qvi e-
s opera in medendo hic uſus ſit, novi. Vale feliciſſ. &
ɪvum hunc annum proſperrime cum tota tranſige familia.

Salu-

giam, periculoſiſſima Epilepſiæ & arthritidis recidivâ laborantem, commoratur. Rumor hic eſt, D. *Sperlingium* veſtrum, gratiâ priſtina impetrata, officium ſuum denuò recepturum; qvamvis qvidam Flensburgi degens Medicus, ſummo, uti audio, conamine totisqve viribus, patrocinio regni cujusdam Primatis nixus, id egerit, qvo ſucceſſor D. *Dieterici*, nimis carè ſeſe habentis, audiret, tam qvoad hortum Regium, qvam qvoad Xenodochium. Hic nuper per qvatriduum Hamburgo, juſſu gratioſo Ipſius Celſitudinis, neſcio qvam ob cauſam, vocatus nobis adfuit, triduum ante feſtum Paſchatos abitum viciſſim maturans, ob conjugem valetudinariam, calculoſam, ſpleneticam, uterino ſcirrho & prolapſu laborantem, cum qva ad Acidulas & thermas ſuo ſumtu, verno hoc tempore, iter ingredietur per Hollandiam. Nos hic, non ſine magno incolarum ſumtu, toti ſumus in magnis mœniis muniendis. Qvis ille Medicus Italo-Danus, potabile aurum apud nos venditans, de qvo non ità pridem qvæſivi, edoce me qvæſo; ferunt Generoſam Dominam *Wilke* ejus conſilio & ope jam uti, qvo ſucceſſu, ignoro. Cauſam ſi noveris, cur D. *Dietthericus* ab officio Medico in Aula Regia tam ſubitò remotus, facies me participem. . . . Nycopiæ die nativitatis Sereniſſ. Principis mei, qvi erat 10. Aprilis 1646. qvo Ipſius Celſitudo ingreſſa annum qvadrageſimum qvartum; Faxit ter Opt. Max. felici & pacifico regni bono!

DXXXVI.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Nycopiam.

ADventum tuum præſtolabimur ad 6. Maji, tum liberrimus filio patebit ad ſceleton meum aditus; claves enim tradam, ut pro lubitu utatur. Incepi jam jam à Feriis Paſchatos juxta præſcriptum *Bartholini* Oſteologiam docere, ita ut, qvam fieri poteſt, breviſſimis, oſſa corporis humani auditoribus oſtendam, more ſingulis annis à me recepto. Si ante ejus adventum non abſolvero inſtitutum, forſan & mea qvalicunqve in hoc

hoc ſtudiorum genere uti poteſt opera, qvam etiam lubentiſſime ipſi accommodabo. Major natu ubi redierit, me viſitare ſi voluerit, gratiſſimum fecerit. A fide digno accepi, per te Nobiliſſimo Dn. *Gerſtrupio* ſcriptum eſſe, diſputaſſe juniorem *Laurenbergium* contra *Bartholinum*, verum, ubi & qvando, non addidit, qvi retulit; qvocirca, rem totam à te me uberius percepturum, ſperabam, eumqve in finem meas nuper ad te dedi. Siqvid ſubſit, non diſſimulabunt alii. *Sperlingius* cum Aulæ Magiſtro in gratiam rediit, ſed, qvod priſtinum locum ſit occupaturus, nondum percepi, nec adhuc qvenqvam hiſce muneribus præfectum credo. Medicus ille Italo-Danus procul dubio eſt *Olaus Petri Hafnienſis*, qvi Patavii in Italia titulo Doctoris eſt exornatus; ferunt ipſum qvædam apud Dominam *Vibikam* tentaſſe, ſed nec Regiæ Majeſtati nec ipſi ægræ placuiſſe ejus tentamina. Ego aliqvoties jam ad ipſam ſum vocatus, inveniqve morbo laborantem non admodum periculoſo, nec curatu difficili, modò ſe ſanis accommodaret conſiliis. Qvid D. *Dietericum* ab aula removerit, una cum ignariſſimis ignoro, nec curioſius in hanc rem unqvam inqviſivi. Vale, & tuos officioſe ſaluta. Hafn. 17. April. 1646.

DXXXVII.

Ex literis
HENR. CUSTERI
ad
D. Ol. Worminm.

D. *Helwig Diethrich*, ad acidulas & thermas, cum conjuge morboſa, à Sereniſſ. Principe eundi permiſſionem qvi acceperat, mirè earum ſucceſſum feliciſſimum deprædicat, in ſcriptis nuper huc datis: Conjux antehac paralytica vel contracta, jam per integrum milliare cum marito ambulare valet: Maritus antehac cephalalgiâ freqventiori, vomitu, nauſeá, hypochondriaca affectione, podagrâ malignâ ſatis per intervalla laborans, ſe ab omni malo dicto liberatum deprædicat; tam bonis novis citra dubium animum in his locis addens.

addens, anno ſeqvente idem ut experiamur. ſat ſapienti. 22. Jul. 1646. poſtqvam ex itinere inprimis ſumtuoſo, qvod in Holſatiam cum Clementiſſimis Dominis meis habui, reverſus eſſem.

DXXXVIII.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Cuſtero.

Filius tuus, ex Boruſſia redux, me ubi convenerit, eum de voluntate Parentis certiorem reddam. Tantum Thermarum & acidularum fructum qvod perceperit D. *Dietherićus*, bene ſe habet; at hic rumor eſt, gratia Sereniſſimi Principis excidiſſe eum; qvod non credo, cum tam familiariter ad Aulam veſtram referat minutias domeſticas. Ad qvid de Thermarum facultatibus dicemus, cum omnes fontes Oſcherlebienſes illi & ipſam qvidem naturam ſuperent, ſi vera, qvæ tot ordinariis relationibus ad nos deferuntur. An in Holſatia qvidqvam de iis perceperis, proxime docebis. Vale, & amare perge. Hafn. 3. Aug. 1646.

Aulæ Magiſter ex Senatoribus comitem, qvod ſciam, habet nullum. *Sperlingius* verò paulo ante abitum Legati me convenit, ac, ſe cum eo iturum, dixit, unde etiam literas ad Dn. *Thuillerium* & amicos alios in Galliis dedi: ſed, ut video, adhuc apud nos hæret; an ſecuturus ſit, me latet.

DXXXIX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fiurenio.

Leidam.

GRatiſſimæ mihi tuæ fuerunt literæ, mi Fuireni, qvas una cum ſeminibus & *Spiegelii Iſagoge* recte, licet tarde, accepi, pro qvibus ut gratias ago magnas, ita tuam non poſſum non laudare induſtriam, qvi tempus & impenſas ita locas, ut

nec

nec ignavo otio torpeſcere, nec pravorum ſodalitio ad ſiniſtra abreptus audiaris. Perge, qvo cœpiſti pede, nec ab Avi conſiliis deflecte: ſic Parenti æmulus, qvin Patriæ commodo, nobis omnibus gaudio, optimarum diſciplinarum theſaurum nactus, tandem ſis rediturus, non dubito. Si qvid Anatomici veſtri in venis lacteis meſenterii (qvas apud me in cane te vidiſſe memini) obſervaverint peculiare, de eo certiorem ut me reddas, rogo. Mitto hujus anni exercitationem, in qva *de Renum uſu* qvædam videbis, de qvibus aliorum expeto judicia. Non diſplicet Botanicum apud *Mothium* exercitium, etiam in media bruma, qvum non dubitem, qvin in horto ſuo ſingularem faciem unà ſit oſtenſurus. Methodus enim illa *Sennerti* potius plantarum vires & facultates ſpectare videtur, qvam externum earum habitum & faciem, qvæ omnino non negligenda. Qvid enim juvat ſcire, qvibus Roſa prædita ſit viribus, ſi qvid aut qvalis flos Roſa ſit, ignores? Hoc verò crebra ipſarum tractatione & inſpectione hauriendum; cui haud parum confert plantarum in certas claſſes juxta figuram & formam externam congeſtio. Qvamvis in transmiſſo horti catalogo ſint, qvorum magno tenear deſiderio, tamen hac vice, ut in poſterum promptiorem habeam, te eorum cura non onerabo. *Mothium* ſaluta, qvæſo, & mone, ut, ſi ſe offerat occaſio, hernias per puncturam auream curandi rationem diſcere & exercere haud negligat; moniti qvin olim fructum percepturus ſit uberrimum, non dubitabit. Qvod & tibi dictum cupio. Vale, & me paterno planè affectu tibi tuisqve conatibus addictum certo ſtatue. Hafniæ 6. Februar. 1634.

DXL.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fiurenio.

TUas iterum videre qvod mihi contigerit, perqvam grate accidit. Qvod noſtræ tardius curantur, non mirum; antiqvum enim obtinent tabelliones aliiqve, qvibus talia committuntur. Mirari ſatis neqveo, Anatomicos Veſtros tanta oſcitantia ſubjecta tractare, ut vaſa tam neceſſaria, tam utilia, à

tot non modo accuratis Anatomicis, ſed etiam ſtudioſis & Tyronibus animadverſa & demonſtrata, contra omnem oculorum fidem, negare aut ſupprimere auſint. Non ita olim *Pawius*; non alii, qvi Academiæ famam peperere. Tu interim qvæ à præceptoribus obſervata, & ad oculum demonſtrata, etſi contra totius antiqvitatis decreta, diligenter conde. Secula in hisce indies proficiunt, & eorum fructum olim reportabis. Vale. Hafniæ 9. Maji, 1634.

DXLI.

HENRICUS FUIREN

D. Ol. Wormio

Salutem & Obſervantiam.

CONſtitui aliqvoties, Clariſſime Dn. Doctor, diuturnum ſilentium interrumpere, literisqve meis non tam obſeqvia tibi offerre, qvam ad ulteriorem mei amorem, cujus uberrimum hactenus fructum percepi, ſtimulos addere. Verum, qvod ingenuè fateor, tantum mihi animi non fuit, hoc ut aggrederer: jam vero exoptatiſſimis tuis, qvibus XI. Junii adſcriptus erat, excitatus, libens agnoſco erraſſe me hac in parte non leviter, veniamqve erroris ut concedas, etiam atqve etiam rogo. D. *Elichmannum* tuo nomine ſalutavi qvi poſtulanti ea, qvæ injunxiſti, dixit ſe proxima vice promiſſis ſuis ſatisfacturum: feciſſet autem dudum, niſi praxis, qvam hic ſumma dexteritate adminiſtrat, aliæqve, qvibus implicitus eſt, curæ id hactenus prohibuiſſent. Ab eodem accepi, *Salmaſium*, qvi, ſæviente ſuperiore anno peſtifera lue, in Galliam abiit, brevi huc reverſurum: eundem verò *Salmaſium Plinii* novam editionem nunqvam meditatum eſſe. Commentarios autem *de Materia Medica*, qvos publici juris facere conſtituit, ad tempus ſeponere eum cogit ſcriptum *de Militia antiqva*, qvod juſſu Principis Auriaci editurus eſt. Studia mea qvod attinet, privatum qvidem collegium in Medicina aperuit D. *Walæus*, in qvo ſumma fide Inſtitutiones enucleat, dubiaqve â nobis objecta ſolvit. Publicè profitentes audio D. *Vorſtium*, D. *Heurnium* & Dn.

: Dn. *Boxhornium*, qvi ultimus tanta laude Metamorphoſin
Ovidii explicat, ut Profeſſores etiam, qvi crebro lectionibus e-
is interſunt, doctiores ſemper recedant. Ex libris, qvos de-
deraſti, nunc mitto *de Laët Deſcriptionem novi orbis*, miſſurus
poſtea *Cluſii Opera*, qvando ea mihi procurârit *Elzevirius*,
nulla cui jam in promtu erant exemplaria. Hiſce vale, Cl.
Domine, mihiqve ac meis ſtudiis porro fave. Lugd. Bat. 10.
Septembr. 1636.

DXLII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

PRo transmiſſo *Cluſio*, ut & literis amiciſſimis, gratias ago
maximas; inprimis verò gratiſſimum fuit communicatum
exercitiorum veſtrorum ſpecimen. Placet mihi grata brevitas,
judicii dexteritas, methodus expedita; non ſine grandi ſtudi-
orum tuorum acceſſione hinc diſcedas, ſcio. *Setas porci* iſtius
Americani inter rara mea reponam, non ſine honorifica Tui
mentione. Porcus ille, ni fallor, is eſt, qvi Indis *Zahinus* di-
citur, aliis *Coya Metl.* Mamma, de qva loqveris, in dorſo
exiſtens, qvibusdam ejus umbilicus eſſe putatur; alii per eam
reſpirare credunt, à qvo non abhorret *Lerius.* Ejus hiſtoriam
collegit *Nierenbergius* ex variis auctoribus, cui addam tuas
obſervationes Anatomicas, diligenter adeo annotatas. Mitto
Jacobo Marci promiſſa *Literaturæ* meæ exempla: qvæſo, ne
grave ſit tibi, ei tradere, ac ſchedulam acceptilationis, mihi
mittendam, ab eo poſtulare. Ubi faſciculum recluſeris, in-
venies tria exempla in meliori charta, tibi, fratri & *Elich-
manno* deputata, qvæ haud gravatè diſpenſabis. Qvod ſi
plus meo nomine expenſum, qvam miſſum, dictus *Jacobus*
reſtituet; nollem enim tibi qvicqvam incommodi creatum.
Fratrem, meo nomine, officioſe ſaluta. Hafniæ, ipſis Calend.
Aprilis, 1637.

DXLIII.

HENRICUS FUIRENIUS

D. Olao Wormio.

Hafniam.

PRomiſeram in poſtremis, qvas ad te 8. Januar. dederam, me de iis, qvæ à me exegeras, per popularem noſtrum *Jacobum Otteſen* certiorem facturum. Voto igitur debitoqve meo qvodammodo ut ſatisfaciam, denuò in conſpectum venio tuam. Prioribus eqvidem hæc adjungi potuiſſent; temporis verò anguſtia id fieri prohibebat.

Poſt *Riolani*, qvi jam cum Regina Matre Lugduni moratur, abitum, cui primas tribuam partes, dubito. Omnes ſinguliqve Facultatis Med. Pariſ. Doctores ſummam in publicis diſputationibus doctrinam qvavis ferè ſeptimana præclarè demonſtrant: Profeſſores doctis prælectionibus artem noſtram illuſtrant: Nullus tamen eſt, qvi ſcriptis ſe qvid ſcire pro dignitate teſtetur. Ante annos tamen aliqvot D. *Guilielmus du Val* Philoſ. Profeſſor Regius, Ariſtotelis opera cum annotationibus edi curavit. D. *Cornuti* plantarum qvarundam Hiſtoriam ſcripſit. Jam verò ſub prælo fervent *Hippocratis* & *Galeni* opera, curâ ſumtibusqve D. *Renati Chartier* Græcè & Latinè octo tomis edenda, qvorum dimidia pars ante feſtum incarnationis abſoluta erat, altera qvæ reſtat, annuo, ut à typographo accepi, abſolvetur ſpatio. Exemplaria viliori chartæ impreſſa ſexaginta, qvæ verò in meliori excuſa erunt, ſeptuaginta proſtabunt florenis. Qvi verò & qvot Facultatis noſtræ Doctores hic ſint, ex adjuncta *Pharmacopœa* facilè cognoſces; qvam æqvo ut accipias animo, impenſè rogo. Hiſce vale, Fautor certiſſime, & amore ac commendatione tua me porrò dignare. Dab. raptim Lutet. Pariſ. d. Febr. ft. n. An. 1638.

DXLIV.

DXLIV.

HENRICUS FUIREN

D. Olao Wormio

S. & O.

NEſcio, qvibus faſcinatus officio non diu ſatisfecerim meo. Nugis veritatem tegere animus mihi non eſt: peccaſſe verò contra te, qvi deprecanti veniam facile dabis, ſolatium. Ne interim cum literarum ſcriptione ſtudia ſimul mea omiſiſſe videar, qvid elapſâ hyeme inceperim, qvid præſtiterim, qvidqve obſervaverim, dicam. Chymica qvidem, monſtrante ad hæc viam D. *Davidſono* Scoto, ſcrutatus, ad Anatomica animum appuli, tum qvod anni tempus huic deſtinaveram exercitio, tum etiam qvod in Anatomicis Medicos Pariſienſes plurimum valere perceperam. Sectionibus itaqve corporum humanorum, tam publicis, qvam privatis ſedulò interfui, ità qvidem, ut ex ſeptem omnino nullam omiſerim. In his duo notatu digna obſervavi: (de vaſorum ſpermaticorum varietate nihil dicam, cum naturam in iis utplurimum ludere animadverterim,) unum erat, qvod vena ἄζυγος non minus in dextra, qvam in ſiniſtra parte inveniebatur. Alterum rarius erat; In cranio enim inter duram & piam matrem ſex reperiebantur officula, piæ matri ſic adhærentia, ut non, niſi læſâ eâ, poſſent avelli; tenuia erant nulliusqve certæ figuræ. Nulla interim cranii fractura, nullum duræ meningis vulnus, nullum etiam usqvam vel fracturæ, vel vulneris veſtigium videbatur. Horum officulorum duo in ſincipite (à qvovis latere unum). qvatuor reliqva in duplicatura tenuis meningis erant. Ad Botanica etiam me tum anni tempus, tum Præſidis Horti Medici eximia erudito, qvam ex libro Gallicè evulgato de natura & viribus plantatum abunde patere arbitror, invitavit. At qvod animum diſcendi cupidum expleret, nihil inveni. Ignoti qvidem doctrina me invitaverat, noti verò moroſitas me ab ulteriori commercio abſterruit. Objecit nimirum, liberum in hortum intromiſſionem petenti, eum plantis ſatis inſtructum non eſſe, ſeqve demonſtrationibus illarum, utpote in libro, qvem

meditatur edere, *de Medicina naturali & ſenſibili*, aliisque curis qvotidianis occupatum, vacare non poſſe. Ergo hác ſpe fruſtratus, majori ad privata ſtudia fervore me contuli. Hicqve ſubſiſto, unicè nunc rogans, ut amore me, qvo ſoles, amplecti pergas. Vale, & in commodum plurimorum diu vive. Pariſiis 31. Julii 1638.

Mitto ſemina *Herbæ viventis*, qvæ ſuperiori anno ex India Lugdunum Batavorum apportata ſunt, ſperans grata tibi fore. Iterum vale.

DXLV.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Pariſios.

TUas, Lutetiæ Pariſiorum datas 31. Julii, 20. Octobris accepi, qvibus literarum raritatem excuſas, deqve ſtudiorum tuorum ſtatu certiorem me facis. Non eſt, mi *Fuireni*, tam operoſe qvod mecum agas, cum mihi benevolus ille tuus in me animus abunde ſit perſpectus, & valetudo infirmior, lociqve tanta diſtantia à crebriori literarum commercio abunde te excuſatum reddant. Toties te morbis conflictari, mihi ingratum, neſcio, an aëri ejus loci minus ſalubri tuoqve temperamento forſan adverſo, hoc adſcribendum. Qvid, ſi cum ſalubriori permutares? Si eo in ſtatu res Medica apud Montiſpelienſes eſſet, qvo olim, illuc ut te conferres, ſvaderem. Sed jam ab aliqvot annis certe nihil de ea Academia reſcire potui. Olim & Anatomiæ & Botanices & praxeos & Diſputationum exercitiis, nulli totius Europæ cedebat, ut taceam, qvod aëris ſalubritate & ſumptuum mediocritate qvamplurimos Medicinæ candidatos pellicuerit, ſed tute melius ibidem ſingula expiſcaberis. Gratæ mihi fuerunt obſervationes illæ Anatomicæ. Venam aliqvam & ipſe Baſileæ & Patavii in dextro latere obſervavi; ſed de oſſibus iſtis, inter duram & piam matrem ſitis, mirum. Cuperem ſcire, qvá valetudine fuerit illud ſubjectum? an morbis capitis, & qvibus laboraverit? Puto te

vidiſſe

vidiſſe ſex illa oſſicula in ſutura, lambdoide, hic ſæpius in ſceletis noſtris à me oſtenſa, & à nemine Anatomicorum, qvod ſciam, animadverſa. Sed illa cum reliqvo cranium conſtituunt, & nihil cum tuis iſtis habent commercii. * * * Vale. 23. Octobr. 1638.

DXLVI.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

MEnſis ab eo tempore, qvo Patavium videre licuit, elapſus eſt. Ut autem, qva ratione iter noſtrum inſtituimus, tibi pateat, breviſſime id enarrabo. Lutetiâ 15. Aprilis relicta, Lugdunum primum appulimus, ubi qvatuor dierum ſpatio familiaritate utebamur Viri humaniſſimi, D. *Henrici Gras*, Practici ejusdem urbis experientiſſimi, cui nos D. *Paulus Moth* commendaverat. Hic omnia humanitatis contulit officia: Bibliothecam ſuam nobis aperuit rariſſimis inſtructam libris: ad ægros ſecum deduxit: famulum conceſſit, qvi ad urbis decora contemplanda, Xenodochium & orphanotrophium, nos duxit: commendatitiis inſuper nos inſtruxit ad Clariſſimum Academiæ Montiſpeſſulanæ Cancellarium, Dn. D. *Ranchin*. His muniti, rectâ Monſpelium perreximus, eoqve, luſtratis in via Valenciorum & Arauſionum Academiis, 6. Maji venimus. Multa dicendæ eſſent, cur hujus loci genius majorem in modum mihi arriſerit, qvæ brevitatis cauſa nunc prætereo. Ex iis tamen tacere neqveo inſignem Profeſſorum humanitatem, horti Medici præſtantiam, crebrasqve diſputationes, qvæ tam à Medicis, qvam Pharmacopœis habentur; qvæ omnia, diuturniorem mihi moram hic ſuaſiſſent, niſi nervus rerum gerendarum Venetiis qværendus fuiſſet. Et ſanè, ut qvod res eſt dicam, pœnitet me temporis, qvod Pariſiis contrivi, qvod majori ſtudiorum meorum emolumento, minoribusqve Monſpelii exactum fuiſſet ſumtibus. Hinc per Maſſiliam itinere facto, Genuam appulimus: viſâ deinde Piſarum Academia, ejusqve horto Medico luſtrato, Florentiam ivimus, indeqve per Bononiam Patavium, ubi finem moleſti itineris d. 9. Junii aſ-

ſecuti ſumus. Poſtridie literis tuis Do. *Rhodio* oblatis, commendationis tuæ vim expertus ſum: officia namqve ſua nobis obtulit promtiſſima, de hoſpitio proſpexit, eumqve ſe geſſit, ut tam ipſi qvam tibi, qvi commendaſti, gratiæ à nobis debeantur immortales. Adeo is nunc in edenda *de Acia Celſi* eſt occupatus, ut ad ſcalpendas aures vix tempus ei ſuperſit; literas verò, qvas te ante biennium ipſi dediſſe refers, nunqvam ſe vidiſſe teſtatur. Salutaris interim ab eo fratreqve meo. Vale, Vir Experientiſſime, meqve amore ſolito complectere. Patavii 28. Julii, Anno 1639.

DXLVII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

QVam gratæ mihi fuerunt tuæ, Patavii menſe Julio datæ, effari neqveo; de multis enim erudierunt, de qvibus diu etiam ſollicitus; imprimis Montiſpeſſulanæ Academiæ ſtatum ad priſtinum ferme reductum inde ſcire perplacuit, ſed ante omnia, te, ſuperatis tot viarum & terrarum periculis, tot præclaris luſtratis Academiis, ſalvum Patavium appuliſſe. DEus porro tuis adſit conatibus, firmam valetudinem & ſana conſilia suppeditet! Alicujus ponderis apud *Rhodium* meas fuiſſe gaudeo; priſcam namqve familiaritatem ipſi animo nondum excidiſſe, colligo, at eas, de qvibus ad te ſcripſi, probè curatas non eſſe doleo; adjunxi namqve meum de *Literatura Runica* libellum, de qvo ejus judicium exqvirere mihi animus erat. Affini ejus *Bardſchero* curandas tradidi, ſed qva incuria perierint, ignoro. Expiſcare, qvæſo, an unqvam libellum illum viderit. Qvod ſi in Italiam delatus non ſit, dabo operam, ad ipſum deferri ut qveat. *Aciam Celſi* enodatam eum brevi nobis daturum audio, ſed ecqvando integrum *Celſum*, tantopere exſpectatum? Pro tranſmiſſa *Pharmacopœa Pariſienſi* gratias ago maximas; ante menſem circiter primulum accepi, adeo ſegniter concredita curant Studioſorum qvidam. De rebus noſtris certiorem te reddet mater, iis qvocirca non immoror. Nuptiis Sororis tuæ & filiæ meæ *In-*

gera

gera hiſce diebus occupati fuimus toti. Unicum addo, tibi, ut reor, minus gratum futurum, Virum Clariſſimum, D. *Joachimum Burſerum*, Soræ maligna febri, circa Auguſti finem, extinctum, D. *Chriſtianum Matthiæ Dithmarſum* ibidem Theologiæ Profeſſorem ſponte officium reſignaſſe, & in Belgium conceſſiſſe. In Academia noſtra, qvæ hactenus extiterit rerum viciſſitudo, dubio procul dudum percepiſti. Noſter *Thomas Bartholinus* Leidæ diligenter ſtudio Medico invigilat; induſtriam & profectum juvenis ſatis laudare neqveo. Singulis menſibus ferme ad me ſcribit, & de obviis qvibusvis certiorem me reddit. Tu, ut facis, perge, mi *Henrice*, & ſubinde literis tuis me recrea. DEus te ſoſpitem nobis ſervet, & incolumem reducat! *Rhodium* & fratrem ſaluto officioſe. Hafniæ, 8. Sept. 1639.

DXLVIII.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

Hafniam.

EX literis tuis 8. Sept. datis ſuperiores meas gratas tibi fuiſſe non absqve ſumma intellexi voluptate. Gratas igitur & has fore mihi promitto, qvæ, qvid Medici hic agant, qvaqve ratione in cœpto ſtudiorum curriculo progrediar, indicabunt. Finitis feriis æſtivis, ad lectiones ſolitas 3. Nov. ſeſe accinxerunt Profeſſores pariter omnes. Omnium lectionibus, cum numerus eorum decimum qvintum æqvet, intereſſe res meæ ac ſtudia, qvæ Medicinæ ſoli addixi, non ferunt; indicabo ſaltem, qvid Medici, qvorum auditor ſum aſſiduus, agant. Hora itaqve matutinâ primâ D. *Johannem Veslingium* audio plantarum virtutes explicantem. Hinc ad Aphoriſmorum Hippocratis enodationem me confero, qvi á D. *Jo. Dominico Sala* explicantur. Poſtea *Jo. Baptiſtam Soncinum* adeo, infimi ventris affectum proponentem. Poſt meridiem autem febrium doctrinam inſtituit D. *Benedictus Sylvaticus*, cujus doctiſſimas prælectiones nemo, cui cordi eſt Medicina, ſine jactura negligere poterit. Privatis interim lectionibus D. *Soncini* qvotidie interſum, audioqve ab eo maximo cum fructu morborum muliebrium ex-

plica-

plicationem. Conſultationes inſuper idem ſingulis diebus extraordinarias horis promeridianis inſtituit. Hæc verò ita tracto, ut praxin exercentem D. *Marchet* diebus extraordinariis comiter, à qvo inſignes hactenus vidi operationes chirurgicas. Habes breviter, Clariſſime, ſtudiorum meorum curſum. Qvi ſi tibi placuerit, gaudeo; ſin minus, qva in re delinqvam, qvidve mutandum ſit, me doceas, rogo, qvi monita tua, haud ſecus, qvam oracula veneror. Jam & qvid *Rhodius* noſter agat, videndum. Is abſoluta *de Acia Celſi* diſſertatione, totus jam eſt in *Scribonio Largo* corrigendo, qvi brevi forſan publici juris futurus eſt. *Cornelius Celſus* verò ejus operâ repurgatus jam qvieſcit, nihilqve fere ad ejus impreſſionem deſideratur, qvam ut nitidè deſcribatur. Prodiit non ità pridem Venetiis tractatus *de ſangvinis à dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum defluentis repertâ viâ*, autore *Cæcilio Folio*, qvo demonſtrare conatur per anaſtomoſin venæ cavæ cum arteria venali ſangvinem in ſiniſtrum cordis receptaculum ferri. Hujus autem opinioni oppoſuit ſe D. *Hordanus* Venetiis etiam praxin exercens, cujus ſcriptum, cum ſub prælo adhuc ferveat, nondum videre mihi licuit. Hic ſubſiſto, meqve favori tuo commendo. Vale. Salutaris à Dn. *Rhodio*, fratreqve meo. Dabam Patavii 1. Decembr. 1639.

DXLIX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

ULtimas tuas, 1. Decembris anni præteriti datas, 22. ejuſdem accepi. De tota ſtudiorum tuorum ratione probe me erudierunt. Perplacet inſtitutum, tibiqve gratulor, qvod commoditatem tam eximiam nactus ſis, ſtudiorum tuorum curſum ad ſcopum optatum perducendi. Unicum ſaltem eſt, qvod hiſce monitum velim, nempe, ut, qvantum poteris, te iis adjungas, qvi felicius praxin apud vos exercent, commoditatem alibi vix habiturus meliorem. *Rhodium* in purgandis bonis auctoribus aſſiduum eſſe, ex tuis colligo, ſed ad nos nihil ejus deferri doleo. Iteratò ei ante menſes duos ſcripſi, meamqve

miſi

miſi *Literaturam*; an acceperit, expiſcare. Videtur omnem veterum amicorum depoſuiſſe curam, cum tot meis ne verbulo reſpondeat. Scilicet magna illa & alta apud vos ingenia Bæotos nos ex alto deſpiciunt. Ipſum nihilominus ſalutare meo nomine non deſine, ut & fratrem. Vobis omnibus feliciſſimum hunc precatus annum, finio. Vale. Hafn. 18. Jan. 1640.

DL.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio

S. & Obſ.

HAc ſeſe offerente occaſione per popularem Dn. *Petrum Ivaridem* officio diutius meo deeſſe nolui, poſt reditum ex monte Summano, qvo me cum D. *Veslingio* fratreqve meo plantarum ſtudio contuleram, de ſubitaneo inexſpectatoqve *Ivaridis* in patriam regreſſu certior nunc primum factus. Conſilium de ſtudiis meis, per ultimas à te communicatum, meritò exoſculor, gratiasqve, qvantas poſſum, ago, operam daturus, ut, qvantum in me eſt, nihil in vanum à te dictum videatur. Hoſpitio præterea cum Dn. *Rhodio*, diu ſatis exſpectato, jam fruor communi, cujus qvotidiana converſatio qvantum ſtudiis profit meis, ſatis narrare neqveo. Qvod autem Dn. *Rhodius* tuis non reſponderit literis, excuſationem ſanè meretur. Tempore enim qvadrageſimali, cum Regiis, qvibus ad Profeſſionem Medicam in Academia Sorana invitatus eſt, tum tuis reſponſurus, Venetias abierat. Qvod autem voto non reſponderit eventus, in cauſa fuit infortunatus caſus, qvo os femoris dextri luxatum ei eſt. Faſciis itaqve arctiſſimè vinctus Venetiis per dies 60. in lecto detentus eſt, iisqve elapſis, vix veniam à Chirurgo huc redeundi impetrare potuit. Rediit tamen, faſciisqve dierum aliqvot intervallo ſolutis, cerata ad roborandum articulum applicuit, qvibus parum juvantibus, primum aqvam Aponenſem, mox lutum D. Helenæ, qvo qvotidie adhuc utitur, adhibere incepit. Ne interim voluntati tuæ deeſſe videretur, librum

brum denuò à te transmiſſum iu lecto perlegit, nihilqve magis optat, qvam ut priſtinæ ſanitati reſtitutus, tibi ſatisfacere qveat. Miror autem ejus ſcriptum *de Acia* nondum ad vos perveniſſe, cum præterito autumno 50. exemplaria, partim Dnn. Profeſſoribus, amicisqve aliis diſtribuenda, patim bibliopolis vendenda affini ſuo transmiſerit. Hic me ſubſiſtere jubet conterraneus; qvapropter nihil addo, niſi qvod enixè rogo, ut *Proſperum Alpinum de Plantis Ægyptiis cum notis Veslingii* nuper editum hilari accipias mente, nec tam libri pretium, qvam meum reſpiciens animum. Salutant te *Rhodius* & frater meus. Dab. Patavii 12. Juhii 1640.

DLI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

PEr *Petrum Ivaridem* literas, qvas miſiſti, accepi, at *Alpinum* neqvaqvam; refert ſportulas ſuas ſe exſpectare cum Bangio, qvibus & hunc & eum, qvem Avo miſiſti, tradidit, qvi ubi venerit, nos munera tua habituros. Non poſſumus ſatis dolere, qvod, qvæ Studioſis committuntur, non ſolum tardè ſed & male curentur. Qvam malè me habeat qvod nondum *Rhodii Aciam* videre contingat, effari neqveo; Scripſit, ſe mihi exemplum miſiſſe, ſed nec ego, nec qvisqvam in Patria noſtra, qvod ſciam, ex qvo commodato habere detur, eum adhuc vidit librum. Noſtra qvod ſpectat, ante paucos dies ſolennem hic celebravimus Doctorum promotionem, in qva tres Theologi (inter qvos primus *Jacobus Matthias* noſter) à *Brochmanno* Epiſcopo, unus Medicus *Stougardus* à me ſummis honoribus ſunt dotati; Avus enim, propter valetudinem, hanc in me derivavit curam. Qvam vellem meorum *Schediasmatum* qvædam tibi, *Rhodio* & amicis transmiſſa, ſed nulla ſe offert tuta & commoda occaſio. *Inſtitutiones* meas jam abſolvit Typographus. Tractatus de *Aureo Principis noſtri Cornu*, ante annum hic invento, ſub prælo fervet. *Faſtos* ſcio *Rhodium* exſpectare; ſeqventi vere, qvid per *Elzevirios* præſtare poſſim, tentabo.

tentabo. Scribit *Rhodius*, *Peireſcium Faſtos* meos laudaſſe; qvæſo, expiſcare, an privatis id factum ſit literis, an verò publico ſcripto, & ſi hoc, qvonam & qvali. Interim vale, & me, ut facis, ama. Hafn. 20. Decembris, 1640.

DLII.

HENRICUS FUIRENIUS

D. Olao Wormio

Salutem & Obſervantiam.

Hafniam.

Mirari ſatis neqveo *Petri Ivaridis* in fide ſervanda negligentiam. Hinc namqve diſceſſurus recepit non ſolum literas, ſed & libros, tibi & Avo dicatos, ſecum in bulga ad vos apportare. Cur autem fidem violaverit cauſam non video. Literas interim meas tibi redditas gaudeo, etiam ſpem mihi aliqvam eſſe, ut obſervantiæ meæ teſtimonium, qvamvis exiguum, tandem tibi offeratur. Verebar namqve, ne cum ejus ſupellectile & libri in latronum abiiſſent manus, â qvibus in Brabantia ſepties, niſi fallor, ſe ſpoliatum huc ſcripſit. Cæterum gratias tibi, qvantas poſſum, ago, qvod abſentis mei memoria adeò apud te vigeat, ut ſchediaſmata tua, cum Diſſertatione *de aureo Cornu*, ſi per *Elzevirium* liceat, mittere velis. Ab Excellentiſſimo *Rhodio* ea, de qvibus certior fieri cupis, percontatus ſum. Refert autem, *Peireſcium* Faſtos tuos privatim diverſis commendaſſe Antiqvitatum ſtudioſis, inter qvos eſt *Naudæus*, Romæ in aula vivens *Cardinalis Bagni*, cujus literæ *Rhodio* ſæpius offeruntur. Nihil autem edidit ipſe *Peireſcius*, ſed aliis ſtimuli auxiliiqve loco, dum viveret, fuit. Mortuus eſt in Gallia Aqvis Sextiis. Sociorum fidei propagandæ de *Literatura Runica* judicium expiſcari nondum potui, cum *Rhodius* ulteriora à *Kirchero*, Collegii iſtius Præſide, per *Naudæum* exſpectet. Rumor huc ante menſes aliqvot pervenit de Profeſſore Anatomico Hafnienſi: cum autem hactenus nihil certi de eo explorare potuerim, rogatum Te velim, ut, ſi per otium liceat, innumeris tuis erga me meritis hoc addas, mihiqve certiora de eo

com-

communices. Excuſabis autem hanc importunitatem, cum Mater in iis, qvæ in patria geruntur, mihi perſcribendis parca admodum ſit. Vale meqve, ut facis, amore tuo porrò dignare. Patavii 4. April. 1641.

DLIII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

TUas, Patavii 4. Aprilis datas, 22. ejusdem accepi, unde intelligo, te ultimas meas probe accepiſſe; gratias verò jam ago, qvod de *Piereſcii* cenſura me certiorem reddideris. Edidit anno præterito Lugduni Batavorum *Notas in Epictetum Salmaſius*, in qvibus hujus Viri obitum vehementer deplorat; ſed qvia nihil unqvam ab eo literis mandatum vidi, qvid præſtiterit, inqvirendum duxi. Qvam vellem Cornu mei ad Vos deferri exempla, qvæ ad *Elzevirium* eo nomine miſi; in hieroglyphicis ejus enodandis pro modulo deſudavi. Vehementer *Kircheri* de eo judicium deſidero. Eſſet forſan, qvod eximium ejus, qvod promiſit, de Hieroglyphicis opus locupletare hic poſſet. Nondum ab *Ivaride*, qvæ miſiſti, adepti ſumus; Hamburgi res ſuas jam deliteſcere ait, qvas in horas exſpectat. Nec *Rhodii* Tractatus de acia ad nos delatus, unicum ſi exceperis exemplum, qvod ſecum huc detulit *Bangius*, cujus mihi uſuram per diem unum conceſſit. Valde mihi placuit judicium acre, lectio varia, ſtylus comtus & cum cura lectus. Urge, & incita, ut qvæ in *Celſum* & *Scribonium Largum* meditatus eſt, diutius haud differat, ſed ut largior in iis ſit, & patriæ ſuæ atqve amicis eorum uſum fructum non invideat. Verum video, eâdem difficultate à vobis huc deferri libros, qvâ a nobis ad vos. De novo Anatomico, ita ſe res habet: Ut primum in aulam vocatus fuit D. *Jac. Fabricius*, pro ea, qva pollet, auctoritate effecit, ut Regia Majeſtas novum ſtipendium 200 Dalerorum annuum Anatomicæ profeſſioni deputaret, cui ejus gener D. *Simon Pauli* una præfectus eſt, qvi hac hyeme librum *Galeni de oſſibus* explicavit, at nihil ſecuit,

cuit, cauſatus ſibi Theatrum deeſſe. *Fridericus Andreæ* brevi ad Vos reverſurus eſt; ſubſtituto enim *Framio*, ejus vices in Academia qvi ſubeat, cum *Schelio* in Belgium, Gallias & Italiam iturus eſt, nondum peregrinationum ſatur. De tuo inſtituto & mora in Italia, vellem, me certiorem aliqvanto redderes. *Thomam Bartholinum* forſan brevi apud vos habebitis, juvenem, ſiqvis alius, ingenio & eruditione præcellentem. Edidit nuper in Belgio Parentis *Anatomiam* cun novis recentiorum inventis, iconibus accuratis & typis nitidiſſimis. Pollicetur majora, qvæ indies exſpectamus; utinam valetudo & vires ingenio & induſtriæ ſufficerent, redivivum in eo certò haberemus Parentem. Vale, &, ubi ad vos venerit, meo nomine ſaluta. Hafniæ, 23. April. 1641.

DLIV.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

Hafniam.

EX literis tuis 21. Junii mihi redditis, gratiſſimum fuit ea, qvæ de Academiæ noſtræ ſtatu communicare voluiſti, intelligere. Me qvod ſpectat, in Italia me detinent non qvidem voluptatum illecebræ, ſed ſtudium in Medicina proficiendi. Pariſiis enim male, ut ingenuè fatear, contritum tempus reſarcire ſatius duco, qvam Facultatis meæ imperitum me ac ignarum patriis laribus reddere. Qvod an alibi locorum melius fieri poſſit dubito, cum Medicos praxin, cui me totum dicavi, exercentes comitari cuivis hic liceat: conſilia præterea, ab ægris, tum præſentibus, tum abſentibus, creberrima qvæ petuntur, qvantum ad tyronum faciant commodum, ipſe melius noſti, qvam ego id exprimere valeam. De Fratre meo mecum degente qvid dicam, neſcio. Vereor ſanè ne in tabem deſinat crebra floridi ſangvinis & ſpumoſi per tuſſim exſpuitio. Elapſo enim proximè vere, qvamvis ex D. *Sylvatici* conſilio remedia adhibuerit, non ſolum thoraci dicata, ſed qvæ adſtrictam ſolvere alvum, ac dyſuriæ ſuccurrere debuiſſent: perſeverarunt tamen cum tuſſis, tum alvus impedita, ac urinæ diffi-

mentione, hac de re moneas. Ignoſcas autem, ſi hac in re leſtias tibi creem, cum fraternus id ut faciam cogat amor, umqve, cujus operam implorare poſſim, non habeam. V & ſi qvibus tibi inſervire poſſim, indices injungasqve pre Patavii 4. Julii 1641.

DLV.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

Hafniam.

LIteras tuas cum adjuncta Aurei Cornu delineatione 23 S rectè accepi, illa qvidem tantò gratiore, qvod Romæ offenderit, ubi Antiqvitatum ſcrutatoribus ejus videndæ c am facere potui. Obuli itaqve Dn. *Naudæo*, qvi ſtatim *dinalis Barberini* Bibliothecam hoc munere ornare geſtiit. tet ea Bibliotheca cuivis honeſtiori literato: in qva & *F* tuos *Danicos*, prope Hiſtoricos noſtræ gentis locatos, hau ne inſigni voluptate deprehendi. Pergratum ergo fuit, con ſum mihi â conſobrino *Thoma Bartholino* exemplar operis a rius tui eò inferre, nominisqve tui memoriam gloriamqve monumento in tam inſtructa Bibliotheca augere. Qvamvis tem privatorum etiam hac ratione ſatisfieri poſſe curioſitati v atur: conſtitui tamen mihi deſtinatum exemplar, qvod p pediem ex valetudinario (*Lazaretto*) cum adjunctis aliis

'libenter tibi nunc mitterem; ſed qva ratione id fieri poſſit, i video. Tentabo tamen, qvid per *Petrum Chriſtiani Roch*, *Lindenowii* Ephorum, facere poſſim. Prodiit paucis abhinc nſibus Romæ *Kircheri Magnes*, qvem, ſi potero, ſtrenæ lo- adjungam. Vale interim, Vir Clariſſime, meqve, ut facis, a. Salutatis â Dn. *Rhodio*, Conſobrinis & Fratribus meis, mecum felicem fauſtumqve tibi ominantur annum. Patavii 71. Decembr. 1641.

DLVI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

ta.vium.

AMiciſſime Fuireni, gratias tibi ago ingentes, qvod non ſolum more tuo de ſtatu rerum veſtrarum & peregrinati- e Romana (qvam ex voto Vos abſolviſſe gaudeo) certiorem :eris, ſed & mei nominis ſtudioſum adeo te præbeas. Gra- ſimum mihi, qvod *cornu aureum* ad te delatum tam bene col- :averis, qvodqve operam *Antiqvitatibus* noſtris impenſam etiam magnis iſtis ingeniis æſtimari intelligam. Utinam mihi dare- r commoditas ad vos transmittendi, qvæ cuperem, tibi tot ijus generis ſuppeditarem, qvot amicis tuis ſufficerent. Con- eſtus ſum nuperis meis ad *Rhodium* de inhumanitate *Elzevi-* , ad qvem tibi & *Rhodio* deſtinata omnium meorum in hoc nere ſcriptorum exempla præterito vere miſi, ſed per totam tatem ſecum retinuit, & adulto autumno remiſit, ad literas eas, qvibus rogavi, cum ſuis *Rhodio* ut mitteret, ne verbu- reſpondens. Vides igitur, in qvanta conſtituti ſimus diffi- iltate, qvidqve cauſæ ſit, cur ad vos noſtræ tam negligenter irentur. *Rhodium* mone, qvæſo, ad eum ſi ſcripſerit, hanc ei : exprobert malitiam, ut, ſi fieri poſſit, ad vota noſtra alias ibeamus faciliorem. Utinam *Naudæo* & *Kirchero* in Hiero- lyphicis verſatiſſimo *Cornu* mei daretur facultas, qvo mihi irorum tantorum conſtare poſſent de eo judicia. Jam enim ib prælo fervent *Monumenta* mea, qvibus obſervata de Cornu iſerere decrevi aucta & à cujusdam mei adverſarii nugis libera-

ra. Te igitur qvæſo, ut, ſiqvid intelligas ab hiſce aut aliis deſiderari in eo tractatu, qvam maturrime me moneas, qvo in iterata hac editione ejus haberi poſſit ratio. Video enim, literas tuas diligentius curari, qvam qvas alii mittunt. Haſce, qvibus jam reſpondeo, datas video Patavii 26. Decembris; accepi verò hoc ipſo die, qvi eſt 22. Jan. ſ. v. at *Thomæ* datas 13. Novembris, 10. Jan. hujus anni accepi. Bene facis, per *Petrum Roch Magnetem Kircheri* qvod mittas; curaturum diligenter, qvæ miſeris, non dubito, cum ejus mihi à multis commendatur induſtria. Fidem tandem jam liberavit *Petrus Ivarides*, & *Alpinum* ante paucos obtulit menſes. Gratias ago maximas, &, ut aliqvando referam, ſi DEus vitam & valetudinem largitus fuerit, allaborabo. *Rhodium* noſtroſqve omnes officioſe ſalutabis. Nova hic nulla, niſi qvod Epiſcopus Wiburgenſis D. *Johan. Wandalinus* diem ſuum obierit, nec de ſucceſſore qvid conſtet. Vale. Hafn. 22. Jan. 1642.

DLVII.

Ex literis

OL. WORMII

ad

Henricum Fuirenium

ULyſſis Aldrovandi opera, Bononiæ edita, hic 60. veneunt Imperialibus; qvanti ibidem conſtent, ſcire aveo. Tibi ſi comparaveris, procul dubio non ſine lucro hic vendes, ſi diſplicuerint. Brevior jam ſum, qvod, ut ex matre intelligo, te ipſum anno ſeqventi exſpectemus. Vale, & bonis avibus brabejo promerito ornatus veni. Hafn. 27. Mart. 1642.

DLVIII.

HENR. FIUREN

D. Olao Wormio

S. & Obſ.

Hafniam.

FIdem tandem ſuam liberaſſe *Petrum Ivaridem* gaudeo; gratiſſimumqve, qvod videam tibi levidenſe iſtud munuſculum

placu-

placuiſſe. *Petrus Roch* cum Dn. *Lindenaw* Româ, ubi jam qvinqve menſibus commorati ſunt, nondum rediit; cum redierit, ejus operam in transferendo *Kircheri Magnete* implorabo. *Cornu* tuum Venetiis apud Bibliopolas jam proſtat, cujus exemplum ante tres hebdomadas Romam Eqviti *Caſſiano de Puteo*, Antiqvitatum ſtudioſiſſimo, miſi. Cum enim ejus delineationem apud me vidiſſet, animadverteremqve eum hujus deſiderio teneri, promiſi me ipſi in grati animi ſignum pro præſtitis nobis beneficiis miſſurum. *Rhodius*, cujus in reſpondendo mora elapſâ hebdomadâ tibi ſcribere vetuit, hiſce ſuas annectit. Hiſce te, Vir Clariſſime, valere jubeo, unicè rogans, ut amore me priſtino dignari pergas. Patav. 27. Mart. 1642.

DLIX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

HEſterna die eodem momento qvaternas à vobis accepi literas, omnes, ut ſolent, amoris & benevolentiæ pleniſſimas. Gaudeo, vobis ex voto cuncta ſuccedere, inprimis te de priſtino in me affectu nihil remittere; qvin imo impenſis non parcere, qvò pulcherrimorum a veſtratibus editorum librorum ſiam particeps. Qvam vellem me paria referre poſſe: ſed itinerum difficultas & eorum, qvi talia curare velint, obſtat malevolentia, utrinqve votorum qvò minus reddamur compotes. Spero Dn. *Rochium* ad *Magnetem* deferendum facilem futurum. Qvod opuſculum meum de *Aureo Cornu* à magnis expetatur ingeniis, mihi gratulor, ſed qvod tuo ære & impenſis acqviri debeat, male me habet. *Monumenta* mea ſub prælo fervent, ſed jam ſuſpenſa manebunt, usqve dum à *Rhodio Kircheri* de *Cornu*, qvod iis inſerendum, retulero cenſuram, qvam mox à reditu *Naudæi* promiſit. Egregia acceſſione numiſmatis ſui illud mactabit, ejus delinationem ubi nactus fuero, qvam à *Bertilo Bartholino* exſpecto, ut & Florentinum Cornu à *Thoma*. Poſthac *Rhodii* monitu facilorem habiturus forte ſum *Elzevirium*, qvi occaſionem ſuppeditabit, de vobis viciſſim bene merendi. In

locum defuncti Epiſcopi Viburgenſis ſuccedet M. *Haſebardus*; ei M. *Vindius*. Digna relatu plura non occurrunt. Vale. 16. April. 1642.

DLX.

HENRICUS FIUREN

D. Ol. Wormio

Salutem & Obſervantiam.

ANte octiduum qvod Avi matrisqve literis tibi deſtinatas non adjunxerim, in cauſa fuit Typographi in finiendo *Horti* hujus *Academici Catalogo* mora. Hunc igitur nudius tertius abſolutum inpræſentiarum tibi mitto, rogans, ut leve munuſculum hilari accipias mente. Male autem me habet, qvod *Kircheri de Magnete* opus mittere non potuerim; cauſatus namqve cum eſſet *Petrus Rochius* ciſtam tantæ capacitatis vix eſſe, ut totam *Lindenawii* ſuppellectilem poſſet capere, amplius inſtare nolui, alii occaſioni ſervaturus, vel cum meis tranſmiſſurus rebus. ſi interim ejus videndi teneris deſiderio, *Rochius* ſuum, qvod ſecum tulit, tibi mutuum dare non recuſabit. Cæterum qvod gratiſſimis tuis 16. April ad me datis antea non reſponderim, factum eſt per qvotidianas ægrorum viſitationes, qvos duce Viro Excellentiſſimo *Jo. Dominico Salâ* adeo; nec non Nationis noſtræ negotia Conſobrino meo, *Thomæ Bartholino*, qvem Civium noſtrorum ſuffragiis ſatisfacturus in Conſiliariatu ſucceſſorem meum declaravi, ſolito commendanda ritu. Qvam acceptum fuerit *Cornu aureum* Eqviti *Caſſiano à Puteo*, à me miſſum, & qvanto deſiderio *Monumenta* tua ab ipſo exſpectentur, ex annexo literarum ejus ad me datarum apographo conſtabit. Qvapropter finitis iis, apud Bibliopolas Batavos de mittendis in Italiam exemplaribus ut inſtes, rogo, qvò nobis aliisqve ea potentibus ſatisfieri poſſit. Qvibus ſi jungatur *Literatura Runica*, non abs re fore exiſtimo. Plura non occurrunt, niſi, ut priſtino tuo favori me commendem. Vale. Patav. 14. Aug. 1642.

Illuſtr.

Illuſtr. Signore.

ASſai mi teneva io favorito, ch' ella ſi compiaceſſe haver „dell' affetto da me dedicatoli, qvando eſſa fù qvi, amorevole memoria, mà hora favoritiſſimo biſogna che mi confeſſi, & in un iſteſſo tempo obligatiſſimo, havendo di qveſto primo riſcontro con la ricevuta ſè dell'amorevoliſſima ſua lettera, che del pretioſo libro dell' erodito e curioſo Sr. Wormio ſopra il corno d' oro della Maeſtà del ſuo Rè, & miſteri in qvello deſcritti. Reſto tanto obligato di coſi cara dimoſtratione, che non mi ſi porgerà mai occaſione dell haverla à ſervire, che non ſia per eſſere da mè più che volontieri preſa, onde la prego e per ſe e per amici ſuoi à volermene favorire, e come con ſommo deſiderio attenderò di ſentir che venga à luce dell' medeſimo Sr. Wormio il trattato delle antichità, che ſi vedono nel Dominio di ſua Maeſtà, coſi per opera di lei ſpererò di poterne participare. Reſta in tanto, ſe di qvi alcuna coſa le poteſſi inviare che li foſſe agradevole, che mi lo aviſi, che ſarà ſervita come l' affetto & obligationi che li profeſſo, richiedono. Con che le bacio le mani augurandoli ogni magiore proſperità. Di Roma à 12. April 542.

Di V. S.

Devoto & obligmo

CASSIANO dal POZZO.

DLXI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

navium.

)Ro oblato Horti veſtri Catalogo maximas ago gratias, inſigni . copia & raritate ſuperbire video. Miror tamen, qvod *Herm vivam* ſeu *mimoſam* in eo non inveniam. Ex transmiſſo es ſemine mihi in horto una excrevit, qvæ jam qvinqve oſtent folia ſimilia leguminoſis, ſed tractantem non reſpuit aut

 fugit

nomine gratias ut agas, rogo. Neſcio qvi magnis iſtis niis apud Vos arridere poſſint ea, qvæ hic ſpernuntur, invidis ad nauſeam usqve arroduntur. Sed habent ſua fata l. Ejus exſpectationi in reliqvis ut fieret ſatis, lubentiſſim rarem, ſi in vota noſtra faciles haberemus Amſterodam Nondum ad vos perveniſſe video, qvæ vere præterito ad *virium* per fratrem ejus miſi; nimium ſe nobis præbent diffi De tuo ad nos reditu qvid ſperabimus? An literæ meæ vii ſeqventi vere te invenient, ſi placet mone. Deu omnes, officioſe à me ſalutatos, ſervet. Hafniæ 3. Sept 1642.

DLXII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

NOn eſt, qvod tarditatem reſponſi excuſes, ſiqvidem af in me tuus, dudum documentis haud raris abunde p ctus, nihil ſiniſtri unqvam de te ſuſpicari permittit. Qvi rò bulbis & ſeminibns colligendis ante abitum operam n placet, monere volui, *Dentis canini* & *Granadillæ*, qvan *rem paſſionis* vocare ſolent, ut & *Herbæ mimoſæ* me no apud nos vidiſſe plantas. Edidit D. *Sperlingius* hic *Catal plantarum*, qvas *in horto Regio* aluit; mitterem, ſi com

involuta. Qvia verò, qvæ ad vos menſe Majo anni præteriti per *Elzevirium* miſi, nondum curata percipio, cogor multa omittere, qvæ vobis communicata cuperem, inter qvæ *Monumenta* mea, qvibus ſupremam manum jam impoſuit typographus. In exſtruendo Theatro Anatomico jam toti ſumus, qvod ubi abſolutum, miracula promittit huic rei præfectus, qvi tamen toto fere biennio, qvo apud nos fuit, ne canem qvidem ſecuit. Miror *Rhodium* nihil reſpondere ad ea, qvæ nomine *Gerſtorffii* menſe Auguſto ad ipſum perſcripſi. Eum ſalutabis, ut & fratres ac *Bartholinos* noſtros. Vale, & bonis avibus, commoda tamen opportunitate, ad nos advola. Hafn. 4. Febr. 1643.

Plantæ cujusdam iconem nuper ad me Aureliis transmiſit *P. Chariſius*, qvam ſe à *Rhodio* accepiſſe ſcribit, in Italia in monte Zibio provenientem, & ab accolis *Fumanam* dictam; ſiqvid de ea perceperis, aut ejus ſemen haberi poſſit, ex qvo apud nos provenire qveat, conjecturam de ea facere poſſemus meliorem; neſcio, ad ciſtos an referri debeat.

DLXIII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

DUdum tibi, mi affinis, ſcripſiſſem, niſi te Patavium reliqviſſe, & in itinere ad nos eſſe ſuſpicatus fuiſſem; jam aliter à matre edoctus, (qvæ de maturiore tuo ad nos reditu, turbulento hoc rerum noſtrarum ſtatu, deſperare mihi videtur) non potui non te literis meis compellare, & de rebus noſtris certiorem reddere. Qvæ ſit facies Patriæ noſtræ, dudum vos percepiſſe arbitror, nec ſine dolore perfidiæ Svecorum & inopinatæ irruptionis contra pacta & fidem meminiſſe poſſum. Sælandia, Fionia reliqvæqve inſulæ ab hoſtis inſultu Divina gratia immunes ſunt, at Cimbriam occupavit totam, & Scaniæ provincias depopulatur qvasdam, qvamvis ſperemus brevi, hoſtis conatibus obicem objectum iri; validum enim indies

exercitum conſcribit Sereniſſimus Rex noſter, & in omnes occaſiones ſatis intentus eſt. In Scania deprædationibus hoſtis felici hactenus ſucceſſu ſe objecit Sereniſſimus Princeps; cui vigilantiâ & induſtria utinam par eſſet Nobilitas. Cætera ex matre diſces. Qvod ſi in lucem prodierit *Liceti* de *Annulis* liber, ni mole nimium moleſtus, vide, an per popularem qvendam noſtrum huc euntem transmittere poſſis, ſin ſecus, illud caput, qvod de *Cornu aureo* agit, deſcriptum. Qvicqvid eo nomine expoſueris, gratus ſolvam. Valet adhuc Divinæ gratia avus & affines; nil niſi gratiſſimam pacem votis omnibus expetimus. Vale. Hafn. 15. Mart. 1644.

DLXIV.

HENR. FIUREN

D. Olao Wormio

S. & Obſ.

Hafniam.

INfelix patriæ ſtatus qvamvis animum maximè angat meum, civibusqve noſtris hic degentibus non mediocrem inferat dolorem, qvod ab hoſtilis invaſionis tempore nihil literarum ad ipſos delatum ſit; in communi tamen malo ipſis feliciorem me gaudeo, qvod amicorum alloqvio nondum privatus ſim, &, qvod magis eſt, qvod à te ad ſcribendi munus, aliqvantiſper meâ neglectum incuriâ, denuo inviter. Prodeo igitur, negligentiæ meæ culpam deprecaturus, veniamqve à te exoraturum me ſperans qvodammodo. Diſceſſit hinc, per Germaniam patriam repetiturus *Petrus Jull*, cujus Ephoro, *Christiano Brodt*, faſciculum commiſi tibi tradendum, conſignatum mihi Venetiis à R. P. *Angelico Aproſio Vintimiglia*, qvo liber continebatur italico idiomate ab ipſo, ficto tamen nomine, editus in defenſionem *Adonidis Marini* contra *Stiglianum*. Totum eqvidem ſcriptum Conſobrino meo, *Thomæ Bartholino* pro hujus anni ſtrena dedicavit; ſingula verò capita ſingulis qvibusdam inſcripſit. Tibi verò caput undecimum cum dicaverit, ſperemqve has prius te viſurum, qvam *Brodium*; capitis principium,

am, qvo de Cornu aureo te alloqvitur, cum annexo elogio itto. Eandem operam qvod præſtare non poſſim in deſcrindo capite, qvo de eodem cornu agit *Licetus*, malè me hat. Ex qvo enim hinc diſceſſit ille, nemini hic degenti vel minam ejus libri *de Annulis* nondum prælo Utinenſi abſoluti, rtem videre contigit. Optimam ergo prætermittere ejus ri mittendi occaſionem cogor, qvæ oblata erat per *Laurenm Bordingium*, elapſâ ſeptimanâ cum *Antonio Jull* hinc proſtum. Ante menſem circiter ad Bibliopolam Venetum delaſunt libri ab eruditis hactenus deſiderati, *Literatura* ſcil. *nica*, ac *Monumenta Danica*. *Thomas Bartholinus* relicta Neoli, ubi cum fratre meo in ædibus *Severini* aliqvò tempore cit, in Siciliam transfretavit, qvò paulò ante à Delegatis eſſanenſibus ad Profeſſionem Medicam ſtipendio ſatis ſplenlo fruſtra vocatus erat. Vale, meqve amare perge. Patavii). Maij 1644.

DLXV.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

tavium.

DE priſtina benevolentia nihil te remiſiſſe, amiciſſimæ tuæ abunde teſtantur literæ, qvibus haud pauca mihi cognitu cundiſſima communicaſti. Inprimis grata qvæ ex *Vintimiglia* ſcripta addidiſti; mihi certe adeo ſalivam moverunt, ut *odium* noſtrum anxie exſpectem, qvo integrum ſcriptum pleım ſatiet appetitum. Rem verò gratam mihi præſtiteris, ſi oximis indicaveris, qvis & cujus conditionis ſit hic Reverenıs Pater *Angelicus Aproſius*, qvis item ille *Marinus*, qvis *iglianus*; nomina enim mihi ſunt plana ignota, nec conſtat, va de re controvertatur; ante qvam transmiſſum videro liım. *Pighettus* qvoqve, qvi elegantis iſtius Auctor celebratus onumenti, qvis & unde? Nos, hic ab iſtis ingeniis præſtanſſimis remotiores, nil niſi veſtro ductu habemus. *Liceti*, qvæ *rnu* noſtrum tangunt, ubi acceperis, exſpecto. Qvæ Veneas deſtinavit *Moltchenius* noſter, eò appuliſſe antea reſcivimus,

fed

ſed remiſſa à *Juntis* nondum vidit. Qvod ſi inter ipſos commercia ſtabiliri poſſent annua, forſan, qvæ hic geruntur, communicandi melior daretur occaſio. Edidit hic nuper Paſtor Roſchildenſis, M. *Envaldus*, novum Tractatum Theologicum de *Aureo Cornu*, in qvo ejus auctorem ſtatuit Regem Danicum, *Svenotthonem*, Chriſtianis Sacris initiatum, omniaqve Emblemata ex Sacris eruit, qvo ſucceſſu alii judicent, mei qvia honorificam ſemper facit mentionem, ſuo ſenſu abundare eum permittam. *Thomæ* famæ & exiſtimationi multum acceſſit ſolenni illa vocatione ad profeſſionem Meſſanenſem; ſed recte fecit, hoc munus detrectando, ſiqvidem ratione ſtipendii Regii Patriæ obligatus eſt. DEus & Te & illum, familiæ noſtræ decora, voveo, ſoſpites & incolumes nobis reſtituat. Vale. Hafn. 22. Jun. 1644.

Hodie ad Sereniſſimum Regem noſtrum, ante paucas horas, ab ampliſſima victoria navali reducem, vocatus ſum, nec ſatis effari valeo, qvantum animi vigorem, qvantamqve in Patria defendenda conſtantiam in optimo Sene invenerimus. O! ſi ex junioribus noſtris athletis animo ipſi pares eſſent multi, res brevi ex ſententia foret confecta. Deus Ipſum ſervet, & exoptatam benigne reſtituat pacem.

DLXVI.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

PRomiſeram in ultimis ad te 19. Maji datis caput, qvo de Cornu aureo agit *Licetus*, deſcriptum data occaſione miſſurum. Vetuit tamen id præproperus conſobrini mei *Caſpari Bartholini* diſceſſus. Obtinui pridie ſaltem ante ejus abitum à Liceto, qvi cum ipſo Bononia huc venerat, unicum, qvod ſecum ferebat, exemplar, capite & cauda carens, à typographo qvippe nondum abſolutis. Jam, ad totum caput, ſatis prolixum, deſcribendum tempore deſtitutus, conſobrino totum tibi afferendum tradidi librum. Spero enim brevi vos viſurum, cum iter in patriam, per Germaniam, ipſis Calendis Juniis, cum

nis *Roſencrantziis* eorumqve Ephoro *Selingero* auſpicatus ſit, ſi Argentinæ aliove in loco, qvod vereor, pedem ſiſtere nue cogat viaticum. Ab eo tempore à Liceto libri ejusdem iem habui, qvem hiſce incluſum mitto, principium qvoqve m obtinuero, pari miſſurus ratione.

Th. Bartholinus, perluſtratâ, cum fratre meo, Sicilia ſulâqve Melitenſi Neapolin feliciter rediit, ubi ob æſtum nunc erentes ambo, tecto ſolitaqve Cl. *Severini* fruuntur familiarite. Scriptum molitur de *Gloſſopetris*, occaſionem præbente eum copia & varietate, qvam ex naturali loco erutam ſecum vexit. Qvæ de iis in muſeo tuo ſcripta reperiuntur, excerpipſi rogatus miſi: nec dubito, qvin, ſi qvæ poſtea obſerveris, etiam ſis communicaturus. Vale, Vir Cl. ſolitoe me proſeqvere amore. Dabantur raptim Patavii 16. Junii 644.

DLXVII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

NImis officioſus es, amiciſſime Fuireni; vix menſis labitur, ex qvo non tuas habeo, & qvidem rerum pulcherrimam mihiqve gratiſſimarum copia prægnantes. Qvid dicam? eo me officiis & affectu obligas, ut expediundo vix ſim. Mi interim crede, factis qvod negatur, affectu & voluntate comnſabitur. Caput promiſiſti, integrum mittis librum, &, ne id deſit, ante caput & corpus caudam teneo. Spero tamen, *ſparum* reliqvum brevi allaturum, & forſan ante fratrem *rtholum*, qvi in Galliis & Belgio hucusqve ſubſtitit, ac necm conparuit mihi, tædioſam valde reddens moram ob denegan *Vintimiglia* ſcriptum; brevi tamen adfuturum ſperamus, ia ſarcinas præmiſit. Gaudeo, *Thomam* cum fratre tuo incones Neapolim rediiſſe, & eò magis, qvod rerum utiliſſimam & curioſarum prægnantes adſint. Non poſſum, qvin, ocſione à mihi data, brevibus de inſtituto ejus agam, qvia maiam agitat curioſam, qvæ multarum rerum jucundiſſimarum iones ſecum trahit; nec dubito, qvin pro ingenii ſagacitate

officio

officio debite ſit functurus. Qvamvis ego brevibus de ea in Muſei mei egerim deſcriptione, nihilominus, ut affectus agnoſcas ſtudium, paucis mentem meam aperiam. Audio, *Fabium Columnam* in fine *Ecphraſeos* ex profeſſo egiſſe, ac demonſtrare conatum fuiſſe, lapides hoſce, qvos *Gloſſopetras* vocant, dentes eſſe Canis Carcharii, à vi lapidifica in eam, qvam videmus, concretos duritiem. Auctorem non vidi, nec, qvibus utatur rationibus, novi. Interim pro ipſo militare puto, reperiri in iſtis tractibus Melitæ Inſulæ, in qvibus colliguntur Gloſſopetræ, alias piſcium partes, pari ratione in lapideam duritiem concretas. Vertebrarum dorſi qvasdam, ita induratas, mihi cum aliis raris obtulit ex iſtis tractibus redux *Chariſius* noſter, terræ item maſſam, & dentibus ejusmodi & aliis ejus generis prægnantem; qvæ omnia pro *Columna* facere mihi videntur, ac evidenter docere, in iſtis locis ſuccum, aut ſpiritum potius, eſſe lapidificum, qvi hæc præſtare ſufficiens ſit, oſſea corpora penetrando, & in ſui naturam convertendo. Interim non diffiteor, eſſe præterea, qvæ me moveant, ut adhuc dubitem, an omnes ejus generis lapides, qvi pro Gloſſopetris venditantur, ſint dentes canis carcharii in lapides converſi. Locum dum conſidero, in qvo reperiuntur, aliud ſuadere videtur; in Germania enim, prope Luneburgum, in fodinis aluminoſis, à mari multis miliaribus diſtantibus, in arenoſis prope Daventriam alibiqve, qvo nunqvam aut mare alluvione, aut canis carcharius corpore appulit, ejus generis qvidam inveniuntur, qvos dentes fuiſſe carcharii canis, non crediderο; Etiam variis in locis agri Veronenſis, inter rupes & terram cæmentoſam reperiri teſtatur *Muſæum Calceolarii*. Figuram conſidera; qvidam ſerrato ambitu dentem ſæpius dicti piſcis æmulantur, qvidam læves plane habent ambitus; qvidam figura triqvetra, qvidam oblongiori ſtyloidea; qvidam dorſo magis gibbero, qvam ſint veri dentes canis carcharii. De colore nihil dicam, cum dentes candidi plane ſint, hi aut nigricantes, aut purpureo, aut cinereo, aut aliis coloribus viſantur, qvia hoc pro natura & colore ſpiritus lapidifici contingere poſſe autumo. Magnitudine præterea tanta conſpiciuntur, ut qvis piſcem, niſi plane Balena ſit, vix dari credat, qvi tam grandes dentes in tanta copia rictu oris ferre poſſit. Eſt mihi ſinus ejusmodi lapidum, qvem dono *Chariſii* noſtri teneo, qvi longi-

ngitudinem tenet 5. unciarum, ambitu vero pedem Roma-
ım obtinet, pondere unciarum ſex cum dimidia. Jam verò
ımenſum rictum eſſe oportet, qvi ejusmodi ducentos ſuſtine-
. Tot enim ſunt numero in capite canis carcharii, qvod in
eo ſervo muſeo, triplici ordine tam in ſuperiori, qvam in-
riori maxilla conſpicui, ita ut minores proxima faucium oc-
ıpent, majores oris anteriora; at qvidam majorum vix dimi-
am attingit unciam longitudine, candidi omnes & ſerrati, pla-
ores longe iis, qvos in lapidem converſos volunt. Suſpicor
ıqve, in locis maritimis, præſertim ubi & piſcis hujus copia,
limus vi lapidifica præditus, dentes mortuorum piſcium in
pides converti, & alibi in mediterraneis ludentem naturam
pides ejusdem figuræ fingere, præſertim cum videamus, id in
iis ejus generis fieri. In Muſeo ſilicem, hominem diaphrag-
ate tenus æmulantem, oſtento; pedem ſiniſtrum exacte refert
ius; eſt, qvi avem referat, oſſa hominum, oſteocolla, cor-
ı, & unicornu foſſile; piſa æmulantur guttæ Thermarum Ca-
linarum. De conchite, Bucardia aliisqve ejus generis nihil
cam. Sed ut ſe res habeat, melius dijudicabit is, qvi loca,
qvibus talia proveniunt, diligentius & accuratius examina-
t, è qvorum numero gaudeo eſſe *Bartholinum* meum, qvem
ero ſolidi qvid de his novis daturum. Mire ludit natura, ubi
iniſterio ſucci aut ſpiritus lapidifici uritur. Ex Hiſpania maſ-
m accepi, in qva cernere datur conchas planas, ſtriatas,
goſas, cochleas niveas, cinereas magnas, parvas, lapides,
xa, ſilices, coloribus variis diſtinctos, hoc ſucco in unum coag-
entatos, ita tamen, ut cujusvis figura & color diſtincte ap-
ıreat; ubi mirari licet & vim heterogenea hæc conglutinan-
m, &, qvæ antea teſtaceæ erant naturæ, in ſolidum lapidem
ınvertentem. In talium inqvirere naturas & generationes,
ɔerali ingenio prorſus jucundum duco negotium. Paucula
ec, petitioni tuæ ſatisfacturus perſcribere volui, turbatiſſi-
is hiſce temporibus, à ſpeculationibus amœnioribus exclu-
s, ut ſit qvod ad *Thomam* noſtrum perſcribas; qvo munere
o ſuperſedeo, donec ad proximas meas reſponderit, & de
nere Melitenſi certiorem reddiderit. In maſſa autem dicta
ɔc mirum, qvod inveniam cruſtas conchyliorum & cochlea-
m, non tam in lapidem qvam calcem converſas, interiora ve-
ſucco lapideſcente repleta, plane ſolida & ſaxea, volubili-
bus

præparatum habere, ex uſu foret; puto enim apud n
Norvegia reperiri, niſi me fallant indicia à *Poterio* allat
Auguſt. 1644.

DLXVIII.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio.

Hafniam.

JAm feliciter ad vos perveniſſe *Caſparum Bartholinum* fratre *Barthola*, qvæqve cum illo miſi, ſpero atqve aug cum Amſtelodamum delatos eſſe menſe præterito, ex l Caſpari intellexerim. Nunc ad ea, de qvibus certior p fieri cupis, me accingo. *Ventimiglia* Monachus eſt, ſum ordinis Auguſtinianorum ornamentum, in cœnobio D. St ni Venetiis degens; cui nihil niſi habitus cum Monachis mune. Animum is ab ineunte ætate ad ſtudia applicuit, inprimis humaniores ſpectant literas. Unde non ſolum c ruditis familiaritatem inire gaudet, ſed &, qvas vel concio vel aliâ acqvirit ratione, pecunias in libros erogat. Nil men hactenus, niſi Italicè conſcripta in lucem edidit opu Si effigiem ejus cupis, incluſa icon, *Thomæ Bartholini* epi mate ornata, exactiſſimè faciem ejus repræſentat. *Jo. B Marinus*, Pöeta Italus, varia conſcripſit lingvâ ſuâ poë Inter hæc unum eſt, qvo Adonidis hiſtoriam ſalaciori

on defuerunt verò alii, ac inter eos nuperrimè *Ventimiglia*, ri nullum contra Italicum idioma delictum in eo inveniri conderent. De *Pighetto* qvod dicam, vix habeo; hoc ſaltem nſtat, cauſarum patronum Venetiis ipſum agere; animus men ejus à literarum ſtudio, qvibus, cum Patavii ante an- s circiter decem degeret, totum ſe ferè dicaverat, nihil de- cit. *Thomam Bartholinum*, qvantum ex proximis ejus colli- literis, jam cum fratre meo credo Romam ſe contuliſſe, ut etamorphoſin Romanam, poſt nuperam *Papa Urbani VIII.* o- tum introducendam præſens videat. Edidit is, poſt reditum Sicilia, de *Aneurismate* Diſſertationem, qvá hiſtoriam diſſecti Cl. *Severino* Brachii accuratè deſcribit. Trium vel qvatuor liorum menſuram totum non excedit ſcriptum; hinc, ut pa- m rependeret gratiam, *Ventimiglia* illud dicavit. Vale. Pa- vii 11. Auguſti An. 1644.

DLXIX.

HENR. FIUREN

D. Olao Wormio

Salutem & Obſervantiam.

Iafniam.

QVæ de Gloſſopetris monuiſti, deſcripta ad verbum omnia Romam ad conſobrinum *Thomam* miſi. *Caſparum* librum *iceti de annulis* tibi jam attuliſſe ſpero, niſi cum fratre diutur- ior in Belgio mora à patriis eum adhuc detineat laribus. Pri- num ejus folium qvod nondum transmiſerim, hactenus qvi- em typographi negligentioris culpa fuit; poſt mortem verò *apa Urbani VIII.* in *Licetum* transferenda. Hic namqve futuri ontificis volens aucupari gratiam, dedicatoriam in magis opor- unum differt tempus. Lapidem luciferum Bononienſem, cum *iceti* de eo tractatu, (*Kircherum* namqve illud tractaſſe argu- nentum, hactenus non percepi,) Conſobrinus meus *Barto- nus* cum ſupellectile ſua, niſi fallor, Amſtelredamum hinc mi- it, domum cum appulerit, tibi offerendum. De crudo ecipiendo ſolicitus ero, ſive per *Licetum*, ſive per *Thomam Bar- holinum*, Bononiam in reditu tranſeuntem, ejus fieri qveam

compos. Qvod ſi per neutrum effici poſſit, credo ſufficere portiunculam ejus, qvæ cum librorum meorum parte Amſtelredami meum exſpectat adventum. Si interim alia tibi occurrerint, in qvibus opera mea tibi prodeſſe poſſit, indica qvæſo, cum omnia, qvæ mearum ſint virium, imò me ipſum, jamdudum tibi dicaverim, nec credas vel minimum hinc mihi moleſtiæ creari, nec te importunum eſſe poſſe, cujus merita hisce longè majora exigunt. Qvapropter hujusmodi ex animo tuo exulare jubeo cogitationes, teqve cum tota valere familia. Dab. Patavii 15. Septembr. An. 1644.

DLXX.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

EGregie ſatis exſpectationi meæ ſatisfeciſti, gratiſſimam mihi *Vintimigliæ* effigiem mittendo, & de ſtatu Viri doctiſſimi abunde erudiendo. Doleo verò, me nondum mihi deſtinatum ab ipſo vidiſſe tractatum: alioqvin Viro optimo jam ſcripſiſſem, & epiſtolæ reſpondiſſem. Hærent jam per menſes aliqvot Amſterodami ambo *Bartholini*, nec qvicqvam illorum fidei commiſſum adhuc curatum. Vides qvam negligenter tractent negotia ipſi amici, de qvibus maxima nobis pollicemur. ſed morbo impeditum eorum ad nos reditum percipio. Huc qvidem nuper appulit *Chriſtianus Brodt*, cui â te commiſſus fuit *Vintimigliæ* faſciculus: is retulit, ſe, cum in Norvegiam Amſterodamo diſceſſurus eſſet, *Bartholo*, qvem ſe citius ad nos advolaturum ſperabat, omnia tradidiſſe. Longè rectius mercatores ſua curant, qvi nunqvam ſic fallere ſolent. Probe enim accepi & alteras tuas, qvibus incluſus erat Epilogus libri *Liceti de Annulis*; ſed nec ipſum opus, nec titulum adhuc vidi. Reſponſum meum ad has ipſas credo te jam accepiſſe; ſegnitiem enim deteſtari ſoleo. Eorum qvæ de *Aneurysmate* conſignavit *Thomas*, titulum & pagellam ultimam â *D. Severino* habeo, ac in hac deſignata exſtant opera, qvæ aut edidit aut edere decrevit idem noſter. Mater tua, qvæ ſolicitè veſtrum exſpectat adventum, periculoſe

ſe ſatis per aliqvot hebdomadas morbo petechiali maligno flictata eſt; ex qvo jam Divina gratia convaleſcere incipit. ale. Hafniæ 14. Sept. 1644.

DLXXI.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio,

itavium

Audeo tandem appuliſſe, qvas de *Gloſſopetris* ad te miſi literas: Certus eram me tibi reſpondiſſe; nullam namqve termittere ſoleo occaſionem amicorum literis ſatisfaciendi. Uiam *Bartholino* meo & fratri tuo benè ſit. Præter conſvetud em in ribendo ſegnior eſt ille, qvod facit, ut de valetudine ejus ıxiè laborem. Reliqvi duo nondum Amſterodamo ad nos reere; hinc factum, ut nihil planè acceperim aut viderim eum, qvæ ex Italia ad me miſere amici. Lapidis luciferi, cus mihi ſpem feciſti, primus, qvod ſciam, meminit *P. Poteus* in *Pharmacopœa Spagyrica cap.* 28. ubi ait, â qvibusdam cari lapidem luciferum, ab aliis ſolarem, ab aliis lunarem; tegrum verò caput in eo deſcribendo conſumit. Qvæ de eo ripſit *Licetus*, non vidi. *Kircherus lib.* 3. *Magnetis cap.* 4. *quaſt.* Lapidem vocat phoſphorum, ſeu luminarem, ac citat *ceti* libellum *Litheoſphorum*: egregiè de eo diſſerit, unde mihi livam movit, ut eum tanqvam Muſei mei inſigne ornamentum ıſſidere diſcupiam: qvod per vos impetraturum me confido. rudi vero eò majori teneor deſidererio, qvod exiſtimem in fonis noſtris Norvagicis etiam reperiri; qvod certo aſſerere neeo, anteqvam cum noſtris contulero. Nunc alia nova, qvæ feram, non ſunt, niſi qvod ſpes pacis nobis affulſerit magna: mater tua Divinâ gratia ſanitati plene jam reſtituta, verum ad nos reditum anxiè præſtoletur. Qvi ut fauſtus ac fe: ſit, DEum veneror. Vale, & *Rhodium* ſalvere jube, â qvo *ditiom Veſlingii* exſpecto, ubi prodierit. Hafniæ 3. Iduum Octobr. 1646.

DLXXII.

OLAUS WORMIUS

Henrico Fuirenio.

Patavium.

OPportunè tuas accepi, cum ipſe jam ad te ſcribere meditarer, gratias debitas acturus, poſtqvam munere tuo *Kircheri Magnes* & *Geneſes Didaci* ad manus meas pervenerunt. Qvos qvidem libros, non â manu *Bartoli*, (qvi adhuc Amſterodami cum fratre, nec morbo nec aliis, qvod ſciamus, impeditus, ſiqvidem nec matri nec aliis noſtrum, qvid eos moretur, indicarunt;) ſed qvia ſarcinas reſerare coacta eſt mater, atqve ibidem faſciculum librorum tua manu mihi inſcriptorum offendit, eum ab illa confeſtim miſſum, accepi. In *Liceti de Annulis* pagella ultima, qvam literis tuis incluſam alias miſiſti, qvædam legi de *Annulorum fractione* apud Danos; nunc qvia penes me eſſet illuſtre ejus rei documentum, ex *Archivis* Sorenſibus depromptum, non potui non ejus apographum ad te deſtinare, qvod lingva donatum Latiali, procul dubio *Liceto* haud erit ingratum; ſi igitur viſum, data, occaſione, præmiſſa ſalutatione mea, offer. De veſtro Baſileam verſus itinere, ne verbulum qvidem in literis *Thomæ* inveni; aſt á matre tua qvædam percepi. Cave, periculo te exponas, jugis montium nivibus horridis, neqvaqvam te committas. Retulit mihi *Chriſtiernus Brod*, in urbi Eſtenſi palatium exſtare Senatoris cujusdam Veneti, cujus nomen exprimere haud potuit, in qvo variæ ſtatuæ, monumenta & inſcriptiones viſu dignæ. Inter reliqva vero in area lapidem rudem conſpici literis Runicis inſignitum. Ejus formam, magnitudinem & deſcriptionem accuratam ſi per amicos procurare poſſes, rem mihi præſtares gratiſſimam, qvam tui honorifica mentione ſuo loco & tempore compenſare ſtudebo. Vides qvò me redigis facilitate tua: qva ſi abuſus fuero, tibi ipſi imputa, qvi etiamnum literis tuis me, negotium ut tibi faceſſam, cogis qvaſi. Qvod ſi ante abitum prodierit *Veslingii Pullities*, pro me exemplar allaturum te confido. Dum te tenet Italia, me ſimul in ea verſari videor; adeo nihil non rerum præclararum ibidem geſtarum mecum commune ſtudes facere. Vale, ac novum hunc annum feliciter tranſige, ac bonis avibus ad nos propera.

Si prius non liceat, Baſileâ â te literas exſpectabo. *Bauhi-n* ibidem ſalutatum cupio, â qvo ſine dubio reſponſum ad ul-ıas meas habuiſſem dudum, ſi recte meæ curatæ per *Hoſman-n* fuiſſent. m. Januar. 1645.

DLXXIII.

HENR. FUIREN

D. Olao Wormio

S. & O.

fniam.

QVod hactenus me debito non liberaverim, tuæqve non ſa tisfecerim exſpectationi, varia me impediverunt. Iter qvi-u aliaqve accuſare poſſem impedimenta. Sed iis miſſis, hanc tem ſilentii cauſam afferam: qvod, qvæ per literas fieri de-iſſent, in patriam redux præſens efficere ſtatueram; Reditum tem cum de die in diem, præter ſpem, neſcioqve qvo fato, olongari videam, diutius officio meo ſuperſedere nec potui t debui, præſertim qvod urgerent annexæ *Rhodii* cum inclu-*Ventimiglia* literæ, qvæ mihi ante triduum oblatæ ſunt. Ad-ıgo characteres, qvos ante diſceſſum noſtrum ex Italia cum ıſobrino D. *Bartholino*, ſummâ, qvâ fieri potuit, diligentia lapide ſatis vetuſto, qvi Ateſtæ in horto *Georgii Contarem* renitur, deſcripſi. An Runici ſint certè ignoro, valdeqve bito; alium tamen eo loci invenire non potuimus, qvi cum inicis ſimilitudinem haberet. Si alia in re tibi hiſce in oris te abitum inſervire potero, promtum me paratumqve ad om-ı habebis. Non enim diſceſſum meditor, anteqvam ſupelle-lem, qvam Venetiis mercatori huc transmittendam reli-i, videre mihi contigerit. Vale, Vir Clariſſime, meqve ıare perge. Lugduni Batav. 15. Junii 1646.

DLXXIV.

OLAUS WORMIUS

D. Henrico Fiurenio.

Leidam.

SI, qvod rarum, charum, utiqve non potuerunt non chariſſimæ tuæ eſſe, qvæ tam raro ad me deferuntur. Accipio interim excuſationem, & affectum ac voluntatem agnoſco promptiſſimam, re ſæpius mihi declaratam. Primo vero non poſſum, qvin tibi ex animo gratuler ſummos in Medicina honores, qvos magno tuo merito & laude in inclyta Baſilea feliciter te obtinuiſſe, non tam ex amicis reſcivi, qvam ex eruditiſſima tua, qvam Avo miſiſti, de *Hydrope* Diſſertatione. Faxit Deus, cedat in ſui Nominis gloriam, Patriæ commodum, tuum honorem & emolumentum. Cæterum pro locata nobis opera in deſcribenda Pyramide Ateſtenſi gratias ago ingentes. Tantum certe ex tua delineatione obtinui, ut jam non dubitem, qvin inſcriptio ſit literis Runicis exarata; agnoſco enim veſtigia literarum f. g. m. o. a. n. u. i. d. c. ſ. ſed colligere ex iis non datur qvicqvam, anteqvam accuratius ſingula ſint excepta, ac totius Pyramidis figura probe delineata, qva de re ad *Rhodium* ſcribo. Tu ſi alios ibi habeas, qvos hoc nomine ſollicitare poteris, ne negligas, rogo; & ignoſce moleſtus qvod ſim. Ex matre intellexi, res tuas ſalvas ad nos delatas, de qvo tibi gratulor vel eo nomine, qvod deſideratum reditum veſtrum eo ſperemus fore maturiorem. Deus Angelis ſuis vos conducat, & ſalvos nobis ſiſtat! Ut ſe res noſtræ habeant, ſpero vos jam percepiſſe ex *Caſparo*, qvi in Comitatu Nobiliſſimi noſtri Legati Gallias jam iterato cum ſuo petit *Ulfeldio*. Si apud Vos adhuc ſit, roga, ut, ubi ſarcinas ſuas reſeraverit, mihi promiſſa tibi ad me deferenda tradat, ſclopetum ventoſum & reliqva. Vale, &, ut facis, me ama. Hafn. m. Jun. 1646.

DLXXV.

D. PAULUS MOTH

Viro Clar.

D. Olao Wormio

Salutem & Obſervantiam.

EX diligentia literarum aut freqventia verus ſi judicandus amor, culpandus certè eſſem, tanto qvi temporis ſpatio ibendi planè diſtuli officium, nec qvicqvam ad te, Vir Ex- lentiſſime, literarum adhuc dedi. Verum cum videam ex-)ratumqve habeam, eundem noſtrum amorem literarum ud ſemper deſiderare diligentiam, aut usqve altero niti fun- mento, ſed altiora petere, maxima me ſpes tenet, huic tturni ſilentii mei moræ veniam datum iri, eam cum in po- rum crebrioribus ſim paginis compenſaturus. Ut igitur hac e de ſtudiorum meorum curſu nonnulla referam, ſcias, r Excell. me Anatomicis maximè delectari, eoqve tempore, o Dn. *Chariſius* nobis adfuit, felicitatem mihi obtigiſſe, diu æſitam votis, ut demortui fœtus cadaver, qvod ab obſtetri. qvadam nactus fui, eá qva potui manus facilitate, præſen. us commenſalibus meis tractaverim. Cum autem hujusmo. raræ ſint operationes, imò ne publicè qvidem eas hic liceat :rare, illa, qvæ in ipſa notare ſectione potui, lubens te. n communicare volui, probè conſcius magni illius deſiderii, o totus qvoqve traheris rerum anatomicarum. Obſervavi au. n in pericardio copioſam ſatis & ſubviridem aqvam; ſtigma. qvoqve vidi multa, qvæ notabant propriam cordis membra. m. 2. Tanta ſe moles Epatis in abdomine oſtentabat nullâ ra. ne proportionata tenello fœtui: occupabat enim perfecte u- ımqve hypochondrium, ut ipſius ventriculi facies â nobis con. ci non poſſet: tamen hepar floridum & undiqvaqve hepati ıorum ſimillimum. 3. Veſicula fellis non apparebat ſuo excre. :nto vacua, ſed repleta ſatis materia craſſa & nigricante; ıctus ipſius veſiculæ, qvi alias ſecundum naturam inſeri de- ɔat inteſtini jejuni initio, implantabatur ventriculi fundo. Lienem ſi, Clariſſime Vir, vidiſſes, ipſum parenchyma hepatis

 dixſi.

dixiſſes, tam florida enim rubraqve conſtitutione erat, ut haud probabile eſſet, naturam tali tàmqve nobili viſco feciſſe tam ſordidum excrementi melancholici hoſpitium. 5. Ventriculus totus ſcatebat, cum inteſtinis, excrementis craſſis ac nigricantibus, ut vix arbitrarer fuiſſe hoc excrementum particulare ex alimento particulari ipſius ventriculi. Qvæ certè obſervatio me eo fermè deduxiſſet, *Liceti* ut ſententiæ ſubſcripſiſſem. 6. Inprimis autem notatu digniſſimum erat, qvod in proceſſu occurrebat vermiculari, de cujus uſu Anatomici multum diſputant: ſcil. num ille ipſe proceſſus excrementa infantis ſuperflua in utero materno recipiat; negant alii; verum contra ipſam αὐτοψίαν. Ipſe enim vidi totum illum proceſſum planè infartum craſſis illis excrementis. 7. Cum Clariſſimo D. *Adriano Falcoburgio*, Anatomico hic alias inſigni, nunqvam hactenus renes ſuccenturiatos, qvos alii Anatomici ſcriptores veſiculas atrabiliarias vocant, videre in demortuis licuerit, qvamvis ſummo, ut ipſe publicè ſæpius & privatim confeſſus, ſtudio hos qvæſiverit; cœpi per occaſionem datam, hanc diligentiore manu tractare partem; & ubi veſiculæ jam dictæ atrabiliariæ in conſpectum ſeſe darent, Clariſſ. Dn. D. *Falcoburgium* ad ædes meas vocavi, ipſiqve easdem naturali adhuc loco adhærentes monſtravi; qvas qvanta cum lætitia aſpexerit, qvantasqve mihi pro illarum commonſtratione egerit gratias, vix poſſum ſcribere. 8. Neqve veſicula urinaria immunis erat à ſuò excremento ſeroſo, ſed multum continebat humoris ſeroſi ſubflavi. 9. Teſticuli, qvos hoſpitari natura voluit in ſcroto, morabantur intra abdominis cavitatem, mirâ venarum ac arteriarum ſtructurâ ac inſertione. De tertii ventriculi contentis, Capitis nimirum, nihil adjicio, omnia cum viderentur ſecundum naturam conſtituta; niſi qvod cranium oſſaqve exſiccaverim reliqva, eâ qvâ potui diligentiâ, atqve ex iis ſceleton erexerim; viſcera etiam exſiccata, ut pulmones, cor, ventriculum, cum veſiculis atrabiliariis, ureteribus, teſticulis, pene, veſica ac vaſis umbilicalibus, imò ipſam etiam cutim mihi ſervaverim. Hæc de iſto impræſentiarum argumento tecum, Vir Clariſſime, agere volui, qvæ ut æqvi boniqve conſulas, enixè rogo.

Verum, priusqvam finio, præterire ſilentio non poſſum qvantum utilitatis meis attulit ſtudiis ſtudium illud divinum

vinum Mnemonicum, cujus ego beneficio nunqvam non hic præſtiti, qvæ in admirationem adduxere etiam ingenioſos & doctiſſimos Viros, qvibus meas lucubrationes & labores exhibui mnemonicos. Conſcripſi etiam iſtâ methodo mnemonicâ non *Hippocratis* ſolum *Aphoriſmos* omnes, materiam medicamentorum purgantium tam ſimplicium qvam compoſitorum; ſed primas etiam medicamentorum facultates & medicamenta cuilibet membro appropriata: Emollientia qvoqve & indurantia atqve reliqva cuncta qvæ ad hanc videntur facere doctrinam. Simplicia omnia, ſecundum iſtum, qvem Clariſſ. D. *Sennertus* in ſuis *Inſtitutionibus* obſervavit, ordinem, binis paginis in qvarto, uti vocant, ſum complexus, & jambis inter privatos parietes nonnullis Medicinæ ſtudioſis ſic expoſui, ut iſtis maximo cum ſtudiorum ſuorum emolumento mecum nunc fruantur. Qvâ jam uſus methodo in his fui Simplicibus, ex hac ſi non diſplicet, adjecta cape decade. Sed non eſto idem de reliqvis judicium. Varios enim pro materiæ ratione adhibui modos; qvod ipſum maximè commendabat Clariſſimus *Voſſius*, ipſi cum nuper Amſtelodami adeſſem, meamqve mnemonicè conſcriptam Chronologiam ac Hiſtoriam perluſtrandam exhiberem. Si qværas, Vir Excell. qvalis iſta ſit Chronologia; negare haud facile potero, qvin grave nuper intricatumqve, attamen jucundum, nec mihi inutile futurum, aggreſſus ſtudium, tribus ſim ea tradere paginis conatus, maximi qvæ Chronologi à mundi creatione ad hæc usqve tempora nobis conſignata reliqvere. Verum ut in his qvoqve probe mentem percipias meam, ordine qvidem, ſed breviter tamen, relicta ipſius operis partitione, qvomodo hæc mihi conſcripta Chronologia, recenſebo. Primum igitur introduco periodos, qvatenus à ſummis recipiuntur Chronologis, *Scaligero*, *Petavio*, *Calviſio*, *Helvico* & aliis, qvorum veſtigiis in hoc maximè inſiſto opere. v. g. Prima periodus à mundo condito usqve ad diluvium comprehendit annos 1656. qvod non ſolum ex prima probo imagine, ſed unicuiqve perſonæ per numerum aliqvem artificialem mundi annum qvoqve adjicio, factaqve horum præcipua enarro, ac librum, unde hujusmodi habentur, digitis qvaſi demonſtro. Cum qva periodorum narratione non Patriarchæ ſolum omnes ante & poſt diluvium recenſentur; ſed Judices qvoqve omnes, Reges ante diviſionem regni, deinde poſt regni diviſionem ad captivitatem usqve Babyloni-

bylonicam. Poſt hanc Judæorum iterum introducuntur Duces, ut à *Seder Olam* recitantur, & Pontifices ad ſtirpem Hasmonæorum, qvos ipſa ſeqvitur Hasmonæorum ſtirps ſive Pontifices Maccabæorum, ac tandem Dynaſtia Herodiadarum, ſub qva ipſa Judæa à Romanis in provinciæ formam fuit redacta. Continet ergo res Judæorum prima pagina, qvam hac *Thomæ Fuirenii* occaſione transmiſi, ut eandem tuæ qvoqve Excellentiæ exhiberet. Secunda pagina primam, ſecundam & tertiam habet Monarchiam, cum omnibus harum Dynaſtiis & imperiorum diviſionibus. Tertia Monarchiam continet qvartam Romanorum, usqve ad Ferdinandum II. Hæc, de qvibus jam dixi, & alia cum Clariſſ. *Voſſio*, Chronologo & Hiſtorico hoc tempore inſigni, offerrem, ad explorandum Viri de tali meo labore judicium, cognovi, inter alia mihi certè gratiſſima, ipſum Clar. *Voſſium* per annos jam viginti uſum arte fuiſſe hac divina Mnemonica; qvo autem fructu, teſtentur, qvi qvotidie profitentem cum admiratione & ſtupore ſummo audiunt. Me vero Cl. *Voſſii* de hiſce meis laboribus judicium eò redegit, ut haud veritus fuerim nonnullis hic ſtudioſis, amicè & ſolicitè idem à me petentibus, collegium aperire Chronologicum, qvod intra ſeptimanas etiam ſex, vel ad ſummum octo, Deo juvante, ſumus finituri. Faxit DEus, cuncta ut vergant in ſui nominis gloriam, proximi utilitatem, & ſtudiorum meorum felicem ſucceſſum, ſolum qvem in his qvæſivi hactenus, in poſterum qvoqve mihi qværendum. In charta cum ipſius Decadis ſubjeci explicationem, hic ſubſiſto, maximopere te rogans, eo ut omnia accipias, qvo hic dicta ſunt, animo. Vale Patrone ac Fautor ſingularis, meaqve juvare ſtudia & conatus, ut hactenus, ità & in poſterum tua perge operâ. Qvod illa de punctura aurea Dn. *Fuirenii* injeciſti literis, tantas tibi habeo gratias, qvantas concipere poſſum maximas, referre qvoqve ſtudebo, dum ſpiritus hos regit artus. Salutabis à me officioſè Cl. Virum D. *Thomam Finckium*, Fautorem meum ſummum, Dn. M. *Johannem Erasmi*, M. *Jacobum Finckium*, & qvi de hoc ſunt præterea genere. Iterum vale, ac, ut petii, tui amantem redamare perge. Dab. 30. Martii Lugd. Batav. 1634. ſtylo novo.

DLXXVI.

DLXXVI.

OLAUS WORMIUS

Paulo Moth.

Leidam.

DE priſtina tua induſtria ac ſedulitate Te nihil remittere; gratiſſimum mihi fuit cognitu, atqve eò gratius, qvò prolixius ex tuis, ad me datis, id colligere datum. Digniſſima viſu fuere, qvæ in tenelli fœtus diſſectione à te obſervata. Stigmata cordis, ut & copioſa illa in pericardio aqvæ viridis colluvies, mihi malignitatis cujusdam, vitalem facultatem proſternentis, indicium præbent; hepatis magnitudo nutrivæ facultatis bonitatem. In majoribus natu & tale qvid alias obſervatum. Qvod fellis veſicula ſuo excremento referta, non mirum; attractus enim ſangvis maternus ab infante alteratur, & ſua ad emunctoria deponit excrementa. Ductum communem qvandoqve in fundum ventriculi etiam in adultis, qvi πικρόχολοι ἄνω, inſeri notarunt, atqve inter illos noſter *Bartholinus* piæ memoriæ. Noſtræ ſententiæ præclarè favet lienis conſtitutio. Qvod ventriculus excrementis craſſis & nigricantibus onuſtus cernebatur, planè præter naturam; ſed de inteſtinis non mirum, talia enim à puerulis recens natis egeruntur. Non omnia, qvæ in morbo conſumptis, aut violenter per abortum expulſis fœtibus obſervantur, naturaliter ſeſe habentibus accommodari poſſunt; qvocirca rationes firmiores eſſe decet, qvæ nos ad *Liceti* ducant opinionem. Perplacent reliqva, de qvibus tecum fuſius diſſerendi mihi, ob negotiorum molem, non eſt opportunitas. De Hernias curandi methodo nova qvod nuper monuerim, facit crudelis illa laniena, qvam ſæpius hic cum dolore videre cogor ab Agyrtis noſtris. Utinam aliqvando manu prompta & ſolide docta videre hic liceret Chirurgum, qvi Barbitonſorum noſtrorum ignorantiam & errores eradicaret, artemqve præſtantiſſimam digne hic exerceret; qvin magno ſuo lucro id eſſet facturus, non dubitarem. Fac, mi *Mothi*, qvem eò inclinare gaudeo, te reducem talem habeamus; & Patriæ & nobis qvin futurus ſis gratiſſimus, non dubito. Vale. 9. Maji, 1634.

DLXXVII.

OLAUS WORM

Paulo Moth Fleńsburgenſi.

Genevam.

TE Nobiliſſimorum *Bechiorum* ſtudiis & peregrinationibus præfectum indicavit mihi Mater eorum, Domina *Eliſabetha Bilde*, Matrona, ut nobiliſſima, ita omnibus virtutibus cumulatiſſima, rogans, filiorum ſuorum curam tibi de meliori nota ut commendarem. Et qvamvis de tua fide & integritate, mihi tot annis jam perſpecta, minus dubitandum eſſe indicaverim, putavit tamen meas aliqvid apud te ponderis habituras. Rogo itaqve, eorum commodis haud deſis, ſed eum te in exteris erga eos præſtes, qvem hic apud meos Te comperi. Non ſolum famæ tuæ eo multum accedet, ſed & in memores ac gratos operam te locaturum confidas. Sangvine & affinitate Primates hujus regni tangunt fere omnes, ut vel hoc nomine tuis commodis promovendis haud parum ſuo tempore ſint valituri. Hafnia, ipſis Non. Febr. 1638.

DLXXVIII.

PAULUS MOTH D.

D. Olao Wormio

Salutem & Obſervantiam.

Hafniam.

PRo nuperrima tua ad meas literas reſponſione, qva mihi in omnibus abunde ſatisfeciſti, Vir Excellentiſſime, gratias ago ingentes. Utinam iſtum aliqvando diem viderem, qvô tibi tuisqve viciſſim inſervirem, deqve hujusmodi materiis tecum præſens conferrem. Ante paucos dies in agro Nobiliſſimi Dn. *Hilarii Bilde* ſepulchrum qvoddam, qvantum ego judicare poſſum, (Latronum ſpeluncam ruſtici illud appellant,) inventum, ſtructuræ miræ & operoſæ, uti præſentium exhibitor coram docebit,

cebit, in eoqve repertæ res variæ ſunt, oſſa nempe humana, lapides diverſæ figuræ, & qvædam metallica. Qvæ ex his ad meas pervenerunt manus, per præſentem *Magiſtrum Brunonem Jacobi*, ne vacuus planè rediret, tibi transmittere volui. Inter reliqva, qvæ in Muſei tui Catalogo continentur rara, cum oſſicula illa tria acuſtica non invenerim, illa ſi grata, tibi prima occaſione mittam. Noſter nobiliſſimus æger Dn. *Hilarius Bilde*, cujus morbi hiſtoriam nuperrimè tibi expoſui, meliuſculè ſe habere jam incipit. Vale, Vir Excellentiſſime, & Mothium tuum, qvi te ſummâ animi obſervantiâ usqve proſeqvitur, more ſolito amare perge. Dab. Ouby prope Nackeböl 9. Julii 1648.

DLXXIX.

OLAUS WORMIUS

D. Paulo Moth.

SAlvum & incolumem Sereniſſimo Regi noſtro ſtitiſſe vos Principem Illuſtriſſimum gaudeo. Deus porro Ipſum conſervet, & veſtros proſperet conatus! Contagium peſtiferum indies magis magisqve ſerpit, adeo ut præcedenti ſeptimana ultra 180. ſint ſepulti. Profeſſores ut & Studioſi, qvorum res lautior, alio ſe contulerunt. Mitto expetitam copiam reſcripti pharmacopœorum, ſed à Dano deſcriptam, qvocirca, ſi ſphalmata animadvertis, & orthographiam Germanicam vitiatam, eſt, qvod ignoſcas. *Fuirenius* cum reliqvis ad tutiora ſe contulit; cum eo igitur agere non licuit de iis, qvæ noſtri illi ipſi objecerant. Loca nobis reliqvit, qvibus *NB.* adſcripſerunt, qvæ mitto, ſiqvid ex iis colligere detur. Deus noſtri miſereatur, & iræ ſuæ flagellum benigne mitiget, undiqve enim cingimur infeſtis. Vale. Salutant Te noſtri omnes. Hafn. 7. Jun. 1654.

DLXXX.

DLXXX.

OLAUS WORMIUS

D. Simoni Pauli.

Roſtochium.

Literas tuas, amoris & benevolentiæ pleniſſimas, mihi tradidit Vir eruditiſſimus Dn. M. *Joan. Reinboth*: cui, vel tui cauſa, nullis humanitatis aut benevolentiæ deero officiis, meam ubi imploraverit operam. Jucundiſſimum verò cognitu fuit, te non ſolum in celebri iſta Academia ad Cathedram Medicam evectum, ſed etiam Clariſſimi Viri, D. *Fabricii* affinitati inſertum; ut tibi ex alto Deus benedicat, & tam conjugii cœpta, qvam officii munia proſperet, ex animo voveo. Interim nihil mihi prius, qvam ut eum, qvem animo concepi, verbis & calamo exprimere valeam, affectum. Sed Ipſemet noſti, qvam deſveto ægrè excidant juveniles luſus & lætiora illa humanitatis ſtudia. Menti meæ ſi reſponderet Carmen, gamelium haberes Æneade auguſtius; ſed fruſtra jam aqvam è ſilice extorqves. Amicitiæ noſtræ me multum debere, fateor; ſed in ære iſto ut moriar, neceſſe eſt, cum ſolvendo non ſim. Qvantum tamen ei tribuam, ut agnoſcas, malo inter olores ſtrepere, qvam vel neglecti officii à te accuſari; Cape igitur, qvod, inter occupationes infinitas, & ſcriptionem feſtinam, urgente *Reinbothio* noſtro, fundere potius, qvam ſcribere licuit, cujus Tibi interpolandi, aut una litura delendi plenarium jus eſto. Qvæ deeſſe vides, facile addideris. Affectum boni conſule & animum agnoſce. Seminum rariorum ex horto paupere copiam exſpectare haud potes. Ad frugem ſi qvid pervenerit, tuum erit. Vale, &, ut facis, me amare perge. Hafniæ 27. Jul. 1634. *Brochmannus*, ut & *Finckius* meus pro tranſmiſſis gratias agunt, & gratulabundi officioſè ſalutant.



SEP 4 - 1931